Verfasser
Sam. Pufendorf

1932

DN.
DE MONZAMBANO
ILLVSTRATVS
ET
RESTRICTVS.

DOMINVS

DE MONZAMBANO

Illustratus & Restrictus;

Sive:

SEVERINI DE MONZAMBANO VERONENSIS

DE STATV

IMPERII GERMANICI

AD LÆLIVM Fratrem, Dominum TREZOLANI.

LIBER UNUS,

DISCVRSIBVS

IVRIDICO-POLITICIS


Explicatus & Restrictus:

In quibus

Elegantissimæ iuris publici Romano-Germanici materiæ v. g. de finibus ac limitibus Germaniæ antiquis & hodiernis; de Germanorum Imperio Romano; de variis exterorum adversus Imperium molitionibus; de Maiestate Imperatoris & libertate Imperii Ordinum; de Reip. Imperii forma præsenti per Instrumentum Pacis stabilitâ &c. aliaque, quas Index Discursuum in fine notarum exhibet, ad modernum seculi genium curiosè firmissimis rationibus, deducuntur.

Operâ & Studio

PACIFICI A LAPIDE Germano-Constantiensis.



UTOPIÆ

Apud Vdonem Neminem, vico vbique, ad Insigne Veritatis. 1668.

VIRIS

Illustribus, Generosis, Magnificis, Strenuis, Nobilissimis, Prudentissimis, Amplissimis,

MODERNI STATUS

IMPERII

ROMANO-GERMANICI

Variis rerum vicissitudinibus fundati

ac tandem

Per Instrumentum Pacis-Osnabrugo-Monasteriensis firmati,

DEXTERRIMIS & ÆQUISSIMIS

CENSORIBUS

atque

ÆSTIMATORIBUS

Qualescunque hos

Iuridico-Historico-Politicos

ad DN. De MONZAMBANO

Discursus

Favoris, gratiæ ac benevolentiæ demerandæ

ergò

INSCRIBO, DICO, CONSECRO,

TANTORUM DOMINORUM

ac Patronorum

Humilimus atque obsequentissimus Servus

PACIFICUS A LAPIDE

Germano-Constantiensis.



LÆLIO DE MONZAMBANO,

TREZOLANI Domino,

SEVERINVS DE MONZAMBANO.

S. P. D.



VOD plurimis à me literis dudũ flagitasti, *LÆLI Fratrum optime*, quo consilio, quidve animo volvens tamdiu per Germaniam circumcursitaverim, vix tandem tuo pene convicio domum retractus,

id nunc Tibi paucis exponere lubet. Aliàs enim nationem noſtram peregrinationibus non adeo deditam conſtat; quod credamus, ipſius ingenia naturali bonitate eniteſcere, hautquidquam exteræ limæ indiga. Et apud Tranſalpinos aliquam prudentiæ opinionem conciliat, vel de ſummis montibus Italiam conſpexiſſe. Quomodo igitur negotium illud, cujus expediendi cauſa Alpes tranſcenderam, præter ſpem in aula Bavarica me detinuerit ipſe noſti. Heic diſpellendo otii tædio curatius evolvere cœpi, quæ unus atque alter noſtra-

tium super bello Germanico literis prodidit. Quorum fidei Germani ipsi plus, quam civium suorum tribuunt, queis manifestum fere in partes studium, aut verum periculi metu infractum. Et qui extat apud ipsos circa id bellum liber, in complura diffusus volumina, meliori, quam antiquum chaos, jure dici meretur, rudis indigestáque moles. Legentem subiit admiratio, quanto molimine res gesta fuerit; quot præliis, quam atrocibus decertatum; quomodo tantis cladibus sufficere potuerit regio, ad quam perdendam non minus cives, quam exte-

ri per annos triginta incubuerant. Invaſit inde animum cupido preſſius explorandi, quæ genti vires, opéſque, quæ populorum varietas, ſimul quali compage tam vaſtum corpus conjungeretur. Dedi tamen grande patientiæ documentum, & quale vix à faſtidio Italici genii poterat expectari. Præterquam enim, quod iſti fini addiſcendam ſuſceperam linguam Teutonicam, omnes Europæas difficultate ſuperantem, etiam illa ab initio me tenebat perſuaſio, non poſſe penitus cognoſci Statum Germaniæ, niſi quis à capite ad calcem evolverit omnes ejus nationis ſcri-

ptores, qui *Ius Publicum*, quod vocant, consignavere. Igitur non sine ambitione impetravi abs quodam Consiliario, qui Bibliothecam possidebat in eo genere copiosissimam, suppeditaret autores, quos desiderio meo maxime idoneos putaret. Hic ut omnes humanitatis numeros expleret, simul ostentandæ copiæ, per duos robustissimos famulos, sub onere gementes, repetitis aliquoties ferculis, conclave meum adeo compleri libris curat, ut vix mihi ipsi locus superesset. Adjecit, hisce interea velut in promulsidis vicem, ventriculum meum

præpararem, juſtas epulas mox ſecuturas. Heic ego, improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem preſſit, obſtupui, & quanta mihi tormenta ultro arceſſiſſem, ingemui. Nam neque decorum videbatur, cum tantum diſcendi ardorem oſtentaſſem, ſolo intuitu defetiſcere; neque tamen tantum crimen videbatur, circa alienam Remp. curioſitatem exercere, ut tam ſævo mortis genere perire mererer. Diu æſtuanti commodum ſuccurrebat, quod olim ab erudito apud noſtrates viro audiveram, *Teutonicos homines inſatiabile ſcribendi cacoethes tenere*: ve-

rum paucissimis datum aliquid producere, quod inventionis acumine, aut genii lepore politi applausum seculi possit provocare. Ne tamen periturae parcatur chartae, pleramque turbam petitas passim particulas in unam compingere massam, vix uspiam adspersa judicii mica. Nec plagii apud ipsos habere crimen, aliorum opera paucis interpolata locis pro novis venditare. Aliquos denique sibi locum inter autores deberi credere, quod diffusius aliquod scriptum in compendium, aut, si Diis placet, in tabellas, memoriae, an stupiditati juvandae? redegerint.

Et vero hoc magis ſperabam fore, ut cognito uno cunctos noſſem, quod iſti ſcriptores utplurimum inter Iuriſperitos nomen ſuum profiteantur, apud quos ſeſe mutuo bona fide exſcribere in legem abiit. Obfirmato ſic in ferream tolerantiam animo, unum ab initio evolvendum ſuſcipio, mole præ cæteris conſpicuum, & quem à multis comprimis probari audiveram; Et de quo non fruſtra credideram, ipſum non minus priores omnes compilaſſe, quam à ſequentibus pari modo tractatum. In iſthoc Autore, quod cæteris indignationem movere poterat,

mihi neſcio quomodo levamenti inſtar viſum eſt habere. Quo plura enim paſſim infarcta erant, quæ ad rem nihil facerent, eo proniore vento ad portum rapi videbar. Cæterum uti exteriorem Imperii Germanici faciem ſic ſatis inde licebat cognoſcere; ita illud abſurdum valde videbatur, quod, cum ubique febriculoſam Iuris Civilis notitiam oſtētaret, ac quicquid uſpiam legiſſet, audiſſetque eodem compingeret, nihil ibidem deprehenderetur, quod vel mediocrem politices ſolidioris cognitionem ſaperet. Nam uti priora illa annotaſſe mediocris eſt diligentiæ, & nul-

lius ingenii; sic *Asinos ad lyram* jure dixeris, qui ad tam irregularis Reip. structuram explicandam in publicum provolant, historiæ patriæ, scientiæque civilis rudissimi. Enimvero postquam tædiosa illa lectione defungi datum, simulq; deprehensum, plerosque chorda eadem aberrare, diversam mihi viam judicavi ineundam, & posthabitis ineptorum libellorum quisquiliis, ex viris usu rerum spectatis potius exquirere institui quæ dubitationis quid videbantur habere. Cujus quidem instituti fructus percepi non contemnendos. Præterquam enim quod plurima contigit didicisse, quæ in

libris nequidquam quæſiveris; ea quoq; curioſitas magnoperè mihi pignevavit humanitatem gentis, aliàs in exteros non parum proclivis. Cumprimis quippe placebat, quod in me non deprehenderent nauſeam illam adverſus res ipſorum, pleriſq; exterorum familiarem. Et quo ſecurius me cum ipſis, liberiuſque conſpicerent agere; eo benignius amplectebantur, tanquam candoris ſui, quo maxime æſtimari gaudēt, imitatorem. Sic ut demum decreverim latius tam expoſita gentis benevolentia frui. Igitur confecto Monachii ex animi ſententia negotio, Ratiſponā me contuli, quo tempore re-

cens terror belli Turcici non paucos Principes eodem contraxerat, Heic vero facile erat, uno velut intuitu genium rerum Germanicarum contemplari, & quam laxe ista compages cohæreret. Sed & aditum sternente amico illo Bavarico, innotuisse datum viro, cui vix parem in Germania ullum vidi, qui tunc temporis rerum in aula Moguntina potiebatur, â plerisque Germanis maximi habitus. Hic summa me humanitate excepit, & qualem homo peregrinus, & ignotus hautquidquam expectare poterat abs tali, cujus gratię literati passim per publicas quoq; adulationes adrepere honestum putabant Et sane non Ratisponæ solum ejus Viri favor multos mi-

hi amicos paravit; ſed & cum ipſi ſignificaſſem; mihi in animo eſſe partem aliquam Germaniæ perluſtrare, literis me ſuis ad diverſas aulas inſtruxit, quæ gratioſiſſimæ inſtar teſſeræ hoſpitalis habuerũt. Inde ſecundo Danubio Viennam deſcendi, ubi ne peregrinus viderer, nonnulli ex popularibus meis effecerunt, qui fortunam ibi nimis quam propitiam fuerãt experti. Commodum dein accidit, ut Miniſter quidam Cæſareus ad Electores Saxonem, & Brandeburgicum ablegaretur, quicum jam amicitia erat contracta. Eo lubentius me ipſi, ultro invitanti comitem adjunxi; præſertim cum caviſſet, Italicæ ſobrietatis opinionem mihi præſidio eſ-

ſe poſſe, ne per nimiam humanitatem vino ſuffocarer. Aliàs enim moribus gentis ignavum habetur, valetudinem ſuam ſupra ſolennes illas propitiationes ducere, Berolino me digreſſum aula Ducis Brunſvicenſis excepit. Vbi præter cætera gratiſſimum fuit ſermones miſcere cum Profeſſore ex vicina Academia, quem jam tum Ratiſponæ à rerum patriarum peritia inſigniter commendari audiveram. Nam & in pleriſque circa ſtatum Germaniæ mecum conſentiebat, & ſua ſcripta, longe diverſum à reliqua turba genium præ ſe ferentia, promte communicabat. In quibus etſi multa ſat libere poſita erant, non obſcure tamen adparebat, non pauca

ipſum diſſimulaſſe, declinandis potentiorũ offenſis, aut ne inſulſorum hominum clamores in ſe irritaret. Ex illo tempore primum in mentem venit inhæc in chartam conjicere; quod ſperarem, fortaſſe mollius profectam à peregrino veritatem iri exceptum, abs quo ſtudium partium, aut ſuſpicio captandæ gratiæ, reponendæve vindictæ abeſſet. Hucuſque progreſſo ignavũ videbatur Belgium non adire. Quod diutius me tenuiſſet, ni imperioſæ tuæ literæ, ſimul res domeſticæ, ſerio de patria repetenda cogitare ſubegiſſent. Adverſo ergo Rheno adſcendens Duſſeldorpii parem, quam quondam Neoburgi humanitatem expertus fui. Nec mi-

nus hoſpitalem ſeſe Bonna pręberbat. Apud Moguntinos parum videbar acceptus, quod per imprudentiam tantopere prædicarē officia Miniſtri illius, quem interea ipſi neſcio quibus de cauſis munere ſuo dimoverant. Heidelbergę, feſtinantem licet, ſubſiſtere coëgit cupido videndi Electorem Palatinum, cui parem ingenio, ſapientiáque Principem in Germania non dari ex multis dudum audiveram. Et ſane utut famam in ſuas laudes non experiatur parcā; ejus tamen præconia ſic videbatur implere, ut inter pręcipuos fructus Germanicæ peregrinationis reputem, iſtum Principem ſalutaſſe, & dotes iſtius cominus adſpexiſſe. Dulcedo heic

commorandi effecit, ut Studgardiæ non nisi pauculos dies possem impertiri; quam & ipsam tamen adiisse non pœnitebit.


Vides jam, FRATRVM OPTIME, qua ratione mihi tempus inter Teutones exactum; & quod quantivis sit æstimandum, tam effusam candidissimæ gentis humanitatem non leviter degustasse. Cui nullam in præsens gratiam referre potui, quam ut faciem Imperii ipsius ex vero depingerem. Saltem popularibus meis hoc opusculi non ingratum fore confido, quod & pleraque sint exposita in quæ ipsi circa cognoscendas exterorum Resp. inquirere sueverunt; & castigata brevi-

tate faſtidioſorum ſatietati occurſum. Tibi autem, FRATRVM OPTIME, libellum huncce inſcribere placuit, eam duntaxat ob cauſam, ut moram purgarem quæ non parum moleſtiæ Tibi creavit in gerendis meis negotiis; ſimul ut conſtaret, fuiſſe in Germania, quod curioſitatem meam exercuerit. Aliàs enim & merita in me tua, & mutuus inter nos affectus majora ſunt quam ut tam modico indicio aliqua eorundem pars exprimi debeat. Bene Vale.



INDEX CAPITVM.

SEVE-



SEVERINI DE MONZAMBANO VERONENSIS DE STATU IMPERII GERMANICI AD LÆLIUM Fratrem, Dominum TREZOLANI, LIBER UNUS.

CAPUT I.

De origine Imperij Germanici.

§. I.



ERMANIA Magna quondam ad Orientem Danubio, ad Meridiem Rheno, finiebatur. Sarmatiam versus iidem, ferè, qui hodiè, termini videntur fuisse, reliqua Oceanus ambibat. Sic ut sub isto vocabulo tunc quoque veniret Dania; Norvvegia, & Suedia usque

ad ſinum Bodnicum quas partes plerique antiquorum Scandinaviæ nomine complectuntur, Sed quæ trans iſtum ſinum ſita ſunt: Germaniæ antiquæ parum recte accenſeri crediderim. Nam modernos Finnos linguæ diverſitas ſeparatam penitus à Suedis aliiſque Germanicis populis nationem arguit. Ad quos ipſos tamen illa, quæ *Tacitus de moribus Germanorum* tradit, haud quidquam pertinere, ſed ad Lappones, videntur, quorum hodieque par fere vivendi ratio. Veros autem Finnos ſub Æſtyis latere probabile eſt. Neque vero mirum, Tacitum circa remotiſſimas illas gentes parum diſtincte tradidiſſe; quarum vix tenuis fama ad ipſum erat perlapſa. Enimvero hodie partes iſtæ Septentrionales ſeorſim regnantur. Igitur ex illo latere Germania Mari Baltico terminatur, & magnam Cherſoneſi Cimbricæ partem ſibi Dania vindicat. Sed velut in compenſationem ultra Danubium ad Italiam uſque & illyricum fines iſta protulit; & cis Rhenum non exiguus tractus quondam ad Galliam Belgicam ſpectans, eidem adcrevit.

§. 2. Tam vaſtum terrarum ſpatium complures quondam populi inſedere, numero præprimis & robore virorum validiſſimi, Quorum ſinguli tamen fere ſuam ſibi ſeorſim civitatem conſtituebant, à reliquis diſtinctam, niſi qua linguæ morumque ſimilitudo, communiſque origo jungebat. Et plerique quidem populari regimine gaudebant. Nonnullis Reges erant, ſed fere ſuadendi magis authoritate, quam jubendi poteſtate. Neque enim iſta natio unquam totam ſervitutem potuit pati. Ergo antiqua illa Germania nun-

quam unum Imperium constituit. Id quod commune habuit non solum cum Italia nostra, sed & cum Hispania, Gallia, Britannia & Græcia, antequam istæ à Romanis subigerentur, Qualis status ex primæva illa civitatum origine, qua segreges familiæ paulatim in unum corpus coaluere, magis expressa retinebat vestigia. Verum utut antiquis illis eximia quadam libertatis specie talis autonomia cum primis blandiretur: tamen tantam multitudinem Rerump. frequentissimis inter sese bellis collidi necessum erat. Et vel ideo exterorum invasionibus opportunæ reddebantur validissimæ cætera gentes, quod uno imperio vires ipsarum non connecterentur. Imo ne fœderibus quidem pleræque se satis mature contra commune periculum muniebant, sed tunc demum concordiæ bona sentiebant, postquam dum singulæ pugnarant, universæ victas sese deprehenderunt.

§. 3. Ab isto statu ut discederet Germania, primi causam præbuere Franci. Quæ natio ad Germanos, an ad Gallos primam referat originem, non ita in expedito est. Nam utut concederemus, quicquid populorum Græcis quondam sub communi Celtarum vocabulo fuit comprehensum, puta Illyrios, Germanos, Gallos, Hispanos & Britannos, ex uno velut fonte promanasse; quin tamen isti deinceps moribus & linguis insigniter discreparint, nemo antiquitatis peritus inficias iverit; Occasionem disceptationi dedit ineptus quorumdam Gallorum fastus, qui obliti non paucos quondam Galliæ populos ultro circa originem Germanicam fuisse ambi-

tiosos, Germanos Francorum generis autores agnoscere fastidiunt. Isti ergo contendunt, ex Gallia magnam hominum multitudinem sese quondam trans Rhenum in Germaniam effudisse, tractúmque circa Mœnum fluvium ad Sylvam usque Hercyniam insedisse. Eam postea transmisso aut occupato, quod ad dextram Rheni ripam ad ejus divergium jacet, Rhenum transgressam, antiquæ sedes patriæ postliminio velut recuperasse. Partem tamen circa Mœnum hæsisse, circumjectæque regioni de se nomen indidisse. Pro ea opinione firmanda testis excitatur *L. vnius* l. v. c. 34. *Cæsar de Bello Gallico* l. vi. *Tacitus de Moribus Germanorum* c. 28.

§. 4. Hisce tamen non absurde reponere possunt Germani, scriptorum Romanorum autoritatem non esse omni exceptione majorem; quippe qui adseveratione satis languida de rebus longissime à sua memoria remotis tradidere, & quidem circa populum exterum, cujus antiquitates nullis literarum monumentis conservabantur. Neque vero probabile videri, cum Treboci, Nemetes, Vangiones, Treveri, aliique Rheno propiores populi originem Germanicam jactaverint, oram hisce fere oppositam à Gallico fuisse populo occupatam. Et ut maxime detur, Francos ab initio fuisse coloniam Gallorum; tamen qui per secula circiter octo in solo Germanico habitaverint, linguamque & mores à reliquis Gallis discrepantes, sed Germanis congruentes induerint, inter Germanos deinceps censendos manifestum est. Illud constat, ante seculum à Christo nato tertium vix ullam in historiis

Francorum fieri mentionem. Inde duplex oritur opinio, dum alii credũt, illos, qui *Tacito* Chauci vocantur, antiquum nomen vocabulo Francorũ mutasse. Alii autem, plures Germaniæ populos, aut coalitam ex illis multitudinem eo sibi nomine sumto eximium libertatis studium ostentasse. Nam Francus Teutonica lingua liberum hominem notat. Adducuntur quoque testimonia Francisci I. & Henrici II. Regum Galliæ, qui in literis ad Ordines Germaniæ ex stirpe Germanica genus sese profitentur ducere. Etsi quo fine ejusmodi cognationes exoletæ interdum jactentur cordatioribus non difficulter subolet.

§. 5. Quidquid hujus sit, isti Franci in Vbiis Rhenum transgressi, postquam maximam Galliarum partem subegissent, flexo velut victoriarum cursu, Rhenoque iterum superato, Alemanniam, & quicquid fere terrarum inter Mœnum & Danubium retro in Thuringos extenditur, subegerunt. Verum longè lateque Francicum Imperium per Germaniam extendit Carolus Magnus, victis præprimis Saxonibus & Tassilone Bavariæ Rege. Sic ut iste ditione complecteretur non solum pleraque à Germanicis populis insessa, sed & quę versus Mare Balticum & Poloniam, ad Vistulam usque Slaui tunc obtinebant. Nam & hos Carolo tributarios factos, aut saltem ejus majestatem comiter coluisse historiæ testantur.

§. 6. Hunc Carolum suæ nationi vindicare Germani plerique anxie satagunt, quippe editum in lucem Ingelhemij, oppido propè Moguntiam, jam in ditione Electoris Palatini. Imo in antiquo Instrumento Abbatiæ Fuldensis terra circa

fluvium Vnstrut, i. e. Thuringia vocatur terra conceptionis ipsius. Eundem quoque lingua Germanica usum evincunt nomina mensium Germanis adhuc usurpata, quæ ab ipso posita creduntur. Enimvero si me Germani tanquam hominem peregrinum in negotio suo paterentur sententiam dicere, utut aliàs in gratiam Gallorum de ipsorum rebus nihil temere largiri placet, suaderem ut æquo animo prætensioni circa Carolum renunciarent; præsertim cum id præsenti ipsorum Imperio haut quidquam fraudi esse queat. Scilicet Francos sedem regni sui in Gallia statuisse in confesso est. Nec minus, Caroli patrem Regem Franciæ fuisse, ejusque majores in eodem regno summis honoribus functos. Partes autem Germaniæ Transrhenanæ, quæ tunc ad regnum Francorum pertinebant, accessorij duntaxat instar habebant, velut provinciæ bello subactæ. Illius porro nationis quisque censetur, cujus ipsius pater est, & ubi sedem fortunarum à patre majoribusque traditam obtinet. Solus nativitatis locus diversæ à paterna nationi aliquem haut quidquam inserit. Nisi vero credamus modernum Sueciæ Regem, si contigisset ipsum in Borussia nasci, inter Borussos, & non inter Suecos fuisse censendum. Neque Germania Transrhenana sub Franciæ vocabulo venit, nisi postquam ea sub Carolo Francorum regno fuit adjuncta. Nam præprimis, ubi ipsius posteri avitum regnum divisissent, ab autoribus quoque incipit frequentari distinctio inter Franciam Latinam sive Occidentalem, & Teutonicam sive Orientalem; quæ ipsa est Germania magna, seu

Transrhenana. Etsi post Ottonum tempora ea Germaniæ adpellatio paulatim videatur exolevisse. Dubium, quod ex lingua Caroli movetur, commodissime hoc modo expediri potest. Galli Romano jugo subjecti paulatim dominantium quoque linguam adscivere, sic ut demum vix ulla antiqui Celtici sermonis superessent vestigia. Francos porro in Gallias ingressos Teutonicam. Suam linguam non statim oblitos extra dubium est. Enimvero Franci hautquidquam antiquos Gallos internecione deleverunt, aut sedibus ejecerunt, sed imperium duntaxat Galliæ sibi adseruere. Exinde tamen contigit, ut qui Francici essent sanguinis in Republ. eminerent, antiqui Galli, tanquã victi, deterioris essent conditionis. Quemadmodum autem, quando duo flumina diversi coloris confluunt, aliquandiu suum colorem, quem alveo cõmuni intulere, servant, donec tandẽ paulatim majus in minori suum perdat: ita ab initio aliquandiu retinuerunt suam linguam Galli, suam item Franci, donec successu temporis, ex utraque mixta cinnus velut quidam emersit, in quo tamen Latina plurimum prædominaretur. Cujus rei ratio facile investigari potest. Nam sine dubio multitudine excedebant Francos Galli; & longe difficilius hisce erat addiscere linguã Teutonicam, quam illis Latinam. Nam quantum in ea lingua addiscenda exteri sese torqueant, meo ipsius exemplo didici. Inde etiam apud antiquissimos rerum Franciarum scriptores, vulgaris lingua Latina, lingua rustica audit; scilicet quia nobiliores Teutonicam adhuc linguam retinerent, cum rustici & reliqua antiquorum Gal-

lorum plebs nil nisi Latinum sonare sermonem nossent. Sic hodieque deprehendimus in Livonia & Curlandia, ubi per Germanos antiqui incolæ ad conditionem rusticorum redacti sunt, omnes fere nobiles oppidanosque callere linguam rusticanam; rusticorum contra vix decimum quemque voculam Germanicam intelligere. Ergo Carolus potuit nosse lingam Teutonicam, tum quia illa inter Francicæ stirpis homines nondum penitus usurpari desierat, tum quia magnam Germaniæ partem & antea Franci, & ipse universam imperio complexus erat. Nec vero rudi illo seculo cum Germanis conversari erat, ni vernacula ipsis lingua sermocinari nosses. Cæterum accuratissime hanc litem composuerit, qui observat, à plerisque diversas quæstiones hinc confusas fuisse. Si enim quæratur, ad Gallos, an ad Germanos Carolus stirpis suæ originem referat? sine dubio respondendum erit, quod non sit stirpis Gallicæ, sed Germanicæ seu Francicæ. Verum si quæratur; qua patria censeri debeat? Gallia non Germania ipsi assignanda erit; adeoque hoc intuitu non Germanus, sed Gallus seu potius Francogallus dicetur. Metuo ne stuporis videar arguere lectorem, si rei tam planæ diutius immoratus fuero. Sed tamen hominibus Germanis notissimum exemplum addere non pigebit. Apud eos enim si incideris in nobilem Livonum, eumque interroges, cujas sit? respondebit, se Livonum esse, non Germanum. Vbi vlterius instes, quali stirpe sit oriundus? dicet se Germanum esse, non Lettonem.

§. 7. Cæterum Carolus hic diversas regiones

imperio ſuo complexus erat, ſed diverſo adquiſitas titulo. Franciam obtinebat tanquam paternum regnum jure hęreditario ad ſe devolutum. Vtut enim apud antiquiſſimos Francos aliqua quoque procerum populique in Rege conſtituendo interveniſſe auctoritas legatur; putaverim tamen eam magis habuiſſe inſtar ſolennis inaugurationis, obſequiique erga novum Regem conteſtationis, quam liberæ electionis. Nec temere ab ordine ſanguinis diſceſſum, niſi per factionem, aut quia heres ſceptro penitus inhabilis. Regno Franciæ jam antea juncta pars Germaniæ, reliqua à Carolo armis ſubacta. An quidam ultro ſub ipſius imperium conceſſerint veneratione magnitudinis in obſcuro eſt. Belli quoque jure ſubjecit ſibi regnum Longobardorum in Jtalia, prætextum ſuppeditante Pontifice Romano. Idem denique Imperator Romanorum Auguſtus voluntate Pontificis populique Romani eſt conſalutatus, per quem titulum quid acceperit, paulo poſt monebimus.

§. 8. Sic igitur ſub Carolo Germania portio fuit regni Francorum, ſat abſoluto ipſorum, ut videtur, imperio ſubjecta. Eam in complures provincias diviſam præfecti, originis plerique Franciciæ ſub nomine Comitum aut Marchionum adminiſtrabant. Etſi Saxonibus amplior quædam libertatis ſpecies relicta, quippe quos Carolus, diuturno demum bello fractos, in jura populi Francici adſciuit, unamque velut gentem cum Francis eſſe juſſit. Vt tamen ferocem nationem, ſervitiique impatientem eo melius in officio contineret, adſumti in ſubſidium ſacer-

dotes, qui populum religione Christiana imbuerent; simulque sedulo in inculcarent, quantopere illis essent devincti, per quos viam adipiscendæ salutis æternæ didicissent. Inde complures Episcopatus & Abbatiæ per Germaniam Carolum fundatorem agnoscunt. Eadem conditione sub Ludovico Pio Caroli filio Germania fuit, nisi quod præfectorum illorum autoritas & potentia magis magisque cœpit adolescere.

§. 9. Verum postea cum Ludovici hujus filij paternum imperium inter se divisissent, (quæ præcipua fuit causa convulsæ potentiæ Franciæ, prostratæque familiæ Carolinæ) avulsa fuit à reliquo corpore imperij Francici Germania & peculiarem sibi Regem accepit Ludovicum, Pij filium. Cum Germania post coaluit magna Galliæ Belgicæ pars, ad Rhenum vergens, Teutonicis fere populis incessa quæ à Lothario, itidem Pij filio, Lotharingiæ nomen est sortita, etsi hodie modica duntaxat regni Lotharij portio isthoc vocabulo insigniatur. Cæterum inter exitialia bella, quibus Caroli posteri inter sese collidebantur, non solum enormia sumsit incrementa procerum Germaniæ potentia, sed etiam ipsa stirps Carolina demum penitus fuit extincta, aut saltem regno Francorum dejecta, (nam hodieque & Comites Palatini ad Rhenum, & Duces Lotharingiæ, à Carolo stemma suum deducunt) ac Germani ex suæ nationis proceribus sibi Reges legerunt. Ex quo tempore Germania suas sibi res seorsim habuit, nec cum Francia communi imperio est usa. Porro quia Germanorum Resp. populari usu nomine Sacri Romani Imperij solet denotari, ope-

ræ prætium puto erit, paucis inquirere, quo modo hunc titulum primum nacta sit? quid per eum ipsi accesserit? & quo jure eundem hodie gerat? Ad quod solide intelligendum necessum erit paucis repetere, ad quam conditionem antiquum imperium Romanorum ante Carolum redactum fuerit.

§. 10. Quemadmodum igitur populus Romanus, postquam nobilissimam orbis terrarum partem jugo suo subjecerat, demum ambitione paucorum præpotentium civium in bella civilia ruerit, & exinde sub unius dominatum pervenerit, in vulgus notum est. Cæterum Augustus Monarchiæ Romanæ conditor uti ope militum imperium quæsiverat; ita per eosdem idem sibi servandum esse facile perspiciebat. Inde utut circa multa regni negotia nonnulla potestatis species Senatui relicta; curam tamen rei militaris sibi soli ipse posuit, eamque nomine Imperatorio non obscurè præ se tulit. Enimvero tanquam præcipuum regni arcanum, curatissimis simulacris involvendum, & à vulgi militaris intelligentia submovendum erat, penes milites esse, Imperatores solio admovere & deturbare. Quod postquam evulgatum fuit, non minus misera ipsius imperij quam Imperatorum conditio extitit. Illud enim frequentibus bellis intestinis debilitatum, ex libidine avari aut turbidi vulgi sæpe pessimos homines cervicibus suis imponi sensit, sæpe optimos rectores immani scelere sibi immature eripi luxit. Neque his sat firma transmittendi ad posteros suos imperij spes; & precarius semper spiritus inter venales trahendus. Ergo

revera vis Imperatores constituendi erat penes milites; (id quod usu venire solet omnibus Monarchiis militaribus, seu ubi validus quispiam, isque perpetuus exercitus uno in loco alitur) Senatus populusque imbellia & vana nomina erant, illudendæ simplici plebeculæ adhibita, quasi universorum ultroneus consensus imperium daret. Superstructum istud militari licentiæ regnum, uti ad diuturnitatem erat ineptum; ita ejusdem ruinam insigniter maturavit Constantinus M. & Theodosius: ille fixa Byzantij sede regni, & dimotis à ripa Rheni in orientem legionibus validissimis: hic diviso inter filios ignavissimæ indolis imperio. Exin duo pro uno regna extitere, nulli alio usui, quam ut divulsus orienti occidens barbaris eo facilius succumberet. Nec multo post Imperio Occidentis finis impositus, capta & vastata per Gothos Roma; quæ & antea reliquis provinciis non deteriore jure, quam quo partæ fuerant, exciderat; & nunc propriæ libertatis jacturam experiebatur, regni Gothorum accessio facta.

§. 11. Post Gothorum opibus collapsis, Roma, & magna Italiæ pars imperio Græcorum adjuncta, etsi ob antiqui venerationem fastigij, & quod Constantinopoleos sese matrem ferret, ad sociæ potius, aut comparis, quam subjectæ modum tractaretur. Revera tamen summa Imperij penes Imperatores Græcos erat, qui id Romæ ac per alia Italiæ loca sibi parentia, missis Exarchis, exercebant. Sed paulatim Pontifices cæperat hujus quoq; Græci Imperij tædere. Causam ipsi referunt in libidinem Exarchorū, & quod non-

nulli Græcorum Imperatorum in ſtatuas ſævierant; quæ tamen utiliſſimum judicabantur inſtrumentum, ſuperficiariis pietatis ritibus imbuendæ rudi plebeculæ; poſtquam illa fere ad capienda ſolidiora inhabilis; & per ſolam animi puritatem, vitamq; honeſte exactam, Numine poſſe uti propitio ſacerdotibus parum quæſtuoſum. Fortaſſe etiam credebatur multum ſplendoris acceſſurum Eccleſiæ, ſi pedetentim ſeculare ſibi imperium ſtabiliret Pontifex, penes quem aliàs ſacræ poteſtatis per orbem ſumma erat. Et ſane ferendum non videbatur, mancipio Imperatoris Græci, interdum virilitate diminuto, obnoxium vivere illum, quem Deus tanta cum autoritate ſuum in terris Vicarium ſtatuerat, ut ipſi à negotijs Eccleſiæ, deinceps otioſo, ſolis rebus civilibus invigilare vacaret; has quoque eidem delegaturus, ni conſtaret, ſanctiſſimas Præſulum animas, divinarum dulcedine rerum delinitas, à profanis iſtis penitus abhorrere. Enimvero utut non metueretur longe remotus Græcorum Imperator, quem aliàs ſat diſtinebat ingruens per Orientem Saracenorum vis: terrebat tamen Longobardorum potentia, toti ſine dubio Italiæ imminens, & jam ipſa Romæ ſuburbia afflans. Huic cum par Pontifex ſolus non eſſet, non occurrebant, qui validius poſſent auxilium ſedi Romanæ ferre, quam Francorum Reges. Quos ad id promptiſſimos reddebat favor gloriæ, illum ab aliorum injurijs, vindicaſſe, per quem quicquid Chriſtianorum animos divinæ gratiæ irrigat, velut ex inexhauſto fonte diſpenſatur: Ac optime de Pipino

Caroloque meritus fuerat Pontifex, dum Chilperici tonſuram adprobat. Quod factum quantivis ipſis eſſe debebat, cum aliàs facile conſcientias ipſorum ſcrupulus potuiſſet urgere, an jure ſubditus in Monachum radat Principem, qui id tantum videbatur peccaſſe; quod miniſtro præpotenti plus, quam regno expediebat, potentiæ indulſiſſet. Ac in eo cumprimis favebant Francis fata, quod tam plauſibilem nanciſcerentur occaſionem Italiam noſtram invadendi, quæ ſui deſiderio ſemper tranſalpinos illos uſſit.

§. 12. Poſtquam igitur Carolus per Italiam ſibi ſubjeciſſet, quod ante Longobardorum fuerat, Pontifex, in quem ex præda non parum redundaſſet, ut gratum ſeſe oſtenderet, ac ſimul in poſterum de ſtabili defenſore ſibi proſpiceret, Imperatorem atque Auguſtum, acclamante plebe, ipſum declarat. Per iſthunc titulum quid Carolus acceperit, non ita in aperto eſt. Sane dudum deſierat Roma eſſe ſedes antiqui Imperii Romani, facta primum acceſſio regni Gothorum & inde Imperii Orientalis. Ergo non poterat à Romanis tunc in Carolum conferri, quod quondam ad imperium Occidentale pertinuerat; nam id jure belli, ceſſionibus, aut per derelictionem, dudum in alienam ditionem tranſierat. Quin ipſa Roma ſui juris non erat, adeoque alteri ſe donare non poterat. Vnde & Carolus illud vocabulum uſurpare dubitavit, priuſquam tranſactio ſuper ea re cum imperatorib. Græcis interceſſiſſet. In qua hi quidem non adeo erant difficiles, deficientibus viribus, & quod Francos habere amicos expediret, ne Calabria quoque

ipſos exuerent, & quæ alia adhuc ipſis opportuna loca Græci tenebant. Ergo vix reſtat aliud, quam ut dicamus, ſub titulo ſplendidiſſimo Imperatoris, ex ſtatu antiquæ Romæ repetito, utut diſpari ſenſu, Carolum fuiſſe conſtitutum ſupremum defenſorem & protectorem ſeu Advocatum ſedis Romanæ, & bonorum, quæ ad ipſam ex uſurpatione Pontificum, aut aliorum liberalitate ſpectabant. Iſta defenſio aut protectio, an ſummi Imperii, prout à politicis illud definitur, vim habuerit, mihi dubium videtur; & potius judicaverim ſpecie quadam duntaxat fœderis inæqualis ſedem Romanam, ejuſque bona Carolo fuiſſe adjuncta. Cujus hæ potiſſimum leges fuere, ut Carolus quidem ſedem Romanam, ejuſque bona contra quoslibet invaſores defendat, & ſi quæ intrinſecæ turbæ oriantur, in dedecus aut damnum Eccleſiæ redundaturæ, autoritate ſua componat. Ex adverſo ſedes Romana majeſtatem Caroli comiter colat, nec ſine authoritate ipſius quidquam ſuſcipiat, quod ad ſummam rerum faciat; inter quæ præcipuum eſt, ut ne quis invito ipſo ſedi Romanæ præficeretur. Ex quibus adparet, ab iſto tempore ſedem Romanam peculiaris inſtar civitatis conſtituiſſe, neq; cum regno Francorum in unam rempublic. proprie loquendo coaluiſſe. Deinde Carolum ſedem Romanam, & quæ bona ad eandem ſpectabant, in ſubjectorum numero non habuiſſe, aut in eadem uſurpaſſe vim imperii, quæ ſeſe exſerit in ferendis legibus, indicendis tributis, conſtituendis magiſtratibus, jure dicundo, aliiſque ſimilibus. Nam id defenſo-

ris aut advocati jus non excedit, per pravas artes Pontificatui immissos expellere, Ecclesiæ subversionem aut dedecus insigne molientes in ordinem redigere, aut Romanos aliósve in Pontificem insurgentes compescere. Cæterum Carolus, & nonnulli ex ipsius posteris, uti Imperatoris & Augusti vocabulo sic satis sibi videntur placuisse, & ob id inter reliquos Reges, hautquidquam repugnantes, primum sibi locum asseruisse: ita, quantum mihi constat, sub stirpe Carolina regnum Francorum tituli Romani Imperij fuisse insignitum, nuspiam legitur.

§. 13. Vergente Caroli prosapia, & Germani suam rempubl. à regno Francorum disiunxere, & Italiam gravissimæ exercuerunt turbæ, dum ex veterum ruina opum alij novas sibi extructum eunt. Inter istas dum statui suo nondum satis confidunt Pontifices, & vero Rex Germaniæ Otto primus, devicto Berengario, regnum sibi Italiæ subjecisset, Pontifici consultissimum visum, Ottonem sibi defensorem adsciscere eodem fere, quo antea Carolum jure. Et quidem, ut deinceps protectio illa sedis Romanæ regno Germaniæ ita conjuncta foret, ut qui eo regno potiretur, ad hanc quoque statim jus nancisceretur. Cæterum postquam non pauci ex antiquis illis Germanorum Regibus jus istud qualecunque in sedem Romanam sat mascule exercerent, & vero interea non istius solum, sed & Episcoporum per Germaniam potentia immensum glisceret, Germanicæ quoque protectionis fastidium Pontifices cœpit subire. In causa erat, quibusvis nationibus infixa adversus extraneam dominatio-

nem

nem averſatio; & indignum erat, prudentia celebres Italos, (nam quod exteri nobis tribuunt, id non agnoſcere ignavum foret ;) craſſorum iſtorum Germanorum ferocia imperia reſpicere. Vrebat quoque Vicarium Chriſti, diutius velut ſub tutela eſſe, qui jamdudum omnibus leges ferre pruriebat. Igitur excutiendo iſti oneri hæc via initur, ut negocium Regibus Germanorum faceſſeretur modo per Italiam, modo per ipſam Germaniam, operam ſtrenuam navantibus Epiſcopis; ſubinde quoque in eoſdem fulmina emitterentur, quorum iſtis ſeculis maximus terror. Sic tandem Teutonicos Reges Italiæ tædium paulatim cœpit, iidemque contenti deinceps ſuo regno, ſedem Romanam arbitrio Pontificum reliquerunt; id quod hi tot ſæculis per varias artes, magnoſque Europæ motus quæſierant, Quin & diu coronationem Romanam omiſere. Retinetur tamen antiquus titulus Imperatorum Romanorum, & dum regnum ipſis defertur, primo loco defenſio ſedis Romanæ injungitur. Abs qua tamen cura Electores Proteſtantes otioſum ipſum eſſe jubent.

§. 14. Ex quibus adparet, puerilem valde errare errorem, qui credunt regnum Germanorum in antiqui illius Romani Imperii vicem ſubiiſſe, & hoc in illo continuari; cum Illud Imperium, cujus ſedes Roma erat, dudum fuerit deſtructum, antequam Germania unius inſtar regni habere cæpiſſet. Imperium autem illud Romanum, in Carolum, & Ottonem collatum (quod nihil aliud quam Advocatiam ſive Protectionem ſedis Romanæ

notat,) successu temporis regno Germanorum nomen suum adfricuit, utut ditiones Ecclesiæ cum regno Germaniæ nunquam in unam civitatem coaluerint, multò minus Carolus aut Otto sua regna Romæ, velut sedi Imperii aut Metropoli, subjecerint. Scilicet cum crederetur in vocabulo Imperatoris Romani, ob amplitudinem antiqui istius imperii, eximii quid splendoris inesse, Reges Germanorum isto solo nomine notari frequens erat. Cui consequens erat, ut Germania quoque, velut nobiliori nomine, Imperium Romanum inciperet vocari. Distinctionem tamen Romani Imperij à regno Germaniæ haut obscurè arguit distincta coronatio & inauguratio. Et recenciores Cæsares à Maximiliano I. post nomen Imperatoris Romanorum expresse subjungunt Regis Germaniæ titulum. Quin & hodie Germanis suam Rempub. solenne est vocare Imperium Romanorum Teutonicæ nationis. Quæ tamen formula contrarium sibi ipsi sensum videtur habere, postquam satis liquet modernam Germanorum rempubl. cum antiquo Romanorum Imperio unum & idem non esse. Retinent tamen receptum semel vocabulum Reges Germaniæ, utut dudū & coronationem Romanam omiserint, & vix quidquam ex antiquæ illius Advocatiæ juribus usurpaverint, quia Principibus solenne est, re citius quam titulo cedere. Anne illud quicquid est juris lapsu temporum expiret, sed solo tituli usu conseruetur, per occasionem aliam iterum exercendum.

§. 15. Cæterum ex titulo Imperij Romani non modo nihil emolumenti, sed & plurimum dam-

ni & incommodi in Germaniam redundasse, in aprico est. Habent hoc omnes Sacerdotes, ut manus semper paratas gerant ad accipiendum, nunquam ad dandum. Et cum alij clientes patronos suos muneribus demulceant, Sacerdos cliens, ni ultro donis delineatur, ringitur, suamque benedictionem in immensum imputat. Et judicaverim, priscos illos Principes, ut tantas opes in Clerum per Germaniam cumularent, non parum fuisse motos, quod sibi potissimum à Deo injunctum crederent providere, ut isti ordini quam lautissimè esset prospectum. Sic quantas opes prodegit Germania in profectiones ad capessendam coronam Romanam? Quantum auri & virorum absumserunt expeditiones in Italiam, compescendis turbis à Pontifice motis, aut ad eundem contra refractarios protegendum; Nec enim unquam extranei valde gavisi sunt Italiam tentavisse; nisi quod Hispanos tamdiu visceribus nostris inhærentes, depellere hactenus nequivimus. Denique nemo unquam Principum sæpius anathemate fuit perstrictus, nemo crebrioribus Sacerdotum seditionibus agitatus, quam Germanorum Imperatores. Cujus rei præcipuæ causæ fuisse videntur, vel quod crederetur ad Sedem Romanam rationes suas potissimum referre debere istos, qui eo titulo præ cæteris superbirent; vel ut alieni Imperii impatiens ordo abs matre sua invisam secularium auctoritatem amoliretur. Quanquam hæc, salva sanctissimæ Sedis reverentia, velim intelligi, cujus judicio hæc omnia devotissime submitto.

CAPVT II.

De Membris, ex quibus jam Imperium Germanicum componitur.

§. 1. POstquam igitur ſemel ope Francorum coaluere populi Germaniæ, validiſſimum ſemper inter Europæos corpus conſtituere viſi ſunt; quod nec hodie mole ſua conſpicuum eſſe deſiit, utut non modicæ partes in aliorum ditionem conceſſerint, aut in ſeparatas ſeſe civitates ſegregaverint. Quanto anguſtius jam quam olim, à Germanis imperitetur, luculenter exſecutus eſt *Hermannus Conringius,* Vir rerum patriarum peritiſſimus, peculiari libro de *Finibus Imperij Germanici.* Nobis præſentia duntaxat obſervaſſe propoſitum fuit. Ergo qui inter primaria ejus Imperij membra cenſentur, *Statuum Imperij* vocabulo deſignantur; qui ſcilicet ſeſſionem, vt loquuntur, & jus ſuffragij ferendi in Comitiis obtinent. Quanquam ſunt non pauci, qui ab aliis eximuntur, ſeu quorum jus, quo immediatos ſeſe ſtatus ferunt, alij potentiores ſtatus in dubium vocant, & eorum in Comitiis perſonam referunt. Id quod eo tendit, ut hi iſtos inter ſtatus ſuos provinciales revocare velint. Sed & circa Principes potiſſimum obſervandum, regulariter domui alicui Principali in Comitiis certum ſuffragiorum numerum competere. Aliæ enim unum dumtaxat ſuffragium obtinent, aliæ duo, aliæ tres, aliæ quatuor, aliæ quinque. In quibuſdam

porro Principatibus primogenitus totam ditionem ſortitur, reliqui apenagio coguntur eſſe contenti; in aliis omnes fratres ad aliquam, utut non ſemper æqualem, cum primogenito portionem admittuntur. Vbi prius obtinet, primogenitus reliquorum perſonam ſolus refert: vbi poſterius, ſinguli quidem venire ad Comitia poſſunt, ſed ſuffragium duntaxat unum ferent, de quo inter ipſos eſt conveniendum.

§. 2. Cæterum ut quis probet, ſe ſtatum eſſe Imperij, duo judicantur vulgo ſufficere; ut ſit inſcriptus matriculæ ſive albo Ordinum, & ut quæ Imperio ſunt ſolvendæ collectæ in publicum, non autem in alterius Status ærarium inferat. Et ſi planiſſimum heic eſt ad poſſeſſionem provocare. Nam aliqui contendunt, ſe per errorem in alterius ærarium ſuam portionem intuliſſe; alij contra, nonnullos per meram uſurpationem, præterito ærario provinciali, ad publicum provolaſſe, prout quiſque inter ordines referri, aut alterum inde excludere laborat. Nec vero vlla adhuc extat matricula, in qua nihil deficiat aut redundet, & circa quam non aliqui quid controverſiæ ſoleant movere. Etſi pro authentica videatur declarata illa, quæ anno ſuperioris ſeculi LI. LVI. & LXVI. promulgata fuit. Ego judicaverim, antiquiſſimas illas matriculas, quæ pluſimos inter Ordines Imperii referunt qui dudum à Comitiis exularunt, eſſe potius recenſiones eorum, qui in Comitiis tunc præſentes fuerunt, quam inſtrumenta publicâ autoritate confecta, ex quibus in utramque partem indubia argumenta poſſint deduci. Sed ex varietate iſta ma-

triculatum videor liquido colligere, antiquissimis temporibus non fuisse certum Ordinum numerum, sed comitia adire licuisse, quicunque aliquod in Rep. momentum, opibus aut prudentia, se putabat facere. Postea paulatim tenuiores, quos privatarum rerum cura publico vacare non permittebat, ultro emansisse; alios per potentiores exclusos, donec ad eum, qui nunc est, numerum fuit perventum. Nobis matriculam aliquam integram huc transcribere tædio est. Præcipuos tamen Ordinum recensere necessum fuerit, ut exinde de magnitudine totius corporis judicari queat.

§. 3. Inter Principes seculares primum locum deferimus familiæ Austriacæ, non tam ob antiquitatem, quam ob ditionum amplitudinem, & quod fastigium Imperatorium per aliquot jam secula insederit. Hanc inusitata quædam fati clementia ex tenuibus initiis ad invidendam magnitudinem provexit. Rudolphus erat Hapspurgi Comes, modicas opes, nec supra dignitatis suæ mensuram, in Helvetia & vicino tractu possidens, sed bello strenuus. Fuerat eo tempore per lustra fere quatuor, durante interregno, perturbatissimus Germaniæ status. Conveniunt ergo Primarij Principes, malis istis, creato Imperatore, medicinam facturi. Mentionem de Rudolfo injicit Vvernerus Moguntinus, quem Romam euntem antea Rudolfus comiter ab Argentina ad Alpes usque deduxerat, sapientiamque & magnanimitatem ejus multis extollit. Mox in suam quoque sententiam pertrahit Coloniensem & Trevirensem. Quid isthoc in Rudolfum stu-

dio ſpectaverit Moguntinus, non difficulter conjectabit, qui paulo profondius Sacerdotum ingenia inſpexit. Scilicet obnoxium ſibi fore ſperabat, quem eminentior proſapia ad rem ſuo arbitrio gerendam nondum animabat, quique ipſi tantum beneficium erat debiturus. Sed quare ex reliquis Principibus eam dignitatem nemo affectaverit, mirum videri poſſit, ni quoſdam dicamus abſterruiſſe confuſam Germaniæ faciem, quam abs ſe componi poſſe diffidebant. Fortaſſe etiam nonnulli ob ætatem nondum ſatis confirmatam tantæ moli incapaces judicati. Epiſcopis ergo aſſenſi ſunt etiam Principes ſeculares, ita tamen, ut Saxo & Burggravius Noribergicus filias ſibi Rudolfi in uxores, ſtipularentur. Quod & idem fecit Dux Bavariæ, qui tunc iſtis Principibus aderat. Hoc modo Rudolfus ſtatim primariis familiis per affinitates eſt inexus, novis ſuis rebus in decus ſimul atque ſubſidium. Parando dein familiæ ſuæ peculiari patrimonio, ſat facultatis præbuit dignitas Imperatoria. Vacante feudo aliquo, quis proprior erat, quam filius in quem id denuo conferretur? Sibi ipſi enim dare, valde invidioſum fuerat. Hoc modo parta Auſtria, Stiria, Carniola, Vindorum Marchia, & aliæ quædam ditiones. His plura acceſſere aliorum Imperatorum indulgentia; prout opulenti frequentius donis quam tenues coluntur. Tam opimo patrimonio inſtructos facile erat divitum nuptiarum facultatem nanciſci. Et quia puellas in amorem ſponſorum non opes tantum, ſed & præfulgens dignitas inflammare ſolent; abs duro quoque Patre filius impetrare poterat, ut præ

reliquis Ducibus ſibi aliquid eximij tituli adponeret. Et tamen laude digna Auſtriacorum hinc ſolertia. Nam ut recens familia priorem præ antiquis locum in Comitiis occuparet, invidioſum nimis erat, neque tamen illis cedere placebat. Igitur ſibi primum locum inter Principes Eccleſiaſticos cepere, qui ſeparato à Principibus ſecularibus ſcamno ſedent. Hi enim, cum ex inferiori, ut plurimum, proſapia ad faſtigium principale aſcendant, non ægre ipſis primum erant locum conceſſuri. Quamquam iſta virtus illis non ſine præmio fuit. Nam eo modo in Senatu Principum directorium, quod vocant, alternis vicibus cum Archiepiſcopo Salisburgenſi exercendum obtinuerunt. Iſta tamen tantum abeſt, ut abs quoquam cordato vitio ipſis verti queant, ut potius ſummæ ſtupiditatis deberent argui, ſi, occaſione ſeſe præbente, in commodum ſuum non ſolerter fuiſſent uſi. Sic ergo Auſtriaci ditione ſua complectuntur pleramque Germaniæ partem, quâ illa ad orientem vergit. Accedit regnum Hungariæ paulo minus quàm hereditario jure ad eandem ſpectans; quod inter alia huic quoque fini inſerviit, ut propugnaculi inſtar reliquis ditionibus Auſtriacis contra irruptiones Turcarum prætexeretur; & ut terrore belli Turcici pecunia Germani emungerentur.

§. 4. Probe autem obſervandum, Auſtriacos in ſua familia dignitatem Cæſaream tamdiu continuaſſe, non ſolum quod vix ulla ſit præter ipſam per Germaniam domus, quæ ejus faſtigii ſplendorem propriis reditibus tolerare queat: ſed etiam quod opes ſuas ita diſpoſuerunt, ut

nullo negotio peculiarem Remp. conſtituere poſſent, ſi contingat, alium ad Cæſareum munus vocari. Talibus enim ſibi proſpexere priuilegiis, ut ubi alterius Imperatoris autoritatem agnoſcere diſpliceat, ſtatim dicere queant, ſibi cum Germanico Imperio nihil negotii eſſe, ſuas ditiones ſeparatam efficere civitatem. Id quod non ſolum corpus Imperii inſigniter eſſet mutilaturum, avulſa tam inſigni parte, ſed etiam ad ſimilia molienda invitaturum, qui propriis ſeſe opibus ſubſiſtere poſſe confiderent, Imo exemplo ſemel introducto, etiam tenuiores diſpari eſſe conditione faſtidient. Sic demum ad faciem noſtræ Italiæ redigeretur Germania; quæ tamen an eodem modo ſeſe ſit conſervatura, mihi valde dubium videtur. Iſthæc autem non temere fingi, facile agnoſcet, qui noverit, regno Bohemiæ cum reliqua Germania nihil fere eſſe negotii, niſi in electione Imperatoris; aut qui pleraque privilegia domus Auſtriacæ paulo attentius conſideraverit. Pauca capita ex privilegio Caroli V. excerpſiſſe ſufficiet; in cujus exordio non diſſimulat communem hominibus affectum, ut ſuis familiis quam optime cupiant. Iubet Auſtriam eſſe feudum perpetuum, quod nulli Imperatorum tollere liceat. Iubet Auſtriæ Ducem eſſe Conſiliarium Imperii, ita ut ipſo inſcio nihil decerni queat. Et tamen ipſum ejuſque ditiones ab omnibus Imperii oneribus immunes declarat, utut Imperium iſtis tutelam præſtare debeat. Ergo in favorabilibus eſt membrum Imperii, in odioſis non item. Dux Auſtriæ non tenetur inveſtituram petere extra ſuas ditiones, ſed illa ipſi intra

easdem debet offerri. Scilicet quia ob nudam recognitionem feudalem inferiorem se Imperio agnoscere non vult: quasi ultro rogandus sit, ut Imperij Vasallus audire velit. Et insignia quibus, dum feudum accipit, utitur, satis arguunt, agendum cum ipso tanquam æquali, non tanquam subjecto. Potest quoque ad Comitia comparere, si velit, si nolit, non tenetur. Quæ gesserit in sua ditione, Imperatori corrigere non licet. Imperio in Austria feudum obtinere non conceditur. Subditi ipsius ad extranea judicia non trahuntur; à sententijs ejusdem provocatio non datur. Licet ipsi citra periculum receptare banno notatum, ut tamen actori requirenti justitiam administrari curet. Sed ab Austriaco proscriptus, ab alio, aut alibi quam in Austria, non absolvitur. Tributa nova in ditionibus suis pro arbitrio indicit. In ditionibus itidem suis Comites, Barones & Nobiles creat; id quod in Germania aliàs summi Imperij esse creditur. Denique ne obscurum sit, ipsum nihil juris Imperio in suas ditiones concedere, deficientibus masculis, ad fœminas devolvi easdem cautum est: aut si ne fœminæ quidem supersint, licebit easdem ultimo possessori transferre aut alienare, quocunque placuerit. Plura addere nihil attinet. Nam ista etiam modice sapientibus sufficere possunt. Sic simplices valde oportuit esse, qui non animadverterint ludibrium Caroli V. Belgium suum partem Imperij declarantis, magnifica cum pollicitatione, ut illud Imperio tantundem penderet, quam duo Electores. Nam ista omnia insumebantur in bellum Turcicum, adeoque ad conservatio-

nem ditionum Auſtriacarum. Et cum rationes tributi ad bellum Turcicum in manu Auſtriacorum fuerint, non valde rigidos habituri erant exactores Belgæ, ſi in portione ſua conferenda eſſent paulo ſegniores. Sic ut facile fuiſſet Italo alicui credere, pollicitatione ſua Carolum V. Germanis duntaxat voluiſſe animũ addere, ut eo promptius pro alienis rebus ſervandis ſua erogarent, cum videant ipſos Dominos in patrimonij ſui commodum aliquam oneris partem non defugere. Quanquam & alia fortaſſe ratio fuit, ut ſcilicet Philippo filio, ad Imperium adſpiranti, objici non poſſet, ipſum nullas in Germania habere ditiones, poſtquam Auſtriacorum in Germania patrimonium Ferdinando ceſſerat. An, ut eo nomine Germani obſtrictos ſeſe crederent ad mittenda auxilia, ſi quando Belgium à Rege Galliæ peteretur. Hodie maſcula ſtirps ejus domus ad duos tantum redacta eſt, Leopoldum Cæſarem, & Carolum Hiſpaniç Regem; & de hujus quidem vivacitate pauci ſibi ampliter pollicitentur: Illi autem ut fœcundum maſcula prole matrimonium contingat, multos Germanorum optare audivi; quod metus ſit, ne tam glorioſæ ſtirpis ultimus ſumtuoſis nimis certaminibus ſepulcralibus ſibi parentari poſtulet.

§. 5. Familia Comitum Palatinorum Rheni & Ducum Bavariæ circa antiquitatem nulli conceſſerit. Ampliſſimum quoque tractum ab Alpibus ad Moſellam uſque, duoſque inſuper Ducatus in confinibus Belgij ditione amplectitur. In duas lineas dividitur, Rudolfinam & Vvilhelminam.

Hæc jam olim Ducatum Bavariæ obtinuit, divitiarum opinione ſemper celebris. Proximo bello prædæ nomine acceſſit dignitas Electoralis, & ereptus cognato Palatinatus ſuperior. Sed & per integrum fere ſeculum Bavari obtinuere Electoratum Colonienſem, præter quem modernus poſſidet Epiſcopatum Leodienſem & Hildeſienſem. Linea Rudolfina in complures ſeſe ramos ſcindit. Capiti familiæ Electori Palatino Palatinatus inferior manſit, fertiliſſima regio, & amœnitate nulli Germaniæ parti cedens. Palatinus Neoburgicus prętcr ditionem ad Danubium, Ducatus Iuliaci & Montium jam tenet. Sunt præterea Palatini Sultzbacenſes, Simmerenſes, Bipontini, Birckenfeldenſes, Lautrecenſes, modicarum ditionum Domini. Dedit quoque familia Bipontina Suediæ Regem, Carolum Guſtavum, à quo prognatus, Carolus, hodie rerum potitur, licet adhuc minorennis, ad quem poſt pacem Oſnabrugenſem ſpectant in Germania Ducatus Bremenſis, Verdenſis & Pomerania anterior, cum Stetino, nec non Principatus Rugiæ & Dominium Wiſmariæ. Floret quoque hæc familia hodie Principibus inſigni laude celebribus. Nam uti Bavaros eximia pietas commendat; ita Electorem Palatinum, præter alias virtutes, rariſſima ſapientia inter ornamenta ſuæ nationis collocat. Nec minus inter prudentiſſimos Germaniæ Principes numeratur Neoburgicus, cui nonnulli Coronam Polonicam augurantur; non tam quod familiæ regiæ in Polonia per affinitatem ſit innexus, quam quia digniſſimus habetur. Sed & Princeps Rupertus merito Neptuni terror cluet.

§. 6. Duces Saxoniæ meditullium fere Germaniæ insident. Ad ipsos jam pertinet Misnia. Thuringia, & modica ad Albim regio, superioris Saxoniæ nomine: superior quoque & inferior Lusatia, nec non in Franconia Ducatus Coburgicus & Comitatus Hennebergicus: Regio alibi ubere agri, alibi metallis fœcundissima. Ista familia in duas lineas dividitur, Albertinam & Ernestinam. Ex illa est Elector cum tribus fratribus; inter quos secundo genitus ad vitam obtinet Archiepiscopatum Magdeburgicum. Ex hac est Dux Altenburgicus, Dux Gothanus, & quatuor fratres Wimarienses. Nec ulli ex omnibus puto sterile matrimonium contigit.

§. 7. Subeunt inde Marchiones Brandeburgici. Caput familiæ Elector latissimarum ditionum Dominus est. Præter Borussiam, quæ extra Imperium Romanum jam collocatur, quamque nupera cum Polonis transactione tanquam supremus princeps obtinet, subjectam habet Marchiam, Pomeraniam ulteriorem, in Silesia Ducatum Crossensem, Ducatum Clivensem, ditionem Marcæ & Ravensburgij. Pro parte quoque Pomeraniæ, quæ Suecis concessa,& aliàs ad ipsum post extinctam familiam Ducum Pomeraniæ erat devoluta, tanquam æquipollens accepit Episcopatus Halberstadiensem, Mindensem & Caminensem, & post obitum Augusti Saxonis Archiepiscopatum Magdeburgicum; ditiones amplas juxta & fertiles, & tamen credunt nonnulli, maluisse eum pro hisce Pomeraniam integram retinere. Memini, cum nuper ex Germania reversus Patavij in conventu quodam, cui

aliquot Marchiones ex Italia & Gallia intererant, narrarem, laudatum Principem ducenta milliaria Germanica in longitudinem posse conficere per suam ditionem, ut noctu in alieno territorio diversari necessum non haberet; (nam ea uno & altero in loco per intermedia territoria interrumpitur,) plerosque præsentium commune peregrinantibus vitium mihi impegere. Et periclitabatur fides mea apud nostrates, quos nescio quam ægre natale solum abs se dimittit, ni veteranus aliquis militum tribunus, qui diu in Germania stipendia fecerat, & quem in istius Principis aula quondam agnoveram, subsidio dictis meis venisset. Nam erubescebant nonnulli, apud nos & in Gallia multos Marchionum titulo superbos incedere, qui vix ducenta jugera agri possiderent. Vsque adeo ignorabant, toto cœlo Germanos Marggravios à nostratibus Marchesis differre. Sunt & alij Marchiones Brandeburgici in Franconia, qui, ni fallor vetus patrimonium Burggraviorum Noribergensium possident, & in Culmbacenses atque Onolzbacenses dispescuntur.

§. 8. Familijs Electoralibus succedunt aliæ principales adhuc superstites. Quarum, cum nonnullas inter sese super præcedentia contendere norim, ita recensionis hujus ordinem velim accipi; ut ne quod inanibus istis litigijs præjudicium creetur, Duces Brunsvicenses & Luneburgenses validissimam in Saxonia inferiori ditionem possident. In duos sunt divisi ramos. Ad unum pertinet Ducatus Brunsvicensis, quem jam tenet Princeps ætate provecta. Ducatum

Luneburgensem duo fratres inter se divisere; quorum unus Cellis residet, alter Hannoveræ. Tertius fratrum jam Episcopatum Osnabrugensem tenet. Mechelburgensibus Ducibus mediocris à mari Baltico ad Albim tractus possidetur. In duas hodie Lineas discesserunt, Suerinensem & Gustroviensem. Dux Vvürtenbergicus in Suevia, ampla nec invalida regione gaudet. Ejus agnatus in extrema Germaniæ ora Comitatum Mumpelgardensem obtinet. Landgravijs quoque Hassiæ latum territorium subjicitur. In duas lineas distinguuntur, Cassellanam atque Darmstadiensem. Marchiones Badenses longum districtum ad dextram Rheni ripam possident; qui itidem in duas lineas separantur, Durlacensem & Badensem, seu quæ Badenis præcipuam sedem habet. Duces Holsatiæ partem Chersonesi Cimbricæ tenent, ob commoditatem maris utrinque alluentis opulentam. Quantum Holsatię ad Imperium Germanicum pertinet, à Rege Daniæ & Duce Gottorpiensi gubernatur, qui posterior etiam Episcopatu Lubecensi fruitur. Nam Ducatus Slesvicensis à Germania non dependet. Ad Ducem Saxo Lavenburgicum modica in Saxonia inferiori ditio, & par fere ad Principes Anhaltinos in superiori Saxonia spectat.

§. 9. Et isti sunt antiqui Principes. Nam Duces Sabaudiæ & Lotharingiæ, utut feuda quædam ab Imperio Germanico recognoscant, & eo nomine in Comitiis sessionem obtineant, rationes suas, ob situm ditionum, fere à Germania separatas habent. Cæterum Ferdinandus II. cui, ut

nonnulli crediderunt, in animo erat, redacta in ordinem Principum potentia, abſolutum ſibi Imperium adſtruere, inter alia iſti fini hoc quoque adhibere inſtituit, ut in ordinem Principum nonnullos eveheret, ſibi potiſſimum obnoxios. Nam horum opera credebat ſeſe adæquaturum aut ſuperaturum ſuffragia antiquorum Principum, ſi fortè Comitia univerſalia forent cogenda; à quibus aliàs iſte vehementer abhorrebat. An ut oſtentaret, non eſſe, quare antiqui Principes tantopere faſtigio ſuo ſuperbirent, cum in proclivi ipſi foret, quantumvis numerum in parem cum iſtis locum provehere. Et periclitabatur ſine dubio antiquarum familiarum eminentia, ſi Cæſari tam facile foret novum territorium creare, quam titulos largiri. Ex his qui in Comitiis ſeſſionem, utut faſtidioſe, obtinuerunt, quantum mihi conſtat, ſunt Principes ab Hohenzollern, Eggenberg, Naſſau Hadamar, & Naſſau Dillenburg Lobkovvitz, Salm, Dietrichſtein, Aversberg, Picolomini. Verum quia Ferdinandi conſilia ſucceſſus deſtituit, nec iſtorum opes cum antiquorum Principum potentia ullo modo comparandæ; parum quoque momenti contra eoſdem feciſſe hactenus deprehenſi ſunt. Quin & iſtorum dicacitatem quandoque experti ſunt, (prout ſemper novitas aliorum antiquis nobilibus eſt faſtidio,) ipſos nihil aliud eſſe lucratos, quam ex opulentis Comitibus facti ſint pauperes Principes. Quaſi vero non omnis nobilitas aliquando nova fuerit; aut his ſucceſſu temporis majores opes non poſſint obvenire. Et ſi facillima ad eaſdem via ſit intercluſa, dum Imperatori

ratori non licet feuda vacantia Imperii, quæ alicujus ſint momenti, in quemcumque placuerit, conferre.

§ 10. Alteram claſſem Principum per Germaniam conſtituunt Epiſcopi & Abbates. Hos etſi ex vulgari ſæpe nobilitate, aut Baronum Comitúmve dignatione, electio Canonicorum ad iſtud faſtigium provehat; in Comitiis tamen aliiſque actibus priori fere præ ſecularibus loco potiuntur. Scilicet poſtquam recentiorum fortuna Sacerdotum immane quantum à tenuibus antiquiſſimorum rebus diſceſſit, abſurdum fuerit illos amplius adſtringere velle obſoletis legibus, ſuper modeſtia ejus ordinis hominum à Salvatore promulgatis. Et fortaſſe iſtæ leges ad primæva illa tempora duntaxat debebant valere. Nam id revera ridiculum erat, homines piſcatores, aut textores ambitioſe priorem locum affectare, quibus in diem victus labore manuum aut ſtipibus collatis quærebatur. Et ſi autem per totum orbem Chriſtianum, qua Catholici ritus vigent, magna ſit Sacerdotum autoritas, & fortuna lautiſſima; nuſquam tamen, quam in Germania tantæ ſunt ipſorum opes, tanta potentia. Neque multos eorum à Principibus ſecularibus differre videas ditionum amplitudine, aut adparatus domeſtici ſplendore. Par quoque in ſubjectos juriſdictio, & poteſtas. Nonnullis quin etiam acrior galearum, quam tiaræ amor, & non paulo efficacior vis in accendendo Marte, turbiſque patriam ſuam & vicinos involvendi, quam in propaganda pietate. Frequentiores tamen hodie, quam olim ſunt, quos non pudet ſacris ordinibus initiari, & ſe-

mel aut bis per annum ſpecimen edere, quàm ſolerter calleant exprimere auguſtiſſimi ſacrificij geſtus. Cæterum cum quondam ipſorum opes ſecularium Principum ditiones ſuperarent, aut ſaltem æquarent, non exiguum eædem detrimentum paſſæ ſunt occaſione reformatæ per magnam Germaniæ partem religionis, & per pacem Vveſtphalicam Nam per circulum Saxonicum ſuperiorem & inferiorem pauciſſima Sacerdotibus remanſere. Principibus ſuperioris Germaniæ, ſi Ducem Vvürtenbergicum excipias, parcior præda. Cauſam adſignaveris, quod Saxonibus minor ex Carolo V. Cæſare metus, quam iſtis, quos vicinia ſuarum ditionum, aut præſentia premebat. Quin & diſperſæ magis in iſto tractu Sacerdotum ditiones, & validiorum intercurſu Principum preſſæ. Per ſuperiorem Germaniam contiguas magis poſuere ſedes; & præprimis totum Rhenum, qua parte lætiſſima eſt Germania, obſederant, niſi tam decoram ſeriem Electoris Palatini terræ interrumperent, quem, credo, vel ob ſolam hanc cauſam iſti parum blando oculo adſpiciunt.

§. 11. Principatus igitur Eccleſiaſtici, qui nondum in Proteſtantium ditionem pervenere, hi fere ſunt. Tres Archiepiſcopatus, Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis, quibus dignitas Electoralis annexa. Archiepiſcopatus præterea Saliſburgenſis & Veſontinus in Burgundia. Nam Magdeburgenſis jam merum ſeculum olet. Simplices Epiſcopatus ſunt Bambergenſis, Vvürtzburgenſis, Vvormatienſis, Spirenſis, Aichſtetenſis, Argentoratenſis, Conſtantienſis, Auguſta-

nus, Hildesiensis, Paderbornensis, Freisingensis, Ratisbonensis, Passaviensis, Tridentinus, Brixiensis, Basileensis, Leodiensis, Osnabrugensis, Monasteriensis, Curiensis. Inter Episcopos primum locum obtinet Magister Ordinis Teutonici Equitum. Observandum tamen, hodie quosdam duos pluresve Episcopatus conjunxisse; vel quia unius reditus parum sufficere videbantur ad sustinendum splendorem aulæ principalis, vel ut æmulis suis magis essent formidabiles. Episcopatus Lubecensis, preterquam quod religionem Protestantium induit, paulo minus quam in patrimonio Ducum Holsatiæ censeri potest. Inter Abbates sive Prælatos, qui Principum dignitate fulgent, sunt Fuldensis, Kemptensis, Elvvangensis, Murbacensis, Luderinus, Magister Equitum Ordinis S. Ioannis, Abbas Berchtesgadensis, Vveissenburgicus, Prumiensis, Stabulensis, Corvejanus. Reliqui Prælati, qui Principes non sunt, in duas classes dividuntur, Suevicam & Rhenanam, quarum utraque unum in Comitiis suffragium fert. Isti dignitate Comitibus pares, habentur.

§. 12. Comitum quoque & Baronum per Germaniam longè splendidior conditio, quam in aliis regnis. Nam iisdem fere juribus, quibus Principes, fruuntur, & antiqui Comitatus sat ampla plerique territoria complectuntur; cum alibi sæpe modici Dominum prædij titulo Comitis superbum videas incedere. Et si quibusdam familiis non parum nocuit ditionis in plures fratres divisio, magnum illustribus domibus malum, & non nisi inter plebejos æquitatis aut pietatis

nomine excuſatum. Nonnullos etiam ſupina patrimonij cura, ſumtuumque luxuria non parum adflixit. Hodie Comites iſti in Comitiis quatuor ferunt ſuffragia; unum Vvetteravici, alterum Suevici, tertium Fraconici, quartum Vveſtphalici. Qui mihi innotuere hi fere ſunt. Comites de Naſſau, Oldenburg, Furſtenberg, Hohenlohe, Hanau, Sain & Vvitgenſtein, Leiningen, Solms, Vvaldek, Iſemburg, Stolberg, Vvied, Mansfeld, Reuſſen, Ottingen, Montfort, Konigſeck, Fugger, Sultz, Cronberg, Sintzendorf, Vvallenſtein, Pappenheim, Caſtell, Levveuſtein, Erbach, Limburg, Schvvartzenburg, Bentheim, Oſtfriſland; (qui hodie Princeps audit (Lippe, Rheni & Sylvarum, Rantzovv. & plures fortaſſe, quorum ſplendori uti noſtrum ſilentium non obſtabit; ita illos, quos nominavi, in juſtum diſponere ordinem meum non fuit. Sunt præterea non pauci Comites & Barones in ditionibus Cæſaris hæreditariis aut recens in eum ordinem evecti, qui cum aliis ſtatibus ſubſint, in Comitiis locum non inveniunt. Eos recencere noſtræ non eſt operæ.

§. 13. Eſt præterea non exiguus per Germaniam numerus liberarum urbium, quæ, quod nulli Statuum, ſed Imperatori & Imperio immediate ſubſunt, Imperiales vocantur. In Comitiis peculiare collegium conſtituunt, in quo in duas claſſes, (vulgo ſcamna vocant) ſeparantur, Rhenanam & Suevicã. Præcipuæ inter iſtas ſunt Noriberga, Auguſta Vindelicorum, Colonia, Lubeca, Vlma, Argentoratum, Francofurtum, Ratisbona, Aquiſgranum. Mediocres, Wormatia, Spira, Colmaria,

Memminga, Eslinga, Halæ Suevorum, Heilbronna, Lindavia, Goslaria, Mulhusium, Northusium. Reliquæ libertatem magis suam, quam ocps possunt jactare. Harum urbium ante seculum unum atque alterum magna erat potentia, & ipsis Principibus formidabilis. Hodie plerarumque opes accisæ, nec frustra aliqui augurantur fore, ut aliquando penitus sub jugum mittantur. Saltem Episcopi non obscure minantur illis, in quibus cathedrales ipsorum Ecclesiæ extant. Sed & sunt quædã validissimæ urbes, quæ libertatem non ita liquido jure usurpant. In Hamburgum enim, opulentissimam totius Germaniæ, jus prætendunt Duces Holsatiæ. Etsi vicinorum æmulatio nunquam videatur concessura, ut Rex Daniæ tam opimo bolo potiatur. Cum Brema Suedis negotium est, qui citra istam Ducatu suo nunquam satis cautum credunt. Et fortasse non absurde suspicantur, in suam fraudem eam inter liberas civitates in Comitiis anni 1641. receptam, cum jam tum suboleret, illum Ducatum in ipsorum manus perventurum. Brunsviga Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium territorium valde deformat, interjectu suo bene cohærentem compagem intersecans. Quamquam ut Hildesiam Episcopus suus opprimat iidem Duces non facile videntur concessuri. Electorem Brandeburgicum nimiæ urbium suæ ditionis libertati non favere in aperto est. Vnde Magdeburgo fortasse aliqua mutatio post obitum Augusti Saxonis imminet. Ambiguam non ita pridem conditionem deseruere Erfordienses; qui uti propter stoliditatem & ignaviam libertate indi-

gni adparuere; ita cur Saxones arcem Thuringiæ non suam potius fieri maluerint, cordatiores nondum satis digerere possunt. Nam Batavos quidem satis puto pœnituit, quod Monasteriensibus contra Episcopum suum suppetias non tulerint; præsertim cum speciosum foret, qui libertatem suam armis in Principem sumptis deberent, similia molientes non deserere.

§. 14. Equestris Ordinis in Germania duplex est conditio; pars enim immediate Imperatori & Imperio subest, pars alios status Dominos agnoscit. Qui ad priorem classem pertinent, vocare sese sueverunt Liberos Imperij Nobiles, & conjunctim Immediatam & Liberam Imperij Nobilitatem. Iidem, pro districtibus, in quibus prædia possident, dividuntur in classem Franconicam, Suevicam & Rhenanam, quarum singulæ iterum in minores particulas dispescuntur. Iidem ex suo ordine certos habent Directores, & Assessores, quibus negotia ipsorum rem communem spectanctia curæ sunt. Interdum etiam, si quid majoris momenti inciderit, conventus agitant. Ad Comitia tamen Imperij non vocantur; quod ipsi in favorem sui interpretantur, ut sumtibus ibi requisitis possint supersedere, & sane parum iisdem profuturum erat, unum atque alterũ suffragium ibidem ferre posse. De cætero patibus fere cum reliquis statibus libertate & juribus gaudent, ut ad Principum fortunam nihil ipsis desit, præter opes. Insigne quoque in eosdem redundat emolumentum ex Canonicatibus & beneficiis Ecclesiasticis, per quæ facillimus est ad fastigium principale adscensus. Eo provectos

familiis suis laute ipsos posse prospicere, vel sanctissimi Patris nostri exemplo potuerant discere. Præterquam quod nescio quam jucundum sit, opimos reditus citra ullum laborem per otium posse consumere. Nam etiam per Vicarios templa clamatoribus complent, ut nullus raucedinis metus nisi ex crapula immineat. Cœlibatus incommodis facile venales puellæ medentur; nam qui se propter regnum cœlorum castraverit, nondum videre contingit. Continentiæ autem donum in homine nobili æque turpe, quam canibus & equis non gaudere. Cæterum non paucos querentes audivi, Principes quosdam suæ libertati non obscure imminere, seque ab iisdem parum propitio vultu adspici, quod cum in mediis ipsorum territoriis sedes habeant, tanta tamen libertate gaudeant. Quinimo à nonnullis jactarri, tantam multitudinem minutorum regulorum parum facere ad validitatem magnorum Imperiorum. Quod si externum bellum ingruat, ipsos utrique parti in prædam cedere. Enimvero neque Nobiles propter incertum periculum certam libertatem projicient. Nec temere reliqui sunt passuri tantam accessionem paucis Principibus accrescere; ni magna aliqua rerum conversio occasionem pandat, aut lento temporum lapsu, & per subtiles artes attritæ Nobilium opes corruant.

§. 15. Paucis heic quoque monendum, vastum istud Imperium dividi in decem regiones, seu circulos, uti vulgo vocant, ex instituto Maximiliani I. anno 1512. quorum nomina ista sunt: Austriacus, quatuor Electorum ad Rhenum,

Rhenanus superior, Suevicus, Bavaricus, Franconicus, Saxonicus superior, Saxonicus inferior, Vvestphalicus, & Burgundicus. Regnum Bohemiæ cum adjuncta Silesia & Moravia ad nullum circulum pertinet, neque peculiarem constituit, liquido argumento, fœdere id magis Germaniæ innecti, quam in eandem cum ipsa civitatem coaluisse. Quæ cujusque circuli membra sint, passim in vulgaribus libellis expositum invenias. Spectat ea divisio potissimum ad commodiorem defensionem pacis publicæ, & exsecutionem justitiæ contra status contumaces. Cui fini etiam singuli sibi possunt eligere ducem, penes quem summa sit militiæ, & conventus agitare, convocari solitos per primarium Circuli Principem; in quibus cum de aliis ad defensionum circuli spectantibus, tum etiam de re monetaria tractatur. Quanquam an non & eadem divisio ad distractionem Germaniæ faciat, dum quæ unum circulum adfligunt mala, reliquos segnius afficiunt, non immerito dubites. Hæc de partibus Germanici Imperii.

CAPVT III.

De Origine Statuum Imperij, & quibus gradibus ad istam potentiam ascinderint.

§. 1. AD accuratam Imperii Germanici notitiam comparandam cumprimis necessarium est inquirere, qua via illi, qui status Imperii vocantur, ad tantas opes pervenerint.

Citra hoc enim hautquidquam perſpiciemus cauſam, quare iſta Reſpubl. tam irregularem formam induerit. Cum autem ſtatus iſti ſint vel Principes ſeculares & Comites, vel Epiſcopi, vel Vrbes; igitur de ſingularum harum claſſium origine paucis inveſtigabimus: Principes Germaniæ ſeculares gerunt titulum vel Ducum, vel Comitum cum aliqua adjectione in ipſorum lingua, qua audiunt Pfaltzgravij, Landgravij, Marggravij, & Burggravij. Nam quantum memini præter novitios illos Principes ſoli Anhaldini nudo vocabulo Principum utuntur; niſi quod nonnulli aliis ſuis titulis eundem interjectum habent. Sic Auſtriaci vocant ſe Principes Sueviæ; Duces Pomeraniæ, & nunc Reges Sueciæ, Principes Rugiæ; Landgravij Haſſiæ Hirsfeldiæ, &c.

§. 2. Inter priſcos ergo Germanos, ante Imperium Francorum, militare erat officium Ducum, arguente ut ſatis Teutonico vocabulo Heerzog, qui in plurimum ex opinione virtutis legebantur, quando neceſſitas bellandi ingruebat. In pace qui civitates gubernabant, & per pagos vicoſque jus dicebant, ex nobilitate fere electi Greven ſive Graven vocabantur; Latine Præſidem rectius diceres, etſi pro eo vocabulum Comitis magis arriſit. Nam ex uſu ſeculorum à Conſtantino M. Comites audiebant, qui miniſteriis aulicis præerant, aut qui in provinciis milites regebant, jurive dicundo operam dabant. Franci poſtea, cum Alemanniam & alia Germaniæ loca ſibi ſubieciſſent, ad me

rem Romanorum, de victis provinciis Duces imposuerunt, id est, Præsides admininistrandis militiæ pacisque negotiis; quibus interdum Comites adiuncti dicundo iuri. Quædam etiam provinciæ Comitibus solis sine Ducibus regendæ tradebantur. Omnis tamen horum potestas non alia erat, quam Magistratus propriè dicti. Successu tamen temporis factum, postquam isti Duces ad vitam constituerentur, & patribus plerumque filii surrogarentur, ut, nacti tam egregiam occasionem proprias opes stabiliendi, paulatim Regum suorum autoritatem leviorem habere, & provincias sibi concreditas velut in patrimonio suo cœperint numerare. Neque verò magis exitiabilis Monarchiis error accidere potest, quam si ejusmodi administrationes fiant hæreditariæ, ubi præprimis eædem rem quoque militarem complectantur. Sicut risum vix tenere possem, cum legerem apud quosdam Scriptores Germanicos, istud quasi laudabiliter & prudenter factum defendi. Nam est quidem regia laus bene meritos magnificis mactare præmiis. Verum si Dominus omnes servos suos libertate velit donare, ipse deinceps sibi puto calceos purgabit. Et magis quidem obstringitur bono aliquo pater, quod in filium se transmissurum novit: sed quo ardentius filium amat, eo magis dabit operam, vt in bonum istud alteri quam minimum juris sit. Sic majori cura solemus prosequi res nostras, quam alienas. Sed non ideo bonus paterfamilias statim feudum suum colono donat. Vt rebellionibus Præsidum obviam eatur,

minus sumptuosa dantur remedia, quam ut provinciarum administratio hæreditario jure ipsis concedatur. Illud vero insigniter stultum, imperantis Majestatem inde æstimare, quod multos in sua ditione habeat, qui ipsius imperium impune possint spernere. Plura addere putidũ foret. Nam ad hominum istorum stuporem convincendum sufficere illud unicum potest, quod Italicis, Gallicis Hispanicisque Scriptoribus non erubescant opponere Iuris sui Publicis Consultos: quorum plerosque civilis prudentiæ rudimenta non intellexisse, obortivi ipsorum libelli testantur.

§. 3. Cæterum Carolus M. animadverso majorum errore plerosque Ducatus, lata nimis spatia complexos, sustulit, & provincias ampliores in plures divisit partes, easque Comitibus regendas tradidit. Horum aliqui simplex Comitum nomen retinuerunt. Aliqui dicti Pfaltzgraven seu Paltzgraven, Comites Palatini, præfecti palatii regii, quique adeo in aula regia jus dicerent. Aliqui Landgravii, q. d. Comites provinciæ integræ impositi. Aliqui Marggravii, præfecti limitaneis locis, ad repellendas hostium incursiones, simulque dicundo juri. Aliqui denique Burggravii q. d. præfecti arci alicui regiæ. Et isthæc quidem munia ac dignitates Carolus haudquidquam in perpetuum aut jure hæreditario viris strenuis concedebat; sed ut revocandi, & in alios conferendi libera potestas foret. Post Carolũ tamen ad antiquum errorem reditum, & præterquam quod in istis magistratibus filii fere patribus surrogati etiam ex coalitione plurium Comitatuum, aut voluntate posterorum Caroli, aliquot

Ducatus instituti, magna terrarum spatia amplexi. His præfecti, genio ambitionis humanæ, ignavum ducebant occasione proprias stabiliendi opes non solerter uti, dum Francorum Imperatorum autoritas magis magisque evilesceret, intestinis discordiis convulsa potentia. Cumprimis Dux Saxoniæ Otto, Henrici Aucupis pater, validissimam sibi se habens nationem, eousque se confirmavit, ut ad regium imperium nil præter nomen ipsi deesse videretur. Inde cum Conradus I. Imperator in ordinem redigere ejusdem filium Henricum frustra agitasset, tandem moriturus autor fuit Proceribus, ut in istum regiam dignitatem conferrent; consultius credens ultro dare, quod per vim ipse sibi sumere poterat, aut ne iste à reliquo sese corpore Germaniæ separaret. Sunt tamen etiam Principes, qui opes suas liberalitati Imperatorum in acceptis referunt; cujus rei exempla præprimis in historia Ottonum occurrunt. Quæ tamen an ad leges Monarchiæ fuerint attemperata, jam inquirere non vacat. Incrementa porro potentiæ suæ Principes debent donationibus Imperatorum, emtionibus, hereditatibus non solum iure sanguinis, sed etiam per pacta de mutua successione, (Germani confraternitates hereditarias vocant,) delatis. Quale pactum adhuc exstat inter potentissimas domus Saxonicam, Brandeburgicam & Hassicam. Ex tali pacto etiam ad Saxones devolutus Comitatus Hennebergicus; ad Brandeburgicum Pomerania, etsi hoc pactum non fuerit reciprocum. Qualibus pactis tamen potestatem Imperatoris, quam in ditiones Principum, tanquam Dominus feudi, ob-

tinet, penitus eludi, in aprico est. Quædam denique à nonnullis per vim occupata inter turbas Reipubl.

§. 4. Cæterum cum ſine perturbatione totius Germaniæ, & fortaſſe non ſine exitio convellentium parta ſemel Principum potentia convelli non poſſet, ſatius viſum Regibus, præſertim poſtquam alia conditione in regnum ipſos non eſſent adſcituri Principes, poſſeſſionem eorundem confirmare: ita ut deinceps ditiones ſuas tanquam feuda ab Imperatore recognoſcerent, & fidem eidem atque Imperio jurarent. Et exinde factum, ut quocunque modo partæ opes Principum, feudi titulo poſſideri dicerentur. Non tamen multum potentiæ & faſtigio Principum Germaniæ per vocabulum Vaſſaliorum deceſſit. Equidem cui de meo in feudum aliquid concedo, eundem & in plenum, utut honoratiorem, ſubditum mihi adſciſcere poſſum, & quas placeat leges ipſius poſſeſſioni præſcribere. Sed qui bona jam antea parta, ab altero tanquam feuda deinceps vult recognoſcere, ille nihil aliud agere eſt intelligendus, quam ut iſti, quem Dominum feudi ſalutat, ſeſe tanquam inæqualiter fœderatum adjungat, iſtiuſque majeſtatem comiter colere teneatur. Atqui extincta ſtirpe Carolina in plenam libertatem evaſerat Germania, & jam tum complures Proceres amplas ſibi ditiones quæſiverant. Poſtquam igitur placebat regium nomen alicui ex Proceribus deferre, ne in antiquam iterum faciem Germania, in modicas civitates divulſa, rediret, hautquidquam credere licet, Proceres opes ſuas voluiſſe projicere,

aut absoluto alterius dominio subjicere; sed potius validum sibi earundem protectorem quærere, Introducto semel & confirmato Principum statu, in parem cum antiquis fortunam evehi conveniens erat, si quos deinceps ultro Imperatores eo titulo, in locum extinctarum familiarum, dignabantur. Nexum isthunc feudalem, quo Principes Imperatori adstringuntur, nil aliud fere efficere, quam conditionem inæqualiter fœderati, facile agnoscet, cui scientiæ civilis solidior intellectus. Nam id quidem cum persona subditi consistere non potest; in ditionis suæ cives jus vitæ & necis habere, in eadem magistratus pro lubitu constituere, fœdera inire, omnis generis reditus non fisco regio inferre, sed sibi retinere, denique nihil præstare, nisi in quod ultro consenseris: Coërceri autem per reliquos socium enormiter in leges fœderis peccantem posse, compluribus antiquis & recentibus exemplis constat. Sed solum Imperatorem cognoscere super causis, quibus Princeps sua ditione ejici mereatur, uti fundamenta potentię Principum Germanię erat convulsurum; ita talia tentantibus Imperatoribus qui acriter contradixere, per ignavam reverentiam sua jura prodere turpe judicarunt.

§. 5. Quod ergo in omnibus imperiis accidit, in quibus subiectorum potentia imperantibus est formidabilis, id multo manifestius ex eo tempore in Germania usu venit; ut si quis Imperator propriis opibus, aut eximia opinione virtutis polleret, Principibus etiam uteretur obsequentibus; debiles aut ignavi fere precario regnarent. Et qui tam profunde radicatam potentiam con-

vellere, & ſub leges veræ Monarchiæ Germaniam revocare conati ſunt Imperatores, interdum ſibi ipſis exitium invenerunt; ſemper ſpe ſua exciderunt, & præter moleſtias ſibi aliiſque conciliatas nihil ſunt lucrati. Nec qui aſtu graſſati ſunt multum profecere; cum altera ex parte ſemper fuerit repertum, quo machinationes illæ eluderentur; & ſi quid ablatum, alia id via penſatum fuit. Sic quam infeliciter ceciderint ſuperiori ſeculo Caroli V. & hoc noſtro Ferdinandi II. conatus, notiſſimum eſt. Nonnullorum tamen Principum vires inſigniter imminuit ipſorum luxuria, ſocordia & prodigalitas, & quod rei augendæ aut ſervandæ nullam omnino curam haberent. Nec paucæ familiæ ideo debilitatæ, quod ditiones ſuas in plures particulas inter cognatos diviſerint. Aliquos etiam præter ſuam culpam bellorum civilium calamitas afflixit.

§. 6. De Epiſcopis nunc quoq; aliquid addendum. Conſtat igitur ab initio rei Chriſtianę, Epiſcopos à reliquo Clero & populo fidelium fuiſſe electos & conſtitutos. Poſt, circa ſeculum quartũ, cũ etiam Principes Chriſto nomina dare inciperent, paſſim invaluit conſuetudo, ut qui Reip. ſumma cum autoritate præeſſent, non temere paterentur aliquem ad Epiſcopatum adſpirare, niſi accedente ſuo cõſenſu. Scilicet cũ intelligerent, quantum ad tranquilitatem Reip. faceret, bonos & pacificos viros ſacra tractare. Atque idem jus etiam exercuere Reges Francorum, ut ij in ſuo regno eſſent Epiſcopi, quos ipſi ſuo ſuffragio cõſtituiſſent. Et eandem poteſtatẽ uſurparunt Imperatores Germanici uſq; ad Henric. IV. quem Gregor. VII. & ſucceſſores ob eam cauſã miris modis exagitarũt.

Donec tandem tot turbis fessus ipsius filius Henricus V. anno 1122. in Comitiis Vvormatensibus renunciavit iuri Episcopos constituendi, & investiendi, id quod olim fiebat tradito annulo & baculo. Imperatori remansit potestas electo Episcopo conferendi regalia & feuda Imperii, adhibito ritu tradendi sceptri. Quo ipso quantum detrimenti res Imperatoris ceperint; nemo non perspicit. Nam utut in seculares Principes parum fuisset potestatis; horum tamen vires æquare aut superare facile erat, obnoxiis Imperatori Sacerdotibus. Cæterum etsi in conventione Henrici V. cum Pontifice expressum foret, ut deinceps electio Episcoporum esset penes clerum & populum; tamen Canonici sive Capitulares Ecclesiarum Cathedralium electionem sibi solis vindicare cœperunt; connivente sine dubio Pontifice, è cujus re videbatur penes paucos potius, quam universos electionem esse. Demum eo res devenit, ut à Capitulo electorum Episcoporum confirmatio Roma peteretur; cum antea illa, uti & consecratio ad Metropolitanos spectaret. Per provisionem constitutorum à Pontifice Episcoporum rariora apud Germanos exempla. Nec crediderim taliter submissum à Capitulis agnitum iri.

§. 7. Debent autem Episcopi Germaniæ opes suas amplissimas liberalitati potissimum primorum Imperatorum. Scilicet fervens eo tempore Principum animos insidebat pietas; & quo quis plura in Sacerdotes profudisset, eo arctiore sibi nexu Numen obstringi credebatur. Quæ tamen opinio jam apud multos exolevit, qui, nescio

nescio quam recte, autumant, studium excolendæ pietatis apud Sacerdotes per nimiam opulentiam suffocari potius, quam ali. Videtur quoque non paucis Sacerdotibus sat constantiæ fuisse, ut apud probos istos homines parum trepide precarentur, quibus professionis suæ asperitatem molliri posse apparebat. Donati ergo Episcopis & Ecclesiis non solum fundi, decimæ, aliique reditus, sed etiam integra dominia, Comitatus & Ducatus; Imo & regalia iura addita; sicut demum secularibus Principibus exæquarentur. Etsi ad fastigium Principale plerique tempore Ottonum & deinceps evecti; nec jura regalia omnes simul & semel acceperunt, sed paulatim, & diversis temporibus. Vnde factum, ut quidem adhuc aliqua parte istorum jurium destituantur; aliqui cum certa restrictione eadem possideant. Ad tantam dignitatem ut adscenderent, illud quoque non parum momenti attulit, quod nobilissimi quoque homines ad munia sacra adspirarent; quodque barbaris istis seculis soli fere qualemcunque literarum cognitionem haberent, qui sacris sese addixissent. Inde mature Episcopi ad consilia in aulis adsciti, illisque officiis præfecti, quæ sine adminiculo literarum obiri nequeunt. Inde adhuc Cancellariorum dignitate primores Præsulum fulgent. Crediderim quoque Epicoporum bona non parum aucta, quod multi Principes atque Nobiles bona sua, aut partem eorundem ab Episcopis ultro tanquam feuda voluerint agnoscere, ut eo curatius ipsorum salus per Cleri o Deo commendaretur. Eorum familiis extinctis, bona Episcopatibus

accreſcebant. Denique quantum per donationes & teſtamenta Procerum juxta, ac plebejorum in Clericos divitiarum ſit collatum, quis ignorat? cum quantovis pretio redimendas judicarent Purgatorij uſtulationes, quas ſitis alioquin, & æſtus impatiens natio miris modis formidabat.

§ 8. Poterat jam ſacerdotes ſuæ fortunæ non pœnitere, utut vel maxime ambitionem, & avaritiam non penitus ejuraſſent. Enimvero prout id genus hominum Imperij in alios avidiſſimum, cæterorum in ſe poteſtatem ægerrime ſuevit ferre; ita hoc unum ad perfectam felicitatem deeſſe videbatur, quod in Imperatoris manu foret tam luculenta beneficia diſtribuere, cui eam ob cauſam peculiariter obſtricti cogebantur vivere. Ni ſanctiſſimi ordinis reverentia obſtaret, improbiſſimos mortalium dicerem, qui munificentia Imperatorum, uti eventus oſtendit, valde inconſulta ad deſtruendum faſtigium Imperatorium ſunt abuſi. Nec libertate dignum putaverim, qui manumiſſorem in patroni loco colere adſpernatur. Vt igitur Laicorum Imperio ſeſe penitus ſubduceret Sacerdotum natio fulmina Pontificis, & tubæ per Præſules Germanos ſtrenue excitatæ, demum effecerunt. Neque prius negotium faceſſere Imperatoribus deſierunt, ante ſignano vtplurimum Moguntino, quem reliquus grex fideliter ſequebatur, donec abs ſolo Pontifice ipſis pendere liceret. Quo ipſo graviſſimum contraxiſſe morbum Reſp. Germanorum à plurimis creditur, quod magna pars eorum, qui cives ejuſdem audiunt, ſuperiorem agnoſcat, qui extra ipſorum Remp. eſt

constitutus. Ni forte credere velimus, tam efflictim deperire eam nationem Pontifices, ut ipsius salute nihil antiquius ducant; meliusque Romæ perspici, quid Germaniæ ex usu sit quam in ipsa Germania.

§. 9. Superest, ut de liberis quoque urbibus aliquid addamus. Ad seculum ergo à Christo nato quintum Germania trans-rhenana vicos duntaxat mœnibus carentes, aut dispersa habebat ædificia. Imo ad seculum usque nonum unius tantum aut alterius apud Venedos urbis mentio fit; Etsi mature urbes extiterint in partibus cis-rhenanis, Romanorum ditioni quondam subjectis; uti & in tractu Danubio atque Alpibus interjecto, qui deinceps Germaniæ adcrevit. Nullæ autem antiquis istis urbes, partim propter insci tiam ædificandi, quam adhuc plurima Germaniæ loca præ se ferunt; partim propter ferociam gentis, quæ ista velut claustra aversabatur, & quod summam fere voluptatum venatione nobilissimi quique metirentur. Neque vero commoda urbium satis intelligebant, aut valdè desiderabant, queis simplex agrestisque victus, vilis suppellex, adparatus tenuis, superfluarum opum, aut deliciarum nulla notitia, aut cura. At vero postea per religionem Christianam mitigati animi cultiorem vitam patientius ferre didicerunt. Subiit paulatim habendi amor, & exquisitior luxuria aliunde invecta; quorum utrique ex urbibus multa accedunt alimenta. Principes quoque ad tantas opes provecti ostentatione divitiarum struendis sese urbibus dare, rurestresque aut extraneos, ut eo concederent,

multis immunitatibus invitare. Præprimis cum post introductam religionem Christianam multis in locis servitus exolesceret, aut laxior redderetur; liberti, quibus nulli agri, in urbes agminatim convolabant, opificiis aut mercaturæ sese addicentes. Sed & propter irruptionem Hungarorum complures urbes in Saxonia ab Henrico Aucupe extructæ aut munitæ, qui nonum quemque ingenuorum ex agro in urbes jussit migrare. Incrementa porro urbibus addidere præcipue fœdera mutuæ defensionis gratia, aut ob commercia inita. Ex istis nobile præprimis est id, quod Anno 1255. contraxere urbes Rheno adsitæ, cui etiam Principes quidam adscribi voluerunt. Ob commercia potissimum maritima institutum fœdus Hanseaticum, cujus quondam tantæ fuere vires, ut ipsis Regibus Sueciæ, Angliæ, & Daniæ fierent formidabiles. Etsi post Annum 1500. ea societas tantum non penitus corruit; tum quod minores urbes, cum lucrum viderent in solas majores redundare, passim desciscerent; tum quod Hansicorum exemplo aliæ quoq; gentes, Oceanum, aut Mare Balticum accolentes, commercia cæperunt frequentare, Flandri præprimis, & Batavi. Sic Monopolio istorum expirante vires quoque conciderunt.

§. 10. Cæterum etsi ab initio urbes molliori conditione habitæ quam vici; Regum tamen atque Imperatorum potestatem non minus quam hi agnoscebant, iique in istis jus dici curabant per Comites, Missos Regios, quos vocabant. Post enormi Imperatorum liberalitate

multæ in Episcoporum concessere potestatem, multæ Ducum & Comitum factæ, reliquæ solis Imperatoribus immediatè subjectæ remanserunt. Circa seculum autem XII. nonnullæ earundem, prout quæque opulentiæ suæ confidebat, laxiorem libertatem usurpare cæperunt; quod turbis intestinis agitati Imperatores, aut recens ad id fastigium evecti in ordinem eas redigere non possent, aut ultro earundem favorem & subsidium privilegiis & immunitatibus concessis ambirent, in refractarios Episcopos & Principes firmamento. Advocatos quoque & Præfectos Imperiales paulatim excutere proximum fuit. Sed & sequentes Imperatores, cum viderent Episcopos opibus suis contra ipsos abuti, effecerunt, datis privilegiis, vt primariæ urbes istorum potestati subducerentur. Extincta etiam Ducum Sueviæ prosapia complures ejus Ducatus urbes, aliàs sat modicæ, libertatis usurpandæ occasionem impigre arripuerunt. Hanc tamen libertatem istæ urbes non simul obtinuerunt, sed singulæ, prout occasio & favor Imperatorum arridebat. Inde est, quod non omnes æqualibus perfruantur juribus; quædam parte Iurium Regalium omnino adhuc destituantur. Non paucæ denique quod juris in ipsas competebat Imperatori, Ducibus aut Episcopis emtione, permutatione, aut alio titulo redemere; aliis per vim id excussum, cujus tituli iniquitatem post subsecuta transactio purgavit. Nam infirmitate aut inopia pecuniæ conflictati complures inter vltima subsidia habebant, opulentis subjectorum libertatem venalem exponere; aut

cum cernerent eripi non posse, quod isti sibi usurpaverant, modico accepto, adquiescere in lucro duxerunt.

CAPUT IV.

De Capite Imperij Germanici, Imperatore; ubi de Electione & Electoribus.

§. 1. GErmania, utut ex tam multis componatur membris, quorum plura justarum & validarum instar civitatum habent; à Caroli tamen temporibus uni Capiti, (quod antiqui simplicius Regem, sequentes ambitiosius Romanorum Imperatorem, aut Cæsarem nuncupavere,) subjecta fuit, nisi qua interregna incurrere; & ob istud Caput plerisque una & simplex Resp. fuit visa. Illud quomodo constituatur deinceps dispiciendum erit. Operæ pretium autem fuerit, rem paulo altius repetere, ut simul adpareat, quantum vetus electio à recentiore discrepaverit, & quæ genuina sit Principum Electorum origo. Circa Carolum ergo M. ejusque posteros distincte considerandum est Imperium Romanorum, & Regnum Francorum. Illud in Carolum collatum est consensu populi Romani, & Pontificis, tanquam præcipui ejus membri, vel potius, qui Imperium in eundem jam non obscurè moliebatur; & quidem jure, uti adparet, hæreditario. Sic ut successorum ipsius coronatio non habuerit vim novæ & liberæ electionis, sed solennis

duntaxat inaugurationis. Sanè enim Carolus filium Ludovicum, & hic Lotharium in consortium Imperii adsumsisse legitur, nec tamen de requisito prius novo Pontificis,& Romanorum cõsensu mentio extat. Antiquum autem Regnum Francorum neque mere hæreditarium, neque electitium dixeris, sed quod mixto quondam successionis modo fuerit delatum. Sane enim Reges Francorum consensu,& acclamàtione Procerum, & totius populi constitutos legimus. Sed ita, ut nisi gravissimas ob rationes à sanguine defuncti Regis haudquidquam discederetur. Quale genus successionis hactenus fere in Polonia observatum novimus. Accuratius tamen inspicienti patet, ex successivo plus quam electitio genere traxisse Regnum Francorum, quippe cum in autorem stirpis hac cum conditione videatur Regnum collatum, ut idem etiam in posteros transmitteret, nisi eo valde indigni populo adparuerit. Adeoque per adprobationem illam Procerum, & populi filiis Regum defunctorum non tam novum jus ad Regnum fuit quæsitum, quam declaratum, filium juris, ex prima collatione quæsiti, non esse incapacem. Dejecta deinceps solio Francorum stirpe Carolina, Regnum Germaniæ, seu uti tunc vocabant, Regnum Francorum Orientale, liberrima Procerum electione delatum fuit Ottoni Saxoni. Quo senium excusante, ejusdem consilio electus fuit Rex Germaniæ Conradus Franconiæ Dux, quem aliqui ex Caroli posteris esse putant. Hujus itidem consilio per liberam electionem in Regnum evectus fuit Ottonis Saxonis

filius Henricus Auceps, qui sola contentus Germania, ne invitante quidem Pontifice, Imperatorium nomen voluit recipere. Enimvero hujus filius Otto M. subacta, Italia, Romam, & ditionem Ecclesiæ ita cum Germania connexuit, ut citra novam electionem Romanorum Imperator esset, qui Regno Germaniæ fuisset potitus, coronatione Pontificia non nisi solennis ritus vim habente; etsi quondam ante eandem non temere Imperatorium nomen Reges Germaniæ urpave-rint. Regno idem fere succedendi modus obtinuit, qui in antiquo Francorum Regno, ut scilicet Procerum & populi consensus ab ordine sanguinis non facile discederet. Idque duravit usque ad Henricum IV. cujus pueritia, & fors prava etiam Regni administratione moti Proceres Germaniæ, frigidam suffundente Pontifice, in Imperatorem insurgunt, eumque regno dejiciunt, edita constitutione, ut deinceps filius Regis, etsi dignus, per spontaneam electionem, per successionis lineam (verba sunt constitutionis) proveniret. Et ex illo tempore hæreditaria successio paulatim exolevit.

§. 2. Facta autem fuit antiqua illa adprobatio & electio ab universo populo; etsi Procerum, Principum scilicet, Episcoporum & Nobilium plurimum heic valuisse autoritatem extra dubium sit. Ab aliquot tamen jam seculis, cæteris omnibus exclusis, Imperatorem eligunt septem, & post pacificationem Osnabrugensem octo primarii Principes, ab isthoc officio Electores dicti: tres Ecclesiastici, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis, Archiepiscopi, &

quinque seculares, Rex Bohemiæ, Duces Bavariæ & Saxoniæ, Marchio Brandeburgicus, & Comes Palatinus Rheni. Hoc jus quando isti Principes nacti sint, non ita liquido constat. Equidem per duo amplius secula ab Anno circiter 1250. ad Annum 1500. recepta fuit opinio, Ottonem III. Imperatorem, & Gregorium V. Pontificem, septem Electores instituisse; nisi quod alii autores heic primas partes Imperatori, alii Pontifici tribuant, prout quisque hujus aut illius studio ducitur. Hanc opinionem primus, quod novi, peculiari libello, qui inscribitur *De Comitiis Imperatoris*, oppugnavit civis noster *Onuphrius Panvinius*, quem hodie cordatissimi quique Germanorum sequuntur. Palmarium argumentum est, quod illa constitutio sive Ottoniana, sive Gregoriana, à nemine hactenus reperiri potuerit, & de eadem omnes scriptores ad Friderici usque II. tempora per Annos 240. ab Ottone III. sileant. Nam primus Electorum mentionem facit Martinus Polonus, qui vixit sub Friderico II. Annos circiter 250. post Ottonem III. cujusque adeo fides omni exceptione non est major in re tam longe ab ipsius memoria remota, cum liquidioribus testimoniis destituatur. Neque tamen ipse constitutionis alicujus meminit, neque tempore Ottonis cœpisse Electores dicit, sed hoc tantum affirmat, post Ottonis tempora cœpisse Officiales Imperii eligere. Quod duplici sensu admitti potest, vel quia ditiones amplissimas eo tempore sortiti sunt, qui antea præcipua munia in aula obibant:

vel quia munia ista in amplissimarum ditionum Principes tunc in perpetuum sunt collata. Qui tamen uti fortasse insigni autoritate inter cæteros fuerunt conspicui; ita præter septem illos aliis quoque Principibus in Regum electione locum fuisse, nemo antiquitatum Germaniæ peritus negabit. Alij Electorum institutionem Friderico II. adscribunt. Sed nullius in eam rem sanctionis monumentum usquiam deprehenditur; nec probabile est, reliquos Principes tam subito & libenter jure suo decessisse.

§. 3. Igitur apud peritissimos rerum patriarum Germanos hæc fere sententia obtinet, jam ante Friderici II. tempora septem illos Principes tanquam Imperii Officiales, & opum magnitudine pollentes in electionibus Imperatorum autoritate reliquos paulatim eminere cœpisse. Post Friderici autem tempora, rebus per Germaniam mirum in modum turbatis, cum reliquis publica negotia parum curæ essent, hos sibi solis id jus eligendi vindicasse. Hoc ubi in consuetudinem, per aliquot actus confirmatam, abiisset, Aureæ Bullæ quam vocant, publica & solemnis sanctio accessit, in qua tota eligendi ratio, & omnis Electorum potestas continetur. Et ex isto tempore Principes illi nomini suo titulum Electorum adjicere, ampliorique quam reliqui dignatione æstimari cœperunt.

§. 4. Vtut ergo ab initio eligendi munus isti sibi Principes videantur sumsisse, quatenus Imperii officiales erant, postea tamen per legem Aureæ Bullæ non minus officia ista quam electoria dignitas certis ditionibus est annexa, ut qui

illas legitimo modo possideat, eo ipso sit Elector. Et quidem Ecclesiastici Electores, uti alij Episcopi Germaniæ, constituuntur electione, vel collatione. Vbi observandum, etsi alias Episcopi, ut omnes muneris sui partes rite queant obire, opus habeant Pontificis confirmatione, & pallio non gratis redimendo: tamen ad electionem Imperatoriam eosdem admitti, etiam ante confirmationem Pontificiam; cum seculares dignitates sine charactere constent. Verum sede vacante, vicem Electoris haut quidquam subire potest capitulum. In electoribus secularibus obtinet illa species successionis linealis, quam agnaticam vocant, & ita quidem, ut neque dignitas Electoralis, neque terræ, peculiariter Electoratibus adsignatæ, divisionem recipiant. Quod si autem novus sit electoratus instituendus, aut ob delictum aliquis ea dignitate exuendus, sine dubio reliquis Imperii legibus & consuetudinibus conforme fuerit, Imperatorem solum propria autoritate, citra consensum reliquorum Ordinum, aut saltem Electorum, nihil heic disponere. Etsi superiori nostroque hoc seculo in contrarium extet exemplum; contra quod tamen unus atque alter nequidquam est protestatus, facili ad spernenda verba Cæsare, cui Mars supra modum tunc videbatur favere; Astute tamen idem, dignitatem Electoralem uni ablatam in agnatum ex eadem familia contulit. Id enim non modo invidiam facti insigniter erat molliturum; sed & potentissimas familias æterna æmulatione distracturum, obnoxiis Cæsari illis partibus, quas ipse validiores reddiderat. Addendum & hoc

Electoribus minorennibus in electione Imperatorum tutores ipsorum subire locum. Minorennes autem desinunt esse completo ætatis anno octavo decimo.

§. 5. Modus electionis hic fere est. Moguntinus intra mensem à primo die, quo de morte Imperatoris rescivit, Collegis id significat, eosque ad futuram electionem vocat: qui ipsi, aut per Legatos suos comparent. Francofurtum ingressuris certus equitum numerus, nempe ducentorum, est præscriptus; qui tamen hodie non ita accurrate observatur. Dum electio fit, omnes peregrini urbe ista jubentur excesse. Actum electionis, quæ fit in sacrario templi S. Bartholomæi auspicatur ceremonia Missæ. Inde ad Altare accedunt, jaraturi, quod idoneum sint electuri Imperatorem. Moguntinus tanquam Decanus Collegij suffragia colligit, primo loco Trevirensem interrogat, inde Coloniensem, & reliquos: ipse ultimo loco sententiam dicit. Plura suffragia pro universis valent. Cum tamen hodie octo sint, nondum certi quid est constitutum, quid agendum, si fors suffragia esse æqualia contingat. Suffragio suo Elector seipsum quoque nominare non prohibetur. Electio facta in literas solet referri, & sigillis Electorum confirmari. Postea hi ad Altare accedunt, ubi Moguntinus convocatam apud multitudinem Imperatorem electum pronunciat. Ei mox certis sub legibus Imperium committitur; ita tamen, ut omnibus & singulis Electoribus sua jura & privilegia statim teneatur confirmare. Coronationi quidem lege Aureæ Bullæ destinata urbs Aquisgranum; et-

ri hactenus plerumque, ubi electio facta, inauguratio quoque fuerit celebrata. Et quia ista urbs in diæcesi Coloniensi sita, ideo ab Electore Coloniensi jam olim hæc frequenter peracta. Cui tamen Moguntinus super eo jure litem intendit; quæ nuper, ni fallor, ita composita est, ut alternis vicibus coronationem peragant, ubicunque locorū ritus iste celebretur. Alia ceremoniarum solēnia passim in Scriptoribus Germanicis invenias.

§. 6. Electoribus vti jus eligendi Imperatorem; ita potestatem quoque eundem, si mereatur, deponendi competere, publica & expressa lege sanciri, durum fortasse nimis, & invidiæ plenum erat futurum. Eandem tamen ipsos exercuisse constat in Wenceslao, filio ipsius Caroli IV. quem, ut filio suo imperium pararet, & Auream Bullam condidisse, & maximis largitionibus Electores mactasse, non obscure fremunt qui eminentiam Electorum ægris oculis adspiciunt. Ad Henricum IV. Imperio dejiciendum alii quoque Principes operam contulerunt. Sane Moguntinus vni atque alteri Imperatorum, ipsi quædam parum grata molientium, jus illud deponendi Imperatores non timide occinuisse legitur.

§. 7. Habent & alia quædam præ reliquis præcipua jura Electores. Præter quam enim, quod, exclusis reliquis, possint conventus agitare, ac de summa rerum consilia conferre; ipsi quoque sunt summi Officiales Imperii. Archicancellarii quidem sunt, Moguntinus per Germaniam, Treverensis per Galliam & regnum Arelatense; (quibus vocabulis tamen juxta peritissimos autores

non integra Gallia, ſed quicquid ejus ad regnum Burgundicum pertinuit, quod ſeculo XI. Germaniæ jungi cœpit, intelligitur;) Colonienſis per Italiam. Etſi hodie penes priorem res, penes poſteriores inane fere nomen remanſit. Rex Bohemiæ & Archipincerna, & in celebratione ſolẽnis curiæ Imperatori primum poculum porrigit. Bavarus hodie eſt Archidapifer, & in ſolemni proceſſione geſtat pomum Imperiale. Saxo Archimareſchallus præfert Imperatori gladium evaginatum. Brandeburgicus Archicamerarius Imperatori aquam porrigit, & in proceſſione ſceptrum præfert. Comes Palatinus Rheni Architheſaurarius in ſolemni deductione Regis coronati ad palatium in circumſtantem populum nummos aureos atque argenteos ſpargit. Secularium ſinguli in iſtis officiis ſuos habent Vicarios, Bohemus Pincernam de Limburg, Bavarus Dapiferum de Vvalburg, Saxo Mareſchallum de Papenheim, Brandeburgicus Comitem de Hohenzolern, Palatinus Comitem de Sintzindorf. Sunt quoque alia privilegia Electorum in Aurea Bulla expreſſa, quorum tamen plæraque aliis quoque Principibus hodie competunt; præterquam quod ab ipſorum judicijs non adpellatur, & quod in renovatione feudorum ſuorum ſunt immunes, & ſi quæ forte ſunt alia.

§. 8. Interregno exiſtente Vicariam in gubernando Imperio poteſtatem gerunt Palatinus, & Saxo; ille quidem in partibus Rheni & Sueviæ, & ubi jus Franconicum in uſu; hic ubi jura Saxonica vigent. Interdictum tamen iiſdem feuda Principum, & quæ per vexillum conferri

moris, cuipiam attribuere; nec minus res Imperii alienare aut oppignorare. Cæterum quæ gessere, abs recens creato Imperatore confirmari solent. Nupero interregno, post mortem Ferdinandi III. Electori Palatino super Vicariatu controversiam movebat Bavarus. In qua id præprimis callide à Bavaro obseruatum, ut quid moliretur, altissima dissimulatione premeret, ne mature ipsius destinata possent eludi. Et cum per dispositos cursores ipsi de obitu Imperatoris nunciatum esset, idem quaquaversum confestim litteras dimittit, susceptionem Vicariatus indicantes; ad quas plerique Statuum, re non satis perpensa, cum præpropera gratulatione responderunt, priusquam Palatino de morte Imperatoris fere innotesceret. Nec jus suum involari segniter tulit Palatinus, sed & ipse passim denunciavit, potestatem sese vicariam deinceps exerciturum, non sine querela super injuria Bavarica. Et satis constat, non paucos Principum doluisse, literas sese ad Bavarum retractare non posse. Verum uti fit, alienam litem in sese nemo derivare voluit. Res postea inter partes per scripta publica agitata. Vbi quamquam nemini mirum videbatur, Bavarum isthanc dignitatem ad sese conari pertrahere; quippe qui jam tum florentibus Palatini rebus, Electoratum sibi deberi contendere non dubitaverat, ac jam potentia propria & favore Austriacorum fidebat: plerisque tamen à partium studio remotis Palatini Scriptores sat manifeste judicabantur ostendisse, Vicariatus dignitatem hautquidquam partem aut appendicem esse Archidapiferatus, sed peculiare jus Palatinatui

ad Rhenum perpetuo annexum. Prout etiam Saxo, non qua Elector, sed qua Palatinus Saxoniæ Vicarii munere gaudeat. Enimvero cum non pauci in Bavarum favore propenderent, cæteri eundem aperte offendere nollent; neque Principibus mos sit facile de injuria sua consiteri, lis indecisa huc usque permansit.

§. 9. Imperatori quandoque extraordinem adjungitur Rex Romanorum, verbo quidem, ut tanquam generalis ipsius Vicarius, eodem absente, aut impedito, Remp. moderetur, & defuncto demum sine ulteriori electione succedat. Verum necessitatem aut utilitatem Reip. semper prætextui sumi tralatitium est. Genuina causa fuit, saltem circa plerosque, ut, se vivis, filios, fratres, proximósve agnatos faciliori negotio ad Imperium proveherent, prensante eo, penes quem summa rerum. Et arctioribus possunt legibus adstringi, qui vacante solio libere adsciscuntur.

CAPVT V.

De Potestate Imperatoris, limitata per Capitulationem, Leges atque Consuetudines Imperii, & Iura ordinum.

§. 1. QVa occasione Proceres Germaniæ enormia incrementa, & ad leges Monarchiæ haut quidquam quadrantia ceperint, jam supra traditum fuit. Nec minus quod libera Regū electione ad ipsos devoluta, opes semel partas omnino

omnino conſervare iiſdem cordi fuerit. Quo ipſo Regibus ademptum de ſumma rerum pro lubitu diſponere; ſed neceſſitas impoſita circa præcipua negotiorum conſenſum Procerum exquirere, & plura apud eoſdem autoritate quam imperio moliri. Quin probabile eſt, juramento, quod ab omnibus fere Regibus Chriſtianis præſtari ſolenne habetur, mature per Proceres Germaniæ hanc quoque clauſulam fuiſſe inſertam, quod Rex velit jura omnium & ſingulorum Germaniæ civium tueri, & laudabiles atque receptas in Imperio conſuetudines obſervare. An vero ſucceſſu temporum peculiares quædam leges additæ, & ſcripto quidem comprehenſæ, non ſatis liquet. Neque enim ante Carolum V. ejuſmodi Capitulationis exemplar lucem adſpexit; & ſi qua producuntur, ſubleſtæ ſunt fidei. Et quod in Aurea Bulla electus Imperator ſtatim jubetur confirmare omnia jura, privilegia & immunitates Principum Electorum per literas, & ſigilla, illud ad hos peculiariter videtur pertinere, adeoque diverſum quid notare à Capitulatione, qua totius Imperii libertati proſpicitur. Cur autem autem Carolum V. expreſſis iſtis, & prolixis legibus vellent adſtringere Electores, in cauſa erat iſtius Principis potentia ætas juvenilis, altique ſpiritus, quos ſuum illud *plus ultra* ſatis arguebant; & ne patrimonii ſui amplitudine abuteretur ad Germanos in ordinem redigendos; Vtque noſſet, alio ſibi modo gubernandam Germaniam, quam reliquas ditiones. Semel receptum inſtitutum, etſi fortaſſe hæ rationes non æque urgerent, retinere viſum.

§. 2. Hæ porrò Capitulationes hactenus à solis Electoribus Imperatori fuerunt præscriptæ, inconsultis reliquis Ordinibus. Qua de re tamen hi aliquoties sunt questi, & in ipsa pace Westphalica mentio facta, ut proximis Comitiis deliberaretur de concipienda Capitulatione perpetua. Qua formula stylo Germanorum notatur, rem in infinitum iri extractum. Audiebam tamen, cum Ratisbonæ hærerem, jam istud serio agitari, & non spernendam vim chartæ consumtam. Sed peritiores judicabant, non esse quod Electores sibi metuerent. Ex re Imperatoris esse, ut Electores cæteros Principes emineant. Hos enim utpote paucos, facilius se sibi posse conciliare, quam universos Ordines; quibus vicissim aliquid abs se indulgeri æquum fuerit. Ex ipso Principum Senatu non valde adversari, qui familiis Electoralibus sint prognati. Reliquorum petita facile posse eludi. Nec congruere moribus Germaniæ, jure aliquem suo, utcunque quæsito, per vim aut coitionem exturbare. Addebant, utut non inique postulent reliqui Ordines, ut in Capitulatione æque sui, quam Electorum habeatur ratio; tamen vix concipi posse formulam, quæ deinceps non aliqua correctione opus sit habitura, mutata temporum ratione. Et in prioribus Capitulationibus pleraque adparere adjecta, aut interpolata, prout ex usu præsentium temporum visum, & obstruendis rimis, per quas Cæsares elabi erant conati. Electores porro non difficiles futuros, ut admonitu reliquorum Ordinum Capitulationi inserant quæ ipsorum libertati tuendæ videbuntur inservire. Denique valde absurdos

esse, qui Electoribus vitio velint vertere, quod emolumentis suis plus quam cæterorum velificari sint visi; quasi isti soli communem hominum inclinationem teneantur exuere. Alii tamen susceptæ circa Capitulationem tractationis, aliam suspicabantur causam. Cæsarem nimirum de cætero à Comitiis abhorrentum, ut Ordines convocaret, per bellum Turcicum fuisse motum, quod speraret, eo prætextu magnam se pecuniæ vim ab Ordinibus obtenturum. Sed istos loco pecuniæ milites obtulisse. Id cum Consiliariis Cæsaris parum videretur quæstuosum, pacem destinato citius cum Turcis coivisse. Nunc hæsitare ipsos, qualis Recessus Imperii sit conscribendus. Nam materiam de conferendis auxiliis ad bellum Turcicum, quæ in compluribus antiquis utramque paginam facit, jam periisse. Et tamen curiosos homines scire velle, quidnam tanta multitudo Legatorum per tot Annos egerit, & cui bono horis quidem antimeridianis vinum Hispanicum, pomeridianis vero Rhenanum aut Mosellanum fuerit bibitum. Objectam igitur illis esse materiam inextricabilem, ut cum circa eandem diu incassum laborarint, demum liquido possint jurare, se otiosos non fuisse; simulque repetitionem variorum litigiorum cum rejectione ejusdem rei ad alia Comitia, posse qualecunque instar Recessus Imperii præbere.

§. 3. Quicquid tamen hujus sit, saluberrimo videtur more introductum, potestatis imperatoriæ leges expresso & distincto scripto comprehendi. Nam omnino ad existimationem Ordinum facit, ut, cum imperari sibi ad modum cæterorum

Monarchis ſubjectorum non patiantur, non credantur ex contumacia, aut per meram uſurpationem id facere, ſed quia in tales leges Imperatorem adſciverunt. Eorundem quoque libertati cōſulitur, præfixis terminis, quos Cæſari tranſilire nefas. Præſcinditur quoque hoc modo Cæſari querelarum cauſa, quod non ad reliquorum exemplar Monarcharum uti poſſit iis, qui ſe ipſi ſubjectiſſimos multo cum verborum honore vocant. Nam ab initio Capitulationis profitetur, ſeſe in has leges Imperium ſuſcepiſſe, inque eaſdem cum Electoribus pro ſe & reliquis Ordinibus per modum pacti conveniſſe. Atqui ſi iſtæ conditiones diſplicebant, licebat dignitatem illam recuſare, aut Electoribus oſtendere, dictas leges iniqui aliquid aut abſurdi continere; qui talia ſine dubio lubenter correcturi erant. Vbi ſemel limitatam poteſtatem acceptare placuit, Imperatori nefas plenam & Regiam poteſtatem in Ordines affectare; aut ſi tale quid auſus fuerit, his impune non parere licebit. Nam quin Regia poteſtas certis includi limitibus queat, cordatiores Germani non dubitant. Imo & dari poteſtatem, quæ capiti corporis alicujus fœderatorum competat, quæque ſpecie à regio & pleno imperio differat, acutiores Politici puto non negabunt.

§ 4. Cæterum in pleriſque Germanicis ſcriptoribus, quando de Capitulatione agunt, obſervare licet fœdam adulandi libidinem, aut inſignem doctrinæ civilis inſcitiam. Impudenter non nemo aſſerere auſus eſt, Capitulatione poteſtati Imperatoriæ terminos non poni, ſed id

tantum agi, ne Imperii vires per alienationes, oppignorationes, & ſimilia flacceſcant. Plerique agnoſcunt per eandem certis quidem limitibus circumſcriti poteſtatem Imperatoriam, adeoque abſolutam eſſe deſinere, non tamen ſummam; ſeu, uti quidam loqui amant, eandem plenitudini poteſtatis aliquid detrahere, non tamen ſummitati. Quod uti ſequenti Capite curatius erit examinandum, ita illud heic obiter duntaxat monendum, falli eos, qui putant, controverſiam hanc ſolide expediri diſtinctione prolata inter leges, quæ obligant ex præſcripto ſuperioris, & quæ ob placiti fidem & ex conventione ſtringunt. Ad quod poſterius genus Capitulationem referunt. Nam ex eo tantum probatur, Imperatorem non eſſe ſubjectum Ordinibus; non autem, ipſum in eoſdem obtinere Imperium propriè dictum. Vt enim aliquis ſummum obtineat Imperium, non ſufficit ſuperiorem non habere; ſed requiritur, ut juſſibus ipſius citra tergiverſationem, aut provocationem cæteri teneantur obedire. Multo minus ſufficit, ut quis ſit ſummus in ordine ad ſuam Remp. Quaſi vero in noſtra Rep. Dux Venetus non foret ſummus, cui tamen nemo ſummum Imperium tribuere auſus eſt. Nam præterquam quod & in Rep. Optimatium, & in Democratiis dentur Principes propie dicti, quos recte Summos in ſua Rep. vocaveris; etiam in ſyſtematibus ſociorum dari poteſt aliquis eminentior, & cui communis cura reippeculiariter ſit commiſſa, qui in iſto quidem corpore rectè Summus audiat, utut imperio proprie dicto in ſocios deſtituatur, ſeu

iisdem ad modum subditorum uti nequeat. Verum satius opinor fuerit in rem velut præsentem venire, & sigillatim considerare, quidnam circa summi imperii partes Imperatori liceat. Ni quis enim ista norit, inepte ac temere de Germanorum Rep. judicare instituit. Erit autem nobis heic sequendus ordo magis qui genio ejus Imperii, quam regulis scientiæ civilis examussim congruat.

§. 5. Initium ergo capiemus à constitutione Magistratuum, quæ in qualibet civitate est penes summum Imperium. In quod si vltimo demum redundare debet imputatio eorum, quæ ab istis secus gesta fuerunt, necessum est, ut summo Imperio competat facultas eorundem gesta examinandi, & si quid deliquerint, officio eosdem dejiciendi, aut alio modo plectendi. Isthæc potestas quin Cæsari in ditionibus suis hæreditariis illibata competat, dubium non est. Sed de reliquo Imperio controvertitur. Equidem ab initio Duces Comitesque Germaniæ Magistratus proprie dictos fuisse, supra asseruimus. Id hodie vocabulum pro summa injuria iidem accipient. Nec ullus Principum Germaniæ concedet, quod Cæsar per ipsum populum suæ ditioni subjectum gubernet, aut quod ipsius subditi Cæsaris sint; utut multo cum verborum honore de humillimo adversus eundem obsequio subinde testentur. Et licet hæreditarium in Regno Magistratum existere non repugnet: salvum tamen, ut in Ministrum suum, summo Imperio semper jus manebit. Ex iis, quæ subjiciemus res tota fiet clarior. Potest igitur Imperator con-

ferre alicui titulum S. R. Imperii Principis, aut Comitis: verum jus suffragii ferendi in Comitiis dare non potest citra reliquorum Ordinum consensum *conf. artic.* 44. *Capitul. Leopoldinæ.* Et cum frustra Principum titulo superbiant, quibus ditiones sustinendo ejus dignitatis splendori desunt, ne novitios istos per feuda vacantia locupletare queat Cæsar, *art.* 30. *capit. Leopold.* cautum est. Vbi talia bona in patrimonium Imperii jubentur redigi *add. art.* 29. *capit. Leopold.* Ejus constitutionis duplex potissimum ratio Autum ne omnia feuda vacantia per domum Austriacam absorbeantur, quæ, relicta facultate ista denuo in alios conferendi, sui aut sibi obnoxiorum haut videbatur oblitura: tum ut tandem aliquando præter titulum tribuere quid possit Germania suo Cæsari; ex quo tanti fastigii sumtus toleret; ne in electione opum eligendi potissima sit habenda ratio. Ex propriis autem ditionibus recés creato Principi dignum isto titulo patrimonium assignare, & ad conditionem cæterorum Germaniæ Principatuum idem provehere, supra mensuram puto sobriæ liberalitatis fuerit. Extraneum, ac abs nemine superiore pendentem Principem in reliquorum Germaniȩ Principum ordinem adsciscere Imperatori fors concessum. Sed si vel maxime alicui conditionem suam deteriorem facere in mentem veniret, quem locum iste in comitiis occupabit? Nam & hunc ultimi subsellii pudebit, & antiqui Germaniæ Principes, nisi Regi, hautquidquam loco cesserint. Circa urbes extraneas in censum Imperialium Germaniæ urbium recipiendas minor videtur difficultas

futura. Nam nec iſtas tanta ambitio, uti Principes, titillat; & facili negotio obtineri poſſet à Buchornio, ſimiliſque ſplendoris oppido, ut præfracta loci ſui defenſione Imperij Germanici incrementa ne impediret. Sed ut libera urbs Germanis ſeſe velit adjungere, vix videtur prius eventurum, quam una aut altera vicinarum Rerump. diſſolvatur. Ex urbibus autem Germaniæ, qui jam alicui Ordinum ſubſunt, nullam in conditionem civitatum Imperialium Cæſari conceditur evehere.

§. 6. Multo minus autem in arbitrio Imperatoris ſolius eſt alicui dignationem Principis adimere, aut quempiam Ordinum ſuis ditionibus expellere, ne quidem ob crimen aliquod in Remp. admiſſum; ſed in notorio etiam facto ſaltem Electorum conſenſu opus habet, priuſquam proſcriptionem delinquenti intentet. *vid. art.* 28. *Capitul. Leopold.* Scilicet cavere placuit, neque fors in rem privatam Imperatoris quid deliquiſſet, tanquam hoſtis Reip. ſtatim plecteretur. Imo & circa eundem articulum 28. dum capitulatio Frãcofurti concipitur, quidam Ordinum non imprudenter monebant, ut expreſſe inſeretur, exſecutionem ſententiæ in proſcriptos debere fieri ex legibus receptis per membra Circuli, in quo iſti ſunt ſiti. Nam ſi Cæſar ipſe ſententiam exſequeretur, fieri poterat, ut proſcriptorum ditiones ad ſe traheret ſub prætextu ſumtuum in eam rem factorum. Et fortaſſe jucundum erat futurum tam atroces ferre ſententias; ſi iſtæ in emolumentum judicis cederent. De cætero, Imperatori parum curæ eſt, quomodo quiſque

Ordinum suos subjectos tractet, & tondeat, an deglubat suas oviculas. Nam inter præcipua, quæ ipse jurato promittit, est, quod cuique Ordinum sua jura ac privilegia velit conservare, atque in eorundem exercitio neminem turbare. Atqui hoc jure præprimis sese efferunt Ordines Germaniæ, quod sibi subditos vel proprio ex arbitrio, vel prout cum ipsis pacti sunt, possint regere. *vid. art. 3. 7. 8. 9. capit. Leopold.* Paucissima quoque sunt, quæ Imperator subjectis Ordinum immediate possit imperare; puta, ut evocare eosdem queat testimonij aut litis causa, absq; omni subsidio juris, in citationibus, quas suo nomine emittit. Præmijs tamen & privilegiis subjectos Ordinum afficere non prohibetur Imperator; ita tamen, ut juri Ordinum in eosdem nihil detrahatur. Etsi fere intra titulos Cæsarea liberalitas adversos istos subsistat.

§. 7. Videamus porro quidnam juris sit Imperatori in bona Statuum, quatenus ex illis sunt contribuenda, quibus Resp. pacis bellique tépore sumtus tolerat. Quantum mihi constat, omnia vectigalia extra ditiones Imperatoris, si paucissima exipias loca, ad Ordines spectant; qui ne eadem supra modum intendendo commercia pessundent, Imperator se prohibiturum promisit. *art. 21. 22. 23. Capit. Leopold.* Neque nova ipsi vectigalia in ditionibus Ordinum instituere concessum. Si quæ alia ad Imperatorem ex Imperio redeunt, magni adeo non sunt momenti, aut ministris Cancellariæ cedunt, quibus præprimis renovatio feudorum quæstuosa est, *vid. art. 17. caput. Leopold.* Tributa ab Imperatore indici, Ger-

manis auribus inauditum. Nec statim quid ad necessitates Reip. ab Ordinibus conferri suevit, nisi quod sustentandæ Cameræ Spirensi destinatur: quanquam & modicum istud sat tædiose à multis solvitur. Quondam etiam, Imperatore ad coronam Romæ petendam proficiscente, ab Ordinibus armanda & alenda erant IV. equitum & XX. peditum millia. Verum cum expeditiones illæ Romanæ dudum fieri desierint, descriptiones eam ob causam conceptæ huic fini inserviunt, ut si fors extra ordinem quid conferendum sit, ratæ partes singulorum Ordinum statim sciantur. Etsi & in istis super inæquali distributione à multis querelæ moveantur, quorundam opibus lapsu temporum attenuatis, aliorum auctis. In Turcicum bellum Germanis maxima vis auri injuncta, cujus terror hactenus simplici plebeculæ alvum æque ac crumenam solvere suevit. Sed ne heic quidem pro imperio aliquid ab Ordinibus exactum. In Comitiis aut per circummissos Legatos omnia impetrata, eo facilius, quod nonnullis Principibus ea res in quæstum vertit, dum particulam aliquam istius tributi extra ordinem impositi sibi decerpsere.

§. 8. Arbitrium belli & pacis jam sat arctis inclusum legibus intelligitur, amoto rerum gerendarum nervo. Equidem possunt Austriacorum ditiones hereditariæ validum alere exercitum. Sed & easdem valde exhaustum iri, si solis onus incumbat, in aprico est. Ni ergo Ordines tam in bellum, quam in sumtus ad id conferendos consenserint, non est, quod auxilij quidpiam ab iisdem sibi polliceatur Cæsar. Cæterum uti

non omnino ipſum deſtituere ſolent, ſi ab aliis invadatur; ita ultro alios armis petenti nemo adſiſtit, niſi peculiares ipſi cum Domo Auſtriaca rationes intercedant. Quin potius ex re Ordinum eſt impedire, ne iſte bellum alteri inferat, non ſolum, quia illa occaſione tota Germania turbis involvi poteſt; ſed etiam quia ipſa Cæſaris victoria illis parum læta eſt futura, gliſcente nimium ejuſdem potentia, quam libertati ſuæ prægravem fore non injuria metuunt. *vid. art.* 13. 14. *&* 16. *capitul. Leopold.* Quomodo itidem Cæſaris poteſtas circa fœdera ineunda ſit reſtricta, docet *art.* 10. ejuſdem capitulationis. Vbi non injuria mirari ſubit, quare Imperatori quidem interdicatur bellum alicui facere quocunque prætextu, aut fœdera cum exteris inire, citra conſenſum ſaltem Electorum; cum tamen nuperrime ad nos nunciatum ſit, complures Electores Principeſque, coitione facta, tractóque in partes rapaciſſimorum prædonum globo, Electoris Palatini ditiones invaſiſſe, obtentu quorundam hujus jurium, quæ parum grata ſibi fiemunt. Et ſolo iſthoc belli auſpicio fuiſſe contentos, ut Cæſari obiter, & non citra ferociam per literas ſignificarent, quidnam ſibi deſtinatum foret. Alium item Epiſcopum vicinis ſibi Belgis, ſeipſo autore, arma intuliſſe, quibus non difficulter magna Germaniæ pars poſſet involvi. Et hæc omnia patrata durantibus, & otioſe inſpectantibus Imperii Comitiis. Nam illud jamdudum in conſuetudinem abijt, ut quidam Principum fœdere cum Suecis Galliſque implicentur; qui tamen ex longo tempore hoſtes ſe-

ſe, aut æmulos Domus Auſtriacæ tulerunt.

§. 9. Videamus quid Imperatori circa ſacra poteſtatis competat. Nam ut de hac quoque ſit heic agendum, novæ Theologiæ addicti politici faciunt, qui in partem iſtius poteſtatis civile Imperium vocare non dubitant; cum apud Catholicos conſtantiſſima fides ſit, ſacerdotum opibus cumprimis noxium, ſi circa divina alius præter ipſos ullam diſponendi facultatem ſibi vindicet; ſique Laici ſola defenſi & locupletati cleri gloria contenti eſſe nolint. Cum igitur ante per Germaniam ſoli ritus Catholici vigerent, niſi quod in Bohemia Ioannes Huſſus non paucos haberet diſcipulos, & Iudæi paſſim tolerarentur; per Martinum Lutherum magna clades rebus Pontificis præter opinionem illata eſt; & ex levibus cauſis exorta rixa, magnam Germaniæ partem ab obſequio ſedis Romanæ avertit. Si verum dicere fas eſt, ut exigua ſcintilla in tantum incendium erumperet, cauſam præbuit tum inſcitia eorum, qui primi ſeſe Luthero oppoſuerunt, tum Leonis X. inconſulta præcipitantia Scilicet miſelli quidam Fraterculi inter ſe rixabantur, cui alteri pietas magis, alteri quæſtus Sacerdotum cordi videbatur. Vtriſque ab initio ſancta habebatur autoritas Pontificis. Heic prudentis fuerat judicis, utrique ſe parti æquum præbere, aut utrique parti mature ſilentium imponere, ne apud vulgus ea merx ſuſpecta fieri inciperet. Saltem non ita aperte in partes inſtitorum erat deſcendendum, & ne ſummo paſtori lucrum magis, quam ſalus animarum curæ crederetur, aut quaſi iſte mallet peccata redimi, quam prohibere.

Et præbebatur occasio suspicandi hominibus parum devotis, quasi eadem cum medicis,& chirurgis agitarent vota Sacerdotes, queis morbi ac vulnera hominum emolumento cedunt; quosque adeo iisdem bona fide indolescere nemini persuadetur. Quod si autem stultum, & sacrilegum erat, sententiam ferre in detrimentum Ecclesiæ vergentem; debebant hominem præfervidi ingenii donis, aut per promissa delinire, ne facem iste laicis præferret ad excutiendum Sacerdotum jugum. Et cum plurimi per ambitum, aut largitiones ad dignitates Ecclesiasticas adspirauerint, tanti puto fuerat Monachum purpura involvere, ne tam male de Ecclesia, Romana mereretur. Enimvero cum Martinus ille deprehenderet, Sacerdotum apud tribunal nihil æqui sese obtenturum, Laicorum captare fauorem instituit. Exinde Papam, qui aperte litem jam suam fecerat, pro judice recusavit agnoscere: Et ne Patronis destitueretur, docere cæpit, ad Principes seculares, aut qui his similem gerunt potestatem, spectare curam Ecclesiæ, cumque videant,per bona à majoribus ad pios usus destinata Clericorum ignaviam, & luxuriam ali, fas esse otiosa pecora sagina sua excuti. Id à multis avide arreptum, partim quod pleraque à veritate non aliena dici viderentur, partim quod reditibus suis opimam inde alluvionem sperarent. Increbuerat quoq; rumor, ab nostratibus simplices Germanos illudi,dum pecunia ex peccatis ipsorum redacta,aleæ,luxuriæ,aut ad satiandam Papalium neptium avaritiam insumitur. Redibat quoque in memoriam dictum Martini V.

paſtore animarum oppido quàm dignum, ſibi eſſe in votis, ut ciconia fiat, dummodo Germani in ranas verterentur. Et qui antehac tam maſcule Romanorum arma repulerant, ingemiſcebant, ſeſe obtentu religionis ab imbelli hominum genere tantum non ad fœnum edendum compelli. Sed & neſcio quid momenti attulerat reſtauratus tunc bonarum literarum cultus, quod nova iſthæc diſciplina tanto cum applauſu reciperetur. Habent enim id homines eruditi, ut non facile adduci queant ad credenda illa, quæ à ratione videntur abhorrere.

§. 10. Iſthac occaſione magna pars rituum, & ſi quæ dogmata novis doctoribus ſuperflua judicabantur, apud multos Germaniæ populos eliminata; ſimul Clerici paſſim bonis ſacris evoluti. Super iſtis bonis cum occupatoribus apud Cameram plurimæ lites intenderentur, & vero hæc in clericos videretur pronior, novæ religioni addicti, quos Proteſtantes vocari mos invaluit, juriſdictionem Cameræ ſaltem hac in parte detrectabant agnoſcere. Etſi enim alià ante omnia leges jubeant ſpoliatos reſtitui; non ſine ratione tamen tergiverſabantur Poteſtantes, cauſati, prius generali concilio, eoque legitimo, aut alio conventu publico definiendum, ejectos clericos veram fovere religionem. Ni hoc probatum fuerit, id quod ipſis ſit perſuaſum, impudenter ipſos petere fruitionem bonorum, quæ à majoribus vero cultui divino ſint conſecrata. Enimvero cum ſolis rationibus, & proteſtationibus parum ſeſe tutos crederent, plerique eorundem fœdere, quod *Smalcaldicum* vocant, junguntur ad re-

pellendam vim ex causa religionis mutatæ intentatam. Ad arma inde procursum, quæ cum infeliciter cessissent Protestantibus, captis Electore Saxone & Landgravio Hassiæ, religio quoque ipsorum non parum videbatur nutare. Donec Mauritii Saxonis armis restituta horum potentia, Transactio Passavii iniretur, cujus capita passim apud autores historiæ Germanicæ invenire licet. Post vero in Comitiis Augustanis Anno 1555. habitis religioni Protestantium amplissime fuit cautum, per modum publicæ legis sancita pace, quam vocant, religiosa. Ibi præcipue conventum, ne partes se invicem obtentu religionis invadant, lædant, aut ad eandem ejurandam vi adigant. Si quæ bona Ecclesiastica, quæ ad statum aliquem immediatum non pertinuerunt, ab ordinibus secularibus fuerint occupata, modo clerici tempore transactionis Passaviensis, aut interea, ista non possederint, possessoribus relinquantur, neque propter hæc Camera in occupatores jus dicat. Iurisdictio Ecclesiastica in socios Augustanæ Confessionis suspendatur, & ipsis circa sacra sua disponendi sit facultas. Ne quis alterius subditos in suam religionem pertrahat, eorumque defensionem obtentu religionis suscipiat. Subditis tamen, qui ceremoniis sunt addicti à superiori suo diversis, detur facultas sua bona vendendi, & alio migrandi. Si dissidium religionis per licita media non componatur, pax ista in perpetuum duret.

§. 11. Acerrime autem discrepatum super concedenda clericis Catholicis licentia amplexandi religionem Augustanam, ita ut cum dignitate

ſimul retinere detur ditiones ſacras. Id quod Proteſtantes obnixè urgebant, in magnam ſuæ religionis redundare infamiam, ſi, ſuſcepta ejus profeſſione, dignitate, boniſque ſit cedendum. Multis hac via ad puriorem doctrinam aditum obſtrui. Sibi hautquidquam in animo eſſe, ditiones ſacras in profanos uſus convertere, aut capitulis liberam electionem adimere. Verum cum iſthac licentia jugulum religionis Catholicæ per Germaniam peti ſatis adpareret, non minus præfractè Catholici ſtatus iſtis ſeſe oppoſuerunt, & favente ipſis Ferdinando obtinuerunt, ut hæc clauſula paci religioſæ insereretur: ſi Clericus ad Proteſtantium religionem tranſeat, beneficia quæ habuit Eccleſiaſtica perdat, ſalva tamen exiſtimatione. Etſi tunc, & aliquoties poſtea, præprimis in cauſa Colonienſi, de iſta clauſula queſti ſint Proteſtantes, neque ea ſeſe teneri aſſeruerint.

§. 12. Enimvero iſthæc pax omnia diſcordiarum ſemina, ex diverſitate religionis oborta, tollere haut quidquam potuit. Nam & inter ipſos novæ religioni addictos in partes diſceſſum, quod plerique quidem verbis Auguſtanæ confeſſionis ſimpliciter inhærerent, alii limatius quædam dogmata proponenda cenſerent. Et quanquam cordatioribus videretur, rem tanti non eſſe, ut propterea in bella velut civilia iretur: tamen animi invicem non mediocriter exacerbati fuerunt intemperie concionatorum, & artificio Catholicorum, quibus diſſenſio adverſariorum multum ad victoriam profutura erat. Cũque à pace religioſa excluſi eſſent, qui neque Catholicam,

licam, neque Augustanam fidem sectarentur; callide laborabant Catholici, ut ad illos, qui politius sese credere arbitrabantur, Augustana confessio nihil spectare à reliquis, eidem simplicius addictis, judicaretur. Quanquam autem hi non semel publice testarentur, illos ob dissensum non capitalem à pace sacra hautquidquam sequestrandos; effecit tamen sacerdotum fervor, ut utrique seorsim suas rationes habere inciperent, parciusque in commune consulerent: imo cum una pars à Catholicis premeretur, alteri tacite spectarent eos pereuntes, aut auxilia quoq; in eosdem submitterent. Extitere deinceps aliæ dissidionum causæ, & demum in Bohemia incendium exortum, quo mox universa Germania fuit involuta. Eo in bello cum fortuna ab initio Cæsari supra votum arrisisset, iisque magnam Germaniæ partem jam armis oppressam teneret, anno demum hujus seculi XXIX. edictum promulgat super restituendis bonis Ecclesiasticis, quæ post transactionem Passaviensem à secularibus essent occupata. Edicti arcana ratio hæc erat, ut Cæsar sibi conciliaret Sacerdotes, reliquosque Ordines Catholicos, & iisdem persuaderet, quæ moliretur in gratiam religionis suscipi, non ad opprimenda Ordinum jura. Quod si autem hisce auxiliantibus, aut saltem non reluctantibus Protestantes subegisset, in proclivi deinceps erat reliquos etiam ad nutus suos componere. Sed quomodo ea destinata eventus destituerit, notissimum est. Demum in pace Osnabrugensi prolixe super negotio religionis fuit cautum, articulo V. ubi transactio Passaviensis, & pax

religiosa denuo confirmata : & expresse eandem ad Reformatos , aut Calvinianos , uti vocant, pertinere declaratum. Additum , quæ post Kalendas Iannuarias anni 1624. in Ecclesiasticis, & eorum intuitu in politicis mutata , in eum statum reponantur, quo dicto tempore fuerunt;adeoque bona sacra , quæ tunc à Catholicis tenebantur, & interim abs Protestantibus occupata fuerint, istis restituantur , & vice versa. Bona sacra mediata , quæ Protestantes dicto tempore possederunt , in perpetuum retineant. Ius religionem mutandi , quod antea Ordinibus libere videbatur competere , ita constringatur , ut subditi Ordinum Catholicorum Augustanæ Confessioni addicti , qui anno 1624. exercitium suæ religionis habuerunt , id retineant ; in eodem turbati restituantur:qui illud dicto anno non habuerunt, libertate conscientiæ gaudeant , cultum tamen suum exerceant tantùm intra privatos parietes, aut in vicinis locis. Quod si tamen à Domino territorii migrare sint iussi, liberum sit bona vendere , aut per Ministros eadem administrare. Nonnulla quoque Cæsar suis subditis in gratiam Principum Protestantium indulsit. Cautum præterea , ut , si deinceps Principum aliquis religionem mutarit, id ei sit impune , suæque religionis Sacerdotes in aula secum queat habere: subditos tamen ad suam religionem vi non adigat , sed in hactenus recepta relinquat. Etsi & hisce licitum est ultro domini sui sacra amplecti. Observandum præterea , libertatem illam religionis esse sancitam per modum pacti,æquales inter initi,& in quo ipse Cæsar alterius partis est accessio;

adeoque neque Cæſari, neque reliquis Ordinibus Catholicis, utut forte numero ſuperantibus, aliquid hic immutare licet. Sed & illud manifeſtum eſt, Ordinum Proteſtantium meliorem heic conditionem eſſe, quam Catholicorum, cum hi à Pontifice dependeant, illi de ſuis ſacris proprio Iure diſponant. Si tamen ulla ſacrorum cura ad imperium civile per decreta religionis Chriſtianæ ſpectare poteſt. Saltem Sacerdotum autoritatem hoc modo in anguſtum redigi in aprico eſt, *add. artic.* I. *&* 19. *capitul. Leopold.*

§. 13. Ad poteſtatem legiſlatoriam pergimus. Ea cui competat, planius adparebit, ſi intelligamus, quali jure, & unde introducto Germania utatur. Vbi faciem nobis prætulit. *Hermannus Coringius* erudito tractu *de Origine juris Germanici,* quem heic fere ſequimur. Operoſus autem eſt laudatus *Coringius* circa refellendam communem opinionem, quaſi iuſſu Lotharii Saxonis circa A. C. 1130. in ſcholas pariter, & fora jus Romanum ſit receptum; oſtenditque ad ſeculum uſque tertium decimum judicia Germaniæ non tam ex jure ſcripto, quam ex receptis moribus; aut ex æquo & bono ſententias pronunciaſſe, judiceſque ad privatas cauſas lectos non doctrina præſtantes; ſed quos ſenilis prudentia, pietas, & juſtitia commendabat, pleriſque tunc è populo laico legendi, ſcribendique imperitis. Seculo porro tertio decimo jus Canonicum paulatim in Germaniam irrepſit, neque ſolum ea inde peti cœpta, quæ ad cauſas ſacras faciunt, ſed & proceſſus cauſarum civilium ad idem inſtitutus, Et ſi multi antiquis ſuis conſuetudinibus

mordicus inhæſerint. Circa eadem quoque tempora antiquæ conſuetudines in ſcripta relatæ, quas inter præcipue celebrantur leges Lubecenſium, & jus Magdeburgicum, quod Teutonica lingua Vveichbild vocant. Item ſpeculum juris Saxonici,& Suevici,ut & jus feudale Saxonicum, & Suevicum. Atque his fere juribus uſa eſt Germania per ſeculum decimum tertium, & quartum, Seculo demum decimo quinto jus Romanum, nec minus jus feudale Longobardicum ſenſim invaluit, peritis ejus juris in conſilia Principum adſcitis, queis artificium ſuum omnibus modis fovere cordi fuit, idemque paſſim per Academias Germaniæ doceri cœptum, ad exemplum, uti adparet, ſcholarum noſtratium. Hinc qui in ſcholis iſti iuri operam navaſſent, cum tribunalibus admoverentur, idem jus paulatim in forum receperunt. Et anno 1495. à Maximiliano I. conſtitutum, ut in Camera jus ex legibus Romanis diceretur, ſalvis tamen receptis conſuetudinibus, & particularibus ſtatutis ſingulorum locorum. Ergo jus, quo Germania hodie utitur eſt cinnus quaſi quidam ex jure Romano, Canonico, antiquis conſuetudinibus, & ſtatutis ſingularum provinciarum,atque urbium, fere inter ſe pluʀimum diſcrepantibus. Et id in tribunalibus regulariter obſervatur, ut ſiquidem ſtatutum aliquod provinciale, aut municipale extet, id primo loco valeat; hoc deficiente ad jus Romanum recurritur, in quantum communiter receptum eſt. Habent autem hoc Ordines Imperij, ut in ſuis ditionibus circa cauſas civiles poſſint leges ferre, etiam à jure communi diſ-

crepantes, uti & alia ſtatuta condere ad uſus ſuos facientia, in conſulto quoque Imperatore, modo nihil contineant ſtatui totius Imperii adverſum. Etſi multi jura ſua Provincialia per Imperatorem rata haberi fecerint. Imo & circa criminalia leges condere poſſunt peculiares. Neque enim conſtitutio Carolina per omnia ubique obſervatur. Exercenr etiam Ordine jus nocentibus veniam ſupplicii concedendi. Quod ſi novi quid ſtatuendum ſit, omnes obligaturum, id non niſi in Comitiis univerſorum conſenſu concedi poteſt; nec minus Imperator, quam Ordines eodem abſtringuntur. Vid. Art. 2. Capitul. Leopold.

§. 14. Iudiciorum per Germaniam diverſis temporibus diverſa fuit ratio. Circa quæ cum accuratiſſime ſit traditum à laudato *Conringio* tractatu *de Germanici Imperii judiciis*, præcipua inde excerpta heic ſubjicere compendium laboris fuerit. Quid ergo ſub Carolo M. obtinuerit, prius videamus. Familiæ regiæ cum inter ſe, tum adverſus alios controverſiæ in concilio procerum, & populi diſceptabantur; nec minus cauſæ Procerum, quæ quidem magni forent momenti. Minores procerum lites per Regem, aut ipſius Miſſos, (ita enim tunc vocabantur, quos hodie Commiſſarios, aut Viſitatores, vel delegatos extraordinarios appellare poſſis) dirimebantur. Pro reliquorum controverſiis erant in ſingulis pagis, ſeu diſtrictibus conſtituti à Rege Graviones ſine Iudices, ſtipati Scabinis ſive Aſſeſſoribus ex nobilitate, aut honeſta plebe ſelectis. Hi ſuper civilibus, & criminali-

bus actionibus cognoſcebant. Graviones porrò propter pagorum amplitudinem paſſim per vicos ſibi ſubſtitutos habebant vicarios, ſive ipſorum lingua Sculteſios; à quibus tamen ad iſtos dabatur provocatio. Sacerdotes præterea in vitioſos Chriſtianorum mores pœnis canonicis animadvertebant. Epiſcopis in clericos, & Monachos juriſdictio. Ipſos Epiſcopos apud Metropolitanum, aut in Synodo deferri moris erat; etſi paulatim ad Pontificem Romanum ob iſtius ſedis autoritatem provocationes fieri cœptæ. Imo & laicorum cauſæ promiſcue ad Epiſcopos devolutæ propter ſanctimoniæ, & integritatis opinionem. De bonis autem ſacris judicium non erat penes Clericos, ſed penes Advocatos, ſive Vicedominos peculiariter à Regibus conſtitutos: adeoque Clericorum perſonæ judicio cleri, bona eorundem judicio Advocatorum Laicorum ſuberant. Ab hiſce judicibus provocabatur tum ad Miſſos Regios, qui certis temporibus Provincias circumibant, tum ad ipſum Regis Palatium; ubi ſuper provocatione cognoſcebat ipſe Rex, aut Comes Palatinus, cujus etiam erat dirimere cauſas in ipſa aula enatas. Provocare tamen non temere conceſſum, niſi ubi Graviones, aut Miſſi juſtitiam adminiſtrare detractaverant. Omnia tamen breviſſimo & planiſſimo proceſſu, & per paucas audientias terminata. Sic ut in hac judicorum forma nihil poſſis deſiderare, niſi provocationes Clericorum ad Pontificem, ſanctiſſimum quidem illum, ſed tamen extra Germanorum Remp. conſtitutum.

§. 15. In hisce successu temporum pleraque mutata. Causas regias post Auream Bullam ad se solos fere revocarunt Electores. Pontifex quoque in eosdem eousque sibi potestatem sumsit, ut ipsos excommunicare, & subjectos ab obsequio liberos pronunciare non dubitaverit; Imperatorem insuper vassallum, & Imperium feudum suum jactans. Circa Principum causas illud ex antiquo more mansit, quod istæ nunquam solius Regis judicio fuerint permissæ, sed inconventu Procerum decisæ, processu simplici ac brevi, & ex æquo & bono. Et si quando intra proximum potissimum seculum Imperatores sibi solis potestatem sumsere judicandi circa feuda Principum, animosiores Ordinum constanter contradixerunt. Quin si alia deessent testimonia, universi structura Imperii satis arguit, solius Cæsaris arbitrio tanti momenti cognitiones relinqui non posse. Sic ut adulationis manifesti sint, qui è Germanis dictum das Fürstenrecht, sive Iudicium Principum inane figmentum vocare sunt ausi. Id tamen deinceps introductum, ut pleræque Principum familiæ, quos & vrbes liberæ sunt imitatæ, judicia sibi arbitraria constituerent; Teutones sua lingua Austrægas vocant; quorum origo probabiliter refertur ad extrema Friderici I I. tempora, & magnum illud interregnum. Martem quoque sæpenumero arbitrum sumsere, quibus potentia, magis sua, quam causa placuit. Id quoque à recentiore tempore, quod non ipsi Cæsares ac Principes causarum cognitionem susceperunt, sed eandem in Ministros suos rejecerunt, legum

peritos. Quod non potuit non evenire, postquam pro ſimplicibus conſuetudinibus patriis intricatæ leges Pontificiæ, & Romanæ ſubjerunt, quas Principibus addiſcere ſummi inſtar ſupplicii futurum erat.

§. 16. Circa Clericos illud mutatum, quod Epiſcoporum cauſæ perſonales paulatim omnes Romam ſint pertractæ, neglecta Metropolitanorum, & Synodorum provincialium autoritate, ſic ut Clericorum perſonæ omnes judiciis ſecularium eximerentur. Id quod apud Proteſtantes mutatum Catholici adhuc retinent. Etſi Carolus V. & quidam alii, Pontifice inconſulto, & ringente, circa religionem nonnulla diſpoſuerint, & in perſonas Clericorum manus injecerint. Tempore quoque Friderici II. & deinceps plerique Clerici liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem, excuſſis Advocatis, ſibi aſſeruerunt. Subſunt tamen Eccleſiaſtici Ordines Imperio ratione feudorum ſuorum, & regalium, quibus multari poſſunt, ſi in pacem publicam, aliaſque Imperii leges atrociter deliquerint. Monachi quoad perſonalia ſeculo Caroli Magni ſub Epiſcoporum erant juriſdictione, cui deinceps antiqua quædam Monaſteria exemta, & immediate Pontifici ſubjecta. Novi ordines; circa ſeculum decimum tertium, & deinceps exorti, ſuis Provincialibus, & Generalibus ſubjecti, unius Papæ ſupremam agnoſcunt juriſdictionem. Bonorum adminiſtratio ab initio ut plurimum Advocatis commiſſa, à quibus ſucceſſu temporis aliqua cœnobia exempta; plura in antiquo ſtatu permanſere. Pauca quoque ab oneribus publicis immunia facta.

§. 17. Causæ plebejorum seculares jam tum seculo Caroli M. vel coram Episcopali audientia, quæ deinceps latè pomœria protulit, vel in foro seculari agitabantur. Heic adeundi primum Scabini; qui antiquissimis temporibus per pagos atque vicos constituti. Ab his ad Graviones seu Comites ibatur, quorum potestatem post multi Duces, & Episcopi invasere. A Comitibus dabatur provocatio ad Missos Regios, & demum ad ipsum Regem, qui in aula ultimo lites decidebat. Enimvero cum seculo quinto decimo appellationes fieri cœpissent frequentissimæ ob introductas processus ambages, & per rabularum nequitiam, iis commodius excutiendis deliberatum fuit de amplissimo aliquo, & stato tribunali constituendo, quod demum Spiræ fixam sedem accepit. Sic ut illi causam dederit, non quod aula Cæsaris fere ambulatoria foret, sed quod tanta litium moles separato in loco commodissime videretur expediri posse.

§. 18. Moderna per Germaniam judicia sic se habent. Privatus cum privato litigaturus in prima instantia Prætorem adit ejus urbis aut vici, ubi degit, nisi alter privilegio sit munitus. Inde in omnibus, quos novi, Principatus est superius aliquod tribunal, toti provinciæ commune, (ipsi Curiam Aulicam aut Provincialem vocant,) ad quod istis provocatur. Pleræque tamen urbes liberæ suam jurisdictionem unica instantia absolvunt. Communia toti Imperio judicia sunt Camera Spirensis, & Curia Aulica Cæsarea. Verum gaudent quidam Ordines hoc jure, ne ipsorum subditi omnino ad ista suprema tribunalia

possint provocare; uti sunt Electores; etsi circa Ecclesiasticos quidam dubium voluerunt movere, magis tamen an exerceant illud jus, quam an habeant. Item domus Austriaca, & Rex Suediæ, ratione Provinciarum Germanicarum: vid. *Instrumentum Pacis Westphalicæ cap.* x. §. 12. qui Wismariæ tribunal erexit, in quo appellationes, aliàs Spiram, aut in Curiam Aulicam devolvi solitæ, terminentur, *add. capitul. Leopold. art.* 28. *&* 27. Hoc tamen omnibus, quantum mihi constat, Ordinibus est commune, ut ab illis provocatio non sit, nisi litis æstimatio certam pecuniæ summam excedat; quæ summa tamen alibi major, alibi minor. Criminalem autem jurisdictionem non solum Ordines Imperii, sed etiam municipia quædam, ac Nobiles plurimi citra provocationem exercent.

§. 19. Quod si ipsis Ordinibus inter se lis sit, plerique eorum in prima instantia adeunt arbitros sive Austrægas. Eorum aliqui conventione Ordinum peculiari constituti sunt, alii ex communi dispositione legum publicarum dependent. Origo prima eorundem in obscuro est. Vero quam proxime videntur accedere, qui eosdem ad Friderici II. tempora, & interregnum illud magnum referunt, uti jam dictum. Sic ergo istorum autor, quod quidam volunt, non est Maximilianus I. etsi iste novam ipsis formam dederit, quæ extat in ordinatione Cameræ an. 1495. Wormatiæ conscripta. Ex variis, qui ibidem recensentur, Austrægarum modis duo potissimum frequentantur, ut vel reus tres denominet Principes, aliosque Ordines, ex quibus unus ab actore eli-

gatur; vel ab Imperatore Commiſſarii, unus pluréſve impetrentur. Sunt tamen quædam cauſæ, quæ non ad Auſtrægas pertinent, ſed ſtatim ad Cameram aut judicium Aulicum ſunt deferendæ, quas paſſim in vulgaribus libellis enumerati videas. Comitantur autem Auſtrægas hæc incommoda, quod ab illis provocari queat ad Cameram, & Iudicium Aulicum, adeoque paucæ lites ibi finiantur; quodque multi ſumtus requirantur, dum muneribus demulcendi, lautéque tractandi Commiſſarii Principum arbitrorum. Accedit, quod ſemeſtre, aut annuum ſpatium ſit præfinitum judicio Auſtrægarum, intra quod litem majoris momenti finiri portentum in Germania foret.

§. 20. Supremum Germaniæ tribunal & Camera cui Spiræ ſedes fixa, quæ primum conſenſu Ordinum inſtituta à Maximiliano I. anno 1495. Hæc etſi in decretis ac ſententiis ſuis ſolius Imperatoris nomen præ ſe fert: rectius tamen illi, qui eandem non abs ſolo Imperatore, ſed & ab univerſis Ordinibus dependere, eorumque autoritate jus dicere aſſerunt. Præſidem huic judicio conſtituit Cæſar, virum Principem, aut ſaltem Comitem vel Baronem. In pacificatione Oſnaburgenſi conventum, ut deinceps ſub primatio illo Præſide, quem Iudicem Cameræ vocant, eſſent quatuor Prçſides inferiores, à Cæſare conſtituendi, & in univerſum L. aſſeſſores, quorum XXVI. religioni Catholicæ, XXIV. religioni Proteſtantium forent addicti. Scilicet ut tolleretur Proteſtantibus materia querendi, quaſi prævalente numero aſſeſſorum Catholicorum, ipſi

justitiam experirentur minus faventem. Quanquam hodie ne dimidia quidem pars istius numeri sit expleta, plerique Principum tardis in sufficiendis assessoribus, aut conferendis eorundem salariis; quod ipsorum aures imperiosas ejus tribunalis sententias, utut raro ultra verba procedentes, ferre aversentur. Qui accuratam ejus judicii formam cognoscere avet, ei omnino legenda est ordinatio Cameræ, Recessibus Imperii inserta. Vulgo lites Spiræ dicuntur spirare, sed nunquam expirare, cujus rei causa est tum immensæ ambages processus, tum causarum multitudo, & paucitas assessorum. Sed præprimis, quia deficit utplurimum facultas exequendi sententias. Inde qui propriæ confidunt potentiæ, suique deque habent, quid Spirenses pronuncient. Et his ipsis tantum salis est, ut quod superest autoritatis non temere velint prodigere, sententias dicendo validioribus ludibrium debituras. Imbelles tamen muscas heic, ut & in aliis tribunalibus, irretiri mos est. Circa defectus Cameræ emendandos multa sunt constituta in recessu Imperii anno 1654. A Camera non datur provocatio; sed si quis gravatum se putat, revisionem potest petere: quæ tamen, quantum mihi constat, alto adhuc somno composta quiescit.

§. 21. Est quoque in aula Cæsarea judicium, quod pari se potestate cum Camera Spirensi fert, sic ut qui in illo moventur lites, ad hanc non possint trahi, & vice versa. Ejus leges primum Ferdinandus Cæsar promulgavit Anno 1549. auxit Maximilianus II. planè innovavit Matthias Anno 1614. Sed & quædam interpolata per Ferdi-

nandum tertium in Comitiis Ratisbonensibus Anno 1654. *Vide Instrumentum Pacis art. 5. §. 20. & artic. 41. 42. 43. Capitul. Leopold.* Id judicium à solo hactenus Imperatore dependit, utut ejusdem assessores etiam Moguntino tanquam Archicancellario Imperii juramento sint obstricti. Causam instituti ejus judicii divinando assequi non ita arduum est. Scilicet ægrè ferebant Austriaci, dum Spiræ super adpellationibus cognoscitur, ibique justitia imploratur, aulam suam minus frequentari. Nam & in eo maximè resplendet imperantium Majestas, quod ad illos confugiant, qui super jure suo consequendo, aut repellenda injuria laborant: & cui justitiæ oracula interpretari datum, facile ab eadem Diva impetrabit, ut ne aliquid respondeat, quod commodis ipsius adversetur. Camera porro Spirensis, præterquam quod ab universo Imperio dependeret, consilium erat ab aula Cæsarea remotum; Rhenoque suo affixum, qua Danubius flueret, parum videbatur curare. Controversiæ porro Ordinum, propter mutatam juris rationem, non ita commodè, ut olim in comitiis expediri poterant. Eas ergo si ad se solum trahere posset Cæsar, receptis etiam privatorum provocationibus, firmum sibi gradum strui videbat ad comparandam paulatim in Ordines potestatem Regiam. nec deerat plausibilis prætextus tali judicio instituendo. Quare namque in capitulatione promiserat, se omnibus iustitiam administraturum, si omnes ipso præterito, Spiram cursum intenderent? Accedebat, quod judicium illud aulicum lentissimo sese processui haut adstrictum profite-

retur. Vnde volupe erat brevi lite posse defungi, si cui ejusdem favorem mereri contigerat. Nam Spirensibus, ne si velint quidem, etiam in liquidissimis causis, ambages illas præcidere non licet. Profundius adhuc genium illius judicii penetrabit, qui consideraverit, esse adhuc secretius sive sanctius Consilium in aula Cæsaris, in quo negotia summam Reipub. spectantia potissimum tractari solent. Causæ igitur controversæ in judicio Aulico prius disceptantur, & ubi adspectus quidam politici intervenerint, ad Cæsarem transmittuntur, adjuncto, quid sibi super iis videatur. Hinc causæ denuo in secretiori isto consilio proponuntur, ubi non tam iuris, quam status rationes ponderantur, puta num Cæsari expediat talem sententiam ferri, an & quam commode exsecutio possit fieri. Si circa talia scrupulus occurrat, sententiæ pronunciatio suspenditur. Illud tamen credere vix ausim, Assessores ejus iudicii non valde indignari, si partes per largitiones ipsorum gratiæ conentur adrepere. Etsi ut hac sese suspicione liberarent, multis consultum videtur, si litigantibus indicare erubescerent, cuinam ipsorum causam in Senatu referre sit injunctum.

§. 22. Circa exsecutionem sententiarum in summis hisce tribunalibus dictarum ita fere proceditur. Primo sententiæ ut pareatur, parti condemnatæ adiungitur sub comminatione certæ summæ marcarum auri puri, partem fisco, partem victori solvendarum. Si tergiversatus iste fuerit, multa intenditur. Si qui minas contemnere perrexerit, banno sive proscri-

ptione afficitur, ac vi armata in ordinem redigitur. Et quidem si alicui Ordinum subjectus sit, exsecutio eidem mandatur, cui damnatus subest. Si damnatus ex Ordinum numero fuerit, exsecutio mandatur præfecto circuli, aut uni alterivè Ordini ejusdem circuli, cujus membrum iste damnatus est. Si circulus unus parum sit validus cogendo damnato, duobus aut tribus ea res injungitur. Verum rarius contingunt ejusmodi exsecutiones; & magis est ex commodo Germaniæ, Ordinumque libertate, ut tanti momenti lites arbitrorum interventu componantur.

§. 23. Denique si quid incidat, quod summam Reipub. spectat, de eo hautquidquam licet Imperatori pro lubitu statuere, sed in Comitiis sive universorum Ordinum conventu ejusmodi negotium est proponendum, & ex consensu eorundem definiendum *Vid. Capitul. Leopold. art.39. sub fin.* De his quia satis accurratè à scriptoribus Germanis traditur, nos summa tantum capita delibabimus. Indicere Comitia solius quidem est Imperatoris, ita tamen ut literis, vel per legatum consensus Electorum sit requirendus, etiam super eorundem loco & tempore. *Vid. art. 17. Capitul. Leopold.* Possunt etiam Electores Imperatorem admonere de habendis Comitiis, si usus Germaniæ videatur exigere. Quia vero eadem multo Statuum sumtu celebrantur, expresse Capit. Leopold. d. l. cautum fuit, ne Imperator ipsos, habitis præter necessitatem comitiis, gravaret. Per interregnum Comitia indicere penes Vicarios Imperii erit, &

abſente Imperatore penes Regem & Romanorũ ſi quis tunc extiterit. Indictio non fit pubico, & generali aliquo edicto, ſed per literas manu exaratas, aut impreſſas, ſingulis ordinibus inſinuandas, quæ concipiuntur verbis blandam potius invitationem, quam imperioſam citationem præ ſe ferentibus. Et iſthæc indictio fere per ſemeſtre ſpatium antecedit comitia, ut per otium de rebus ibi tractandis meditari poſſint Ordines.

§. 24. Priſcis temporibus per ſingulos annos Comitia fuiſſe habita, nec ultra menſem duraſſe, antiquitatum Germanicarum peritis probabile videtur. Hodie quoties, & quamdiu eadem celebranda, nihil certi conſtitutum, ſed iſta omnia neceſſitatibus Reip. definiuntur, ſaltem ita fieri debebat. Iudicant tamen aliqui, expedire Ordinum libertati, ſi certum intra tempus, puta ſingulis trienniis omnino Comitia eſſent celebranda; ubi tamen neceſſarium foret, negotiorum molimina, nec minus ingentes ſumtus in compendium redigere. Etſi ſuſpicantur nonnulli, moras iſtas, & impenſas è re Cæſaris eſſe, ut earundem tædio feſſi Ordines à Comitiis abhorrere incipiant; quæ aliàs libertatis ſervandæ efficaciſſima media creduntur. Circa locum Comitiorum in Aurea Bulla quidem diſpoſitum, ut prima Comitia Noribergæ habeantur. Id quod tamen hactenus ita religiosè non obſervatum. Et in capitulationibus de commodo duntaxat loco fit mentio, qui non ſit ſitus extra Germaniam & in quem Electores conſenſerint. Iamdudum urbs aliqua

Imperii

Imperii libera Comitiis ſedem præbuit, cujus rei ratio non eſt in obſcuro. Et ægrè crediderim comparituros Principes, ſi v. g. Viennam eoſdem Imperator convocaverit.

§. 25. Vocantur ad Comitia omnes Imperii Status, & quidem inter Eccleſiaſticos etiam illi qui nondum à Pontifice ſunt confirmati, aut pallio armati. Sede vacante vocatur capitulum. Poſſeſſores Epiſcopatuum, qui religionem Auguſtanam fuerant amplexi, cum antea neque vocarentur, neque admitterentur, in pace demum Oſnabrugenſi peculiarem locum accepere. Circa principes ſeculares obſervandum, quod pro minorrennibus ipſorum tutores vocentur. Majorennes etiam ante petitam & obtentam inveſtituram vocari & admitti debere verius eſt, utut ea ſuper re in comitiis Ratiſbonenſibus Anno 1608. Ioanni Friderico Duci Vvirtebergico controverſia mota fuerit. Si qua in domo jus primogenituræ receptum, ſolus primogenitus vocatur. Vbi diviſioni ditionum locus eſt, ſinguli vocantur, qui de portione ſua peculiariter ſunt inveſtiti. Qui ditiones ſuas indiviſim poſſident, vniverſi quidem vocantur, ſed ſuffragium duntaxat unum obtinent. Vocati ad Comitia comparere tenentur vel ipſi, vel, ſi hoc incommodum fuerit, per legatos, mandatis ſufficientibus inſtructos. Qui venire neglexerint nihilo ſecius obſtringuntur eo, quod à majori parte concluſum. Ex peculiari privilegio Rex Bohemiæ non tenetur venire ad Comitia, niſi ea Noribergæ aut Bambergæ habeantur. Domui Auſtriacæ ſtatibuſque cir-

culi Burgundici venire an emanere velint liberum eſt. Inania rituum recenſere non eſt noſtrum.

§. 26. Quæ in Comitiis deliberanda, & conſtituenda ſunt, ab Imperatore, aut ejus Commiſſariis proponuntur. Inde ad deliberationes proceditur. Vbi quæſtio movetur, an idem ſit ordo tenendus in deliberando & conſtituendo, qui fuit obſervatus in propoſitione? ſeu, an ad aliud caput rerum propoſitarum ſit tranſgrediendum, prioribus nondum deciſis? Heic Status quidem ſæpe contenderunt, non ita religioſe inhærendum ordini propoſitionis. Enimvero ſemper Cæſareani ſunt obnixi; quibus de cauſis naſutioribus facile ſubolet. Scilicet primum ſemper locum obtinuere, quæ Cæſaris ex re fuerant, Reip. univerſæ commoda poſt principia ſtare juſſa. Igitur ſi de his quoque aliquid cogitare vellent Ordines, neceſſario prius Cæſari gratificandum erat. Qui poſtquam ſcopo ſuo fuit potitus, de negotiis Ordinum non adeo anxius fere deprehenſus eſt. Vbi ad deliberationes deſcenditur, in tria collegia Ordines ſeparantur, Electorum, Principum, & Vrbium, quæ ſeparatio creditur cæpiſſe anno 1589. in Comitiis Francofurtenſibus. In primo directorium, quod vocant, gerunt Moguntinus, in altero Auſtriaci, & Salisburgenſis alternis vicibus, in tertio urbs illa libera, in qua Comitia celebrantur. Principes viritim ſuffragia ferunt; Comites, Prælatique minores curiatim. Major pars pauciores quoque obligat niſi circa negotium religionis, & ubi ordines non tanquam unum corpus, ſed tanquam partes

invicem disceptantes considerantur. An idem in materia collectarum debeat obtinere, nondum est decisum. *Vid, Instrument. Pacis art.* 5. *n.* 19. Ego putaverim distinctione rem posse commodissime expediri, an quæ conferuntur, ad totius Reip. salutem spectent, an vero in gratiam duntaxat & peculiarem usum Imperatoris tendant. Ista nemo bonus civis defugerit: circa hæc suæ quemque liberalitati modum statuere par fuerit. Modus deliberandi hic fere est. Quod collegio Electorali visum fuit, collegio Principum communicatur. Hoc illi vicissim suam mentem aperit. (referre & correferre vocant) idque tamdiu, quousque inter ipsos convenerit. Id ubi factum, sententiam suam collegio Vrbium exponunt. Vbi & hoc conspiraverit, Imperatori, aut ejus Commissariis unanimis Statuum sententia proponitur. Quod si eam adprobaverit, res confecta est. Si collegiis inter se convenire non possit; discrepantia suffragia Imperatori proponuntur, qui amica tractatione, non autem pro imperio componere disceptantes laborat. Similiter si & ipsi quid secus videatur, eousque res amice agitatur, donec & ipse cum Ordinibus, aut hi cum illo conspirent. Inde solennis in Recessibus Imperii formula; hæc inter Imperatorem & Ordines per modum contractus constituta. Circa collegium Vrbium observandum, etsi in Instrumento Pacis art. 8. §. 4. votum decisivum illi sit assignatum, cum antea cæteri ad deliberationes duntaxat idem admittendum contenderent; non tamen prius duo superiora collegia cum hoc communicant, quam ipsis inter se convenerit. Ita ta-

men, ut illa huic ſua decreta pro Imperio, aut tanquam major pars, invito nequeant obtrudere. Sed ubi diſſenſerit, res ad Imperatorem defertur, quouſque & heic concordia fuerit inventa. Quæ componi nequeunt, in alium conventum differri moris eſt. Quæ ſic univerſis placuere à Moguntino directorio in juſtam Receſſus formam rediguntur, denuo expenduntur, & poſt ſubſcriptionem, & ſigillationem promulgantur.

§. 27. Quid igitur circa præcipuas ſummæ poteſtatis partes Imperatori ſit relictum ſatis puto adparet. Sunt tamen quædam jura, quæ ſoli Imperatori per Germaniam exercere datur. Inter quæ referunt 1. jus primariarum precum, cujus vi electus Imperator in quolibet collegio Clericorum unam poteſt perſonam ad beneficium Eccleſiaſticum præſentare. Cujus tamen juris non tam ipſum Imperatorem, quam Clericos pudere debebat, qui cum pleraque ſua veterum liberalitati Imperatorum in acceptis referant, non niſi unius beneficii collationem in ſingulis Collegiis ipſi reliquerint, & quidem per modum precum valituram. 2. Quod cujuſvis generis & gradus dignitates confert. *vid. tamen art.* 43. *&* 44. *Capitul. Leopold.* 3. Quod ab ipſo ſolo obtinetur inveſtitura, & collatio feudorum principalium, & quæ per vexillum notari moris eſt 4. Quod ſcholas publicas ſive Academias conſtituit. 5. Quod facultatem indulget condendæ urbis, & ſi quæ minoris ſortis ſunt alia.

§. 28. Sed & exinde non difficile eſt colligere, quidnam Ordinibus ad ſummum Imperium deſit. Scilicet habent iſti, ſaltem plerique, jus vitæ & necis in ſibi ſubjectos. Leges condunt, etiam

juri communi repugnantes. Religionis libertate gaudent. Omnes reditus ex ditionibus sui sibi capiunt. Tributa indicunt. Fœdera inter se, & cum exteris feriunt, modo non spectent contra Imperatorem, aut Imperium. *vid. Instrum. Pacis art.* 8. §. 2. *& capitul. Leopold. cap.* 6. *&* 8. Quod jus mediatis Imperii civibus expressè ademtum, *art.* 9. *capitul. Leopold.* Armis se defendunt, aut injurias sibi illatas vi exequuntur, præprimis contra exteros. Munimenta in suis ditionibus extruunt. Monetam cudunt; & quæ sunt alia ad gubernationem civitatis necessaria. *add. art.* 33. 34. *capitul. Leopold. & Instrum. Pacis artic. VIII.* §. 2. Ad dignitatem Electorum peculiarem facit *articul. V. capitul. Leopold.* Et ista quidem omnia suo jure, non Imperatoris loco exercent. Neque tam ipsorum potestatem, quam habendi modum afficit, quod ditiones suas tanquam feuda ab Imperatore, & Imperio agnoscant. Nam cum eadem hereditario jure ad posteros transmittant, ritus potius solennis, quam veræ collationis vim investitura habet; cum nemini denegari possit, qui intra legitimum eam tempus petat. Iuramentum fidelitatis intelligitur salvis cujusque juribus; & socios quoque invicem juramenti vinculo adstringi tralatitium est. Neque illud tantum onus est, aut subjectionem arguit, quod in Comitiis propriis sumtibus teneantur comparere. Nam id in omnibus sociorum conventibus fieri suevit. Vti nec illud, quod ad Imperii necessitates quædam conferunt. Denique quod durissimum videtur, Statum Imperii in supremis tribunalibus posse in jus vocari, &

ubi in Remp. graviter deliquerit proſcribi, & ditionibus ſuis exui; nec id ſocietatum natura reſpuit. Nam & apud antiquos talia exempla occurrunt in ſocietate Amphyctionum, & Achæorum; & noſtro ſeculo vidimus fœderatos Belgas Groningam ad tempus caſtello coërcere. Statibus tamen Germaniæ abunde cautum *art.* 28. *capitul. Leopold.* Vt autem, qui reliquis proterve, ac pertinaciter inſultaverit, à cæteris compeſcatur, etiam in æquali ſocietate fieri ſuevit.

CAPVT VI.

De Forma Imperii Germanici.

§. I. QVemadmodum coporum naturalium juxta, atque artificialium ſanitas, & habilitas ex apta partium inter ſe harmonia, & connexione reſultat: ita quoque corpora moralia, ſeu ſocietates firmæ, aut invalidæ judicantur, prout earundem partes inter ſe bene, aut ſecus invicem innexæ deprehenduntur; adeoque prout concinnam formam, aut irregulare quid, & monſtroſum præ ſe ferunt. Satis autem ex ſuperioribus apparuit, in Germanorum Rep. latitare neſcio quid, quod eandem ad ſimplices Rerump. formas referri, prout vulgo à politicis illæ deſcribuntur, non patiatur. Eo curatius nobis in genuinam ejus imperii formam erit inquirendum, quo craſſius plerique ejus nationis Scriptores heic erraverunt, ignorantia civilis

ſcientiæ, & quia pleriſque apud iſtos complurium ſententias citra judicium compilaſſe, novus liber vocatur. Eo faciliorem vero mihi veniam polliceor, ob admixtas paulo uberius, quam pro delicatis auribus, ſubtilitates ſcholaſticas, quo difficilius eſt citra hæc ſolidum de Germaniç ſtatu judicium ferre. Etſi paucis apud cordatos verbis liceret defungi, ni aliorum ineptiæ plurimis probatæ, operoſius viderentur convellendæ.

§. 2. Circa ſingulas ergo partes, ſeu Ordines Imperii ſeparatim ſpectatos, parum eſt difficultatis. Nam omnes Principatus ſeculares, & Eccleſiaſtici (quorum illi hæreditate, hi per electionem conferuntur,) nec non Comitatus, Monarchiarum inſtar gerunt. Cum hoc tamen diſcrimine, quod alicubi Principum poteſtas ſit abſoluta, alicubi limitata per certa pacta tum Statibus, quos vocant, ſeu Ordinibus Provincialibus. Vrbium autem liberarum nonnullæ Ariſtocratico utuntur regimine; in quibus nempe penes Senatum eſt ſumma rerum, in quem primarii cives ipſorum Senatorum ſuffragiis adoptantur; & ubi Senatus neque à plebe in ordinem poteſt redigi, neque rationibus adminiſtrationis ſuæ reddendis eſt obnoxius. Alicubi Democratia viget, ubi tribuum ſuffragio Senatus ſuppletur, illiſque in hunc inquirendi eſt poteſtas.

§. 3. Quæ autem toti corpori Germaniæ forma Reip. ſit aſſignanda, inter ſcriptores ejus nationis non convenit; certiſſimo argumento Reip. valde irregularis; nec minus inſcitiæ ſcriptorum, qui fere nulla rerum civilium, aut valde tenui ſcientia inſtructi, ad commutandum de Iure pu-

blico, ut ipsi vocant, provolarunt. Qui Democraticam Imperio isti formam attribuerit, nondum vidisse memini. Sunt tamen, qui illos tantum civium Imperii Germanici nomine velint dignari, quibus jus suffragii in Comitiis competit, secuti sine dubio Aristotelem, cui civis dicitur, qui ius deliberandi, & suffragium ferendi de Rep. habet. Hoc si adsumamus, sane Democratia erit Imperium Germanicum, quippe cujus cives soli sint Ordines, qui omnes & singuli utique jus de Rep. deliberandi, & statuendi in Comitiis habent; Imperator autem instar Principis propriè dicti habebit. Enimvero qui definitionem illam Aristotelicam ulterius, quam ad cives in Democratiis Græcanicis degentes velit extendere, valde absurdus sit. Quis enim liberis hominibus, & patribus familias in Regno, aut Aristocratia viventibus civium nomen denegabit, utut isti ad nullam Reip. partem admittantur? Aut quis in Regno unum esse civem, Regem in Aristocratia solos Senatores dicet?

§. 4. Plerique, queis exquisitam rerum civilium scientiam, & erectum libertatis studium ostentare placet, pro vera & mera Aristocratia Germaniam venditant. Hi ut sententiam suam defendant, solicite inculcant. 1. Non esse, quod quis externa rerum facie, superbo adparatu titulorum, & formularum, non nisi Monarchicum quid redolentium, moveatur; quorum pars magna ex genio linguæ Teutonicæ, inanibus honorum verbis luxuriantis ortum trahat; nonnulla ex antiquissima Rep., abs qua moderna multum discessit, remanserint. Penes illos enim revera sum-

mam esse potestatem, quibus competit jus de summa rerum proprio ex arbitrio statuendi, quocunque demum vocabulo insigniantur. 2. Non repugnare naturæ Aristocratiarum habere unum caput paulo eminentius, & autoritate reliquos antecedens, quod velut Directoris, & Præsidis in concilio Optimatium vices obeat. 3. Distinctionem esse faciendam inter ipsam formam Reip. & modum administrationis. Quæ distinctio ita est explicanda, quod interdum contingat, ut una Resp. modum administrationis ex alterius formâ Reip. proxime resultantem videatur æmulari, aut saltem ejusdem aliquod signum præferre. Sic si Rex aliquis de summis Reip. negotiis ad concionem populi aut Senatum referat, modus administrationis illic quidem videbitur habere aliquid Democraticum, heic vero quid Aristocraticum: & tamen revera forma Reip. erit Monarchia, siquidem concilium populi, & Senatus tanquam consiliarii adhibeantur, nec ab iisdem Rex necessario dependeat. Ex aduerso, si in Democratia, vel Aristocratia extet Magistratus aliquis eminentior, aut Princeps propriè dictus, cui jus referendi de negotiis publicis, atque exsequendi leges, & decreta soli, aut præcipuè competat, & cujus nomen acta & decreta publica præ se ferant; erit quidem aliquod simulacrum Monarchiæ in administratione Reip. summa tamen potestas revera penes populum, aut concilium Optimatium residebit. Sunt equidem, qui hanc distinctionem oppugnant eo potissimum argumento, quod cum forma sit principium operationum, has utique non alias esse posse, quam prout istius

velut efficientia permittit. Iam autem formam Reip. esse illum velut fontem,ex quo operationes circa eandem administrandam profluunt. Fieri ergo non posse, ut ab ipsa forma administratio discrepet. Ad hoc ita nonnulli respondent,distiguendo administrationem in eam, quæ fit nomine proprio, & quæ fit alieno. Illam quidem concedunt non posse discrepare à forma Reip. hæc autem quo minus disparem faciem ostentet, nihil obstare. Et ita res est. Diversæ Rerump. formæ resultant ex subjecto, cui summa potestas inhæret, prout illud est vel unica persona, vel concilium ex universis, aut paucis constans. Quibus autem ministris, aut executoribus ista summa potestas utatur, nihil interest. Ne dicam, quod axioma illud, cui argumentum innititur, innaturalibus duntaxat procedat non autem ad illa recte applicetur, queis actionum suarum libera competit gubernatio.

§. 5. Enimvero utut hæc fortassis sat subtiliter in scholis disputari possint; tamen Imperium Germanicum esse Aristocratiam nemini persuadebitur, cui rerum civilium profundior paulo intellectus. Nam ad Aristocratiam requiritur, ut summa potestas sit penes statum aliquem, & perpetuum Senatum; cujus sit deliberare, & statuere de omnibus negotiis ad Remp. spectantibus, exsecutione rerum quotidianarum; aut singularium Magistratibus certis delegata, qui Senatui rationẽ gestorum teneantur reddere. Atqui talis Senatus in Germania hautquidquam datur. Camera enim, & judicium Aulicum super appellationibus duntaxat cognoscunt. Comitia autem

nullo modo ſtati, & perpetui Senatus inſtar habent, cui de omnibus negotiis totam Remp. concernentibus diſponendi ſit poteſtas; quæ peculiares duntaxat ob cauſas convocari moris eſt. Credere autem, Comitia, & quod in illis ſuffragiorum pars major prævalet, eſſe infaillibile indicium ſtatus Ariſtocratici, valde ſimplex eſt. Nam & in compluribus Regnis comitia haberi, in quibus ſuffragia numerantur, notiſſimum eſt; & exempli loco ſufficere poſſunt Regna Angliæ, Suediæ, Scotiæ. Quid autem frequentius, quam inter ſocios, arctiori fœdere in unius velut ſyſtematis compagem combinatos, conventus ſeu comitia celebrari? quorum in ſocios non minor autoritas, quam comitiorum Germanicorũ in ſtatus Imperii. Exempli loco eſſe poſſunt ex antiquis ſocietas Amphyctionum, & Achæorum; ex modernis Helvetii, & Belgæ fœderati. Deinde habent id veræ Ariſtocratiæ, ut univerſo quidem Senatu nemo ſit ſuperior; ſinguli tamen Senatores non minus addicti univerſo Senatui pareant, quam alii cives; & in illos æque atque in hos jus vitæ & necis exerceatur. Id quod longiſſime à libertate Ordinum Germaniæ abeſt. Sic & in Ariſtocratiis privatum ſibi patrimonium habent Optimates, cæterorum civium fortunam ſæpe plurimum excedens; non minus tamen illud Senatorum patrimonium, quam quod extra idem reliqua civitas bonorum comprehendit, univerſi Senatus ſummo Imperio ſubjicitur, ejuſdem legibus eſt obnoxium. At in Germania, ſi removeas, quæ ad ſingulos pertinent Ordines, nihil remanet, quod ad univerſos pertineat. Et magnum habe-

bit malum, ſiquid apud iſtos aſſerere audeat, univerſis Ordinibus in ſingulorum bona tantum cōpetere poteſtatis, quantum in ſereniſſima Rep. Veneta toti Senatui in bona ſingulorum Senatorum. Nam quod adducunt dictum Alberti Moguntini, prolatum, quando de electione Caroli V. præ Franciſco agebatur; hunc ad Monarchiam inclinare, Germaniæ autem Principibus Ariſtocratiam eſſe retinendam; facilem habet reſponſionem. Nam abs tali præſule exquiſitam ſcientiæ civilis cognitionem requirere putidum foret; & ſenſus, utut incommodis vocabulis expreſſus, in ſe perſpicuus eſt; ſcilicet ſi præſentem ſuam conditionem ament Germaniæ Principes, cavendum ſibi eſſe ab Imperio Galli, qui, cum in proprio Regno Procerum conditionem ad exquiſitæ leges Monarchiæ redigere laboret, Germanos in Principes ſine dubio ſimilia ſit tentaturus.

§. 6. Reſtat ut videamus, an Monarchiarum in cenſum Reſp. Germanorum referri queat. Earum ſunt duæ claſſes, abſolutarum, & limitatarum. In illis penes ſolum Regem, aut quocunque nomine inſigniatur, eſt poteſtas de negotiis ſummam rerum ſpectantibus proprio ex judicio ſtatuendi. In his autem Rex circa exercendos actus ſummæ poteſtatis certis legibus eſt adſtrictus. Hanc Monarchiarum differentiam qui non exacte conſiderarunt, in materia hac vehementer ſunt hallucinati; dum rationibus, quibus Imperatori abſoluta poteſtas denegatur, ne limitatam quidem relinqui crediderunt. Etſi abſolutam in Imperatore poteſtatem qui agnoſcat, vervecum in patria natum oportet

esse. Et quæ afferuntur argumenta sibilo magis, quam setia refutatione digna sunt. Æque absurdum, ex visione Danielis, quam ex libris iuris Romani Imperatoris Germanici potestatem velle definire. Quod Imperator neminem, nisi Deum, & ensem, superiorem recognoscit, id ipsi in Principes Germaniæ non magis absolutum imperium tribuit, quam Provinciæ Hollandiæ in reliquas sex, cui utique idem elogium recte tribui potest. Inania titulorum, (puta quod ab omnibus Ordinibus nuncupatur Dominus clementissimus, quod in subscriptionibus literarum, alibique de obsequio suo prolixissime pollicentur,) genius seculi, stylusque curiæ produxit, non plus fere efficaciæ habentia, quam alia verba honoris, in quæ ignavissimus quisque operum solet esse effusissimus. Vanus quoque verborum strepitus, illa plenitudo potestatis, & perfectio qua literas interdum, & decretorum carmina scribæ solent adornare. Denique jurant Ordines Imperatori fidelitatem, sed salva sua liberalitate, suisque juribus, quæ quantum isti potestatis relinquant, jam supra satis apparuit. Sed plura heic verba facere putidum fuerit.

§. 7. Probabilissimam plerisque visi sunt sententiam fovisse, qui Imperatori tribuunt potestatem Regiam, & summam; non tamen absolutam, verum certis legibus circumscriptam. Quam sententiam passim quoque in scholis apud istos defendi audias. Hanc, quantum nobis constat, primus oppugnandam sibi in Germania sumsit personatus, quidam *Hippo-*

lithus à Lapide, quo tempore quam maxime bellum inter Cæsarem, & Suedos fervebat. Qui utut plurima habeat, quæ nemo possit abnuere, nisi omnem pudorem ejuraverit; in multis tamen eundem falli, & per implacabile odium adversus Domum Austriacam in transversum rapi, non minus in aprico est. Etsi prohibitione libri nihil aliud effectum, quam ut eidem pretium, doctisque legendi ardor accederet. Cujus tamen mentionem non fecissemus, nisi ille plerisque quantivis pretii videretur; & qui eum impugnarunt, nugari potius, aut adulari, quam ipsius rationes destruere sint deprehensi. Hic igitur uti rectè summam, ac Regiam potestatem Imperatori in Ordines detrahit; ita in eo valde absurdus est, quod eundem Ordinibus subjicit, & nudi Magistratus dignationem, velut precariò, tot titulis superbienti concedit. Quasi vero necessarium sit Aristocratiam existere, ubi Monarchia absoluta non datur; aut omnino eum quis superiorem cogatur agnoscere, cui pro lubitu non potest imperare. Et isthæc duntaxat qui observaverit, nullo negotio plerasque ipsius rationes elumbes dabit. Etsi & passim multa sat futilia immiscet, quorum paucula duntaxat velut per satyram recensebimus. Dicit alicubi, Majestatem sive summam potestatem esse penes Ordines, qui eam etiam tunc habent, quando nullus est Imperator. At quis ignorat, in omnibus Regnis tempore interregni summam potestatem redire ad populum, aut qui eum representant, Ordines; quam tamen, novo Rege constituto, non amplius

retinent. Non ſtatim etiam ſuperiorem agnoſcit quis illum, cui quis ad rationes reddendas ſeſe offert. Aliter ratio redditur illi, abs quo pœna metuitur, niſi illa ſibi conſtiterit; aliter illi, cui ex pacto, duntaxat teneor; aliter denique cujus exiſtimationem vereor. Sic reges bella moturi publicis ſcriptis rationem toti orbi ſatagunt reddere. Sic ſocius ſocio, tutor pupillo rationem negotiorum geſtorum reddit. Præterea non ſtatim altero eſt ſuperior, aut imperium in ipſum habet, qui munere ſuo eundem dimovere poteſt. Nam poteſt quis ex pacto duntaxat plurium communibus negotiis gerendis eſſe præpoſitus, ut neutri in alterum imperium proprie dictum competat; qui ubi diſplicuerit, officio devolvitur, non alio modo, atque contractus cum eo initus abrumpitur, qui ejuſdem legibus non ſatisfecerit. Etſi ſaltem circa Henricum IV. & Adolphum Naſſovium omnia ad juris normam fuiſſe geſta, merito dubites, niſi reverendiſſimos Præſules præcipuas in eo negotio partes egiſſe conſtaret. Quæ de Comitiis prolixe diſputat, vera quidem ſunt, ſed fruſtra adducuntur ad probandum, quod ipſe intendit. Nam uti Imperator invitis Ordinibus nihil poteſt injungere; ita quod hi iſti invito aliquid pro imperio queant injungere, puto inauditum eſt. Equidem præſcribunt Electores in Capitulatione, quid Cæſari faciendum, quid omittendum; verum non velut ex vi alicujus imperii in ipſum, ſed per modum contractus; cujus ea eſt efficacia, ut ſi contra conventa quid Ordinibus velit injungere Imperator, impune poſſint ipſi non parere. Enimvero & hoc eſt ex communi

pactorum natura, non ex aliqua poteſtate, quæ Ordinibus in Cæſarem competat. Probabilius urgeri poſſet, quod ex antiqua conſuetudine introductum, & poſt per Auream Bullam confirmatum eſt, ut Imperator, ſi quibus ſuper cauſis fuerit impetitus coram Comite Palatino reſpondere teneatur. Et notum eſt, quomodo tres Electores Eccleſiaſtici Alberto I. Imperatori denunciarint, ut coram Rudolpho Comite Palatino cauſam diceret. Etſi tanto reo arma magis in actores judicemque arriſerunt. Poſt Auream tamen Bullam nullum ejuſmodi judicii coram Palatino peracti exemplum legiſſe meminimus. Origo ejus juris, Palatino competentis, ſine dubio profluxit ex officio, quod antiquiſſimis temporibus tanquam Major domus in aula Regia geſſit. Hic enim uti in alios aulicos exercebat juriſdictionem; ita ſi quis ab ipſo Rege quid poſtularet, de quo ambigebatur, Comitis Palatini erat cognitio. Cujus ſententia ſtabat Rex, non tanquam iſtum agnoſceret ſuperiorem; ſed quod cognito petitoris jure non poſſit non obligationem ſuam explere. Sicut multos novimus Principes in Germania, & alibi, qui ſuper debitis dubii quid habentibus in propriis tribunalibus conveniri ſolent; quæ tamen tribunalia Principem hautquidquam cogere poſſunt, aut multa coërcere, ſiquidem juris, ac conſcientiæ, publicæque exiſtimationis reverentia eundem ad debitum exſolvendum non adegerit. Sed puto Ordines ipſos contentos eſſe, quod à Cæſare nihil poſſit ſibi imperari, quod diſpliceat. Tam invidioſam libertatem, ut Imperatori ſuo ipſi queant imperare, cordatiſſimus quiſque ultro adſpernabitur. §. 8. Sed

§. 8. Sed cum *Hippolitho* quidem facile transegerit Imperator, ne ab eodem in subjectorum classem conjiciatur. Magis urgent isti, qui & Imperatori potestatem regiam, & Ordinibus libertatem sub temperamento aliquo tribui posse autumant, dum inter Regna limitata Germaniam referunt. Nam qui de mixtis Rerump. formis garriunt, nullo modo expedire se possunt. Præterquam enim, quod qualiscumque mixtura non nisi monstrum aliquod civitatis producere apta sit, nulla ejusdem species ad Remp. Germanicam accommodari potest; in qua neque universa potestas summa est penes plures indivisim, neque ejusdem potestatis partes inter diversas personas, aut collegia sunt distributæ. Cæterum priores disserunt, illa omnia, quæ Imperatori per Capitulationes præscribuntur, stare posse cum Regno limitato; puta quod teneatur ad leges fundamentales Remp. administrare, & super negotiis summam rerum spectantibus consensum Ordinum requirere; quod leges novas iisdem inconsultis ferre non possit, in sacris nihil immutare, pacem, bellum, fœdera ex arbitrio Ordinum sumere, controversias subjectorum non nisi per certa tribunalia dirimere. Sic quod Ordines Imperio simul, & Imperatori fidem jurant, id hoc modo posse explicari, quod Imperatori velint obsequium præstare, quatenus ipsorum opera bonisque uti vult ad bonum publicum, & prout legibus regni est expressum; simulque quod adversus reliqua Imperii membra commodos sese & fideles concives velint exhibere. Enimvero quo minus Germaniam pro regno limitato possi-

mus habere, duo potiſſimum obſtant. Primò, in vero aliquo regno, utut in ejuſdem adminiſtratione certas ſequi leges Rex teneatur; revera tamen eouſque omnes cives eminet, ut ſuam libertatem, ſuaque jura cum Regis poteſtate nemo comparare audeat; utque adeo omnes proceres ab arbitrio Regis dependeant, eique ad rationem reddendam ſint obſtricti. Id quod in Germania ſecus eſſe cuilibet notum. Nam nemo ex Germaniæ Ordinibus admiſerit, ditiones ſibi ſubjectas magis ad Imperatorem, quam ad ſe pertinere, aut ſibi iſtius magis, quam proprium commodum in iiſdem gubernandis eſſe reſpiciendum. Quin eouſque ſibi quiſque tendit, ut bellum in alios ſtatus, aut exteros ſumere, fœdera cum aliis ſtatibus aut exteris inire non dubitent, inconſulto Imperatore, quicumque viribus ſuis, ſociorúmque confidunt; iſtius reverentia inter inania fere ſimulacra habetur. Deinde quilibet Rex, quamvis limitatus, id habet, ut virium totius regni directio, atque adplicatio demum ultimo ad ipſum redeat, utque ſub ipſo eædem vires velut uniantur ad commune bonum ita procurandum, ut ab una quaſi anima cuncta videantur gubernari. Hoc qui in Germania videre poſſit, lynceus ſit oportet; ubi qui caput, & Rex cluet, ex imperio nullos reditus percipit, ſed proprio ſucco vivere cogitur; ubi nullum commune ærarium, nullus miles publicus eſt; ſed quilibet Ordinum ſuis viris, ſuarumque ditionum reditibus pro arbitrio utitur; collato in publicum non niſi exiguo quopiam, idque poſt ambitioſas demum ſolicitationes. Quæ ſingula

ſuperiori capite latius deducta, & in ipſo rerum actu manifeſtiſſime deprehenduntur.

§. 9. Nihil ergo aliud reſtat, quam ut dicamus Germaniam eſſe irregulare aliquod corpus, & monſtro ſimile, ſiquidem ad regulas ſcientiæ civilis exigatur; quod lapſu temporum per ſocordem facilitatem Cæſarum, ambitionem Principum, turbulentiam Sacerdotum ex regno regulari in tam malè concinnatam formam eſt provolutum, ut neque regnum, etiam limitatum, amplius ſit, licet exteriora ſimulacra tale quid præ ſe ferant, neque exacte corpus aliquid aut ſyſtema plurium ciuitatum fœdere nexatum, ſed potius aliquid inter hæc duo fluctuans. Quod ipſum exitiabili morbo, interniſque convulſionibus perpetuum præbet fomitem, hinc ad regni leges retrahere Imperium nitente Cæſare, inde in plenam libertatem tendentibus Ordinibus. Quemadmodum autem hæc eſt natura omnium degenerationum, ut quando à principio ſuo longe diſceſſerunt, prono lapſu, & velut ultro ad extremum ſuum tendat, ad priſtinam autem formam ægerrime poſſint retrahi; & lapidem ad clivum montis ſemel impulſum, faciliime ad planum uſque devolveris, ad verticem non niſi inſano labore revocaveris: ita Germania ſine maximis motibus, ſumma rerum confuſione, ad juſti regni leges reformari nequit; ad fœderatorum aliquod ſyſtema ultro vergit. Imo ſi tollas mutuam illam inter Imperatorem, & Ordines renitentiam, jam erit revera Germania corpus aliquod, ſeu ſyſtema ſociorum inæquali fœdere nexorum, ideo quod Ordines qui vocantur, comiter colere

& reverentia prosequi Cæsarem teneantur. Exempli loco potest esse in societate civitatum liberarum fœdus inter populum Romanum, & populos Latinos, antequam hi ab isto ad subditorum conditionem redigerentur. Item in societate bellica ducatus Agamemnonis in exercitu Græcorum ad Trojam. Etsi fere contingere soleat, ut ubi, qui fœdere superior est, potentia multum eminuerit, inferiores socii paulatim velut subjecti tractentur. Ergo commodissime Statum Germaniæ possimus designare, quod proxime accedat ad systema aliquod plurium civitatum in quo unus velut Princeps, aut Dux fœderis emineat, simulacris Regiis vestitus; quod tamen corpus atrocibus morbis agitetur, de quibus sequenti capite dispiciendum.

CAPVT VII.

De viribus, & morbis Imperij Germanici.

§. 1. Vires alicujus reip. considerari possunt, vel in se, vel prout per concinnam reip. formam commode possunt usurpari. In se consideratæ vires consistunt in Viris, & in Rebus. Viros quod attinet, parum habet Germania, quod de eorundem multitudine, aut ingenio queratur. Primariæ nobilitatis tanta multitudo, tantusque splendor, quantus nullibi per universum orbem. Inferior nobilitas non supra laxitatem regionis, nec præ nimia turba ad sordidas artes descendere coacta. Eorum qui

literis operam dant, major fortaſſe, quam expediebat, copia, utut inter multos laurigeros pauci Phæbi deprehendantur. Mercatorum, & opificum affatim. Ruricolarum tamen alicubi hodie pauciores ſunt, quam pro latitudine agrorum. Cujus rei cauſa eſt partim tricennale bellum, quo Germania miſere fuit vaſtata, partim quod ruſtici eo ſunt ingenio, ut ſtatim atque in re paulo laxiore cæperunt eſſe, filios ſuos ad opificium aliquod gaudeant admovere, fortunatos præ ſe judicantes, qui in vrbibus habitant. Et ſi autem vix putem eſſe, qui numerum urbium ac pagorum per Germaniam iniverit, non tamen vanitatis arguetur à peritis ejus regionis qui dixerit, facile exercitum ducentorum millium poſſe conflari, ſi modo ex ſingulis urbibus quini, & ex ſingulis pagis ſinguli, aut bini milites ſcribantur. Speciminis loco hæc eſſe poſſunt. In decem circulis certi autores enumerant Vrbes, oppida atque arces MDCCCCLVII, excepto regno Bohemiæ, in quo juxta Hagecium Ferdinandi I. ætate fuerunt urbes CII. oppida CCCVIII, arces ſpectatiores CCLVIII. monaſteria CLXXI. pagorum millia triginta CCCLXIII. In Sileſia numerant urbes 411. oppida 863. pagorum 51112. In Moravia urbes 100. oppida minora 410. pagorum 30360. Abbatiarum, & Cænobiorum quondam, antequam à Proteſtantibus tanta ipſorum multitudo deſtrueretur, numerant 11024. Sic Ferdinandi II. zelo ad Eccleſiam Catholicam revocata ſcribunt centies centena millia hominum. Ipſa natio ab omni memoria bello inſignis, & in militiam avida, per totam fere

Europam venalem ſanguinem circumferens. Cui ut nimius fervor abeſt, ita plurimum conſtantiæ ſuppetit, animique egregiæ diſciplinæ capaces. Nec minus eadem ad omne genus artium manuariarum ſolertiſſima. Et quod plurimum ad firmitatem civitatum facit, ad res novas hautquidquam proclivis, & imperii non nimis rigidi bene patiens.

§. 2. Inter Res primum obtinet locum ipſa regio. Cujus quanta ſit amplitudo, facile intelliget, qui ex Caſſubia Mumpelgardam, aut ex Holſatia extrema in fines Carniolę, aut Leodio in ultimas oras Sileſiæ iter fecerit. In tam vaſta regione, ſi Alpium juga excipias, pauca ſunt loca, quæ nihil producent ad vitæ humanæ cultum facientia; is porro rerum ad vitam neceſſariarum proventus, ut eadem extraneorum rebus hautquidquam indigeat, niſi ad luxum, & ſuperfluas voluptates. Auri quidem parum mineræ, aut flumina quædam præbent; & quas Germania gignit gemmas, ſequioris pretii habentur. Cæterum magna copia compluribus in locis effoditur argentum, cuprum, ſtannum, plumbum, ferrum, argentum vivum, aliaque mineralia vilioris pretii. Salis, quantum ſufficit fontes ſuppeditant; etſi loca, quibus mare, aut flumina navigabilia favent, importato ex Gallia, Luſitania, aut Batavia jam frequenter utantur. Frumenti, & fructuum varii generis, lignorum, eorum quæ ad rem veſtiariam faciunt affatim, ut & equorum, armentorum, pecorum, & ferarum. Nec qui ebrietati producendæ inſerviunt, liquores Germania deſiderat. Sic ut in univerſum

Germania opulenta poſſit æſtimari Regio. Nam præterquam quod materiam nummorum ipſa generat, omnia fere producit, quæ ad neceſſitatem aut, aut delicias vitæ humanæ faciunt, ut non incolis ſolum ſufficiant, ſed & exteris communicari poſſint, Ex quibus aliunde importatis utitur, vel eorum, quæ exportantur copiam non excedunt, vel talia ſunt, ut facile iis carere poſſent Germani, ſi luxuriam compeſcere, aut ſocordiam, ineptiamque noſſent exuere. Quam facile enim erat contentis vino, & cereveſia ſua, aut ſi hæc ad ebrietatem nondum ſufficiebant, adjunctis vini aduſti tartareis ardoribus, ignorare Hiſpanica aut Gallica vina? Quam facile item veſtiri pannis ex propria lana confectis, ſuoſque relinquere Hiſpanis, Anglis, & Batavis? Aut ſi horum elegantia arridebat, debuerant artem illam meliùs excoluiſſe indigenæ opifices. Neque vero ſerico noſtro carere Germanis grave erat. Aut ſi omnino nitidius veſtiri decebat, ſaltem tractus ad Rhenum uberrime morum ferebat, ſi à ſocordia ſua iſti populi poſſent impetrare, ut præter vineas aliquid magnopere colendum ſibi ſumerent. Suppetente bombycibus pabulo, licebat à noſtratibus modum tractandi ſerici addiſcere. Porro uti illud ſimplicitati gentis fortaſſe ignoſcendum, quod imitando Gallicas veſtium formas politiorem ſeſe reddi credit; ita craſſiſſima eſt ſtultitia, etiam à Gallis telas levidenſes ſæpe, aut abſurdas petere. Nam nauci etiam rebus Gallici nominis admiratio apud iſtos pretium addit. Quod autem Galli artifices tam ſæpe pannorum, & te-

telarum genera varient, non tam levitas eſt, quam aſtutiſſima ſolertia. Hoc modo enim prohibent, ne Germani artifices apud ſe quoque iſta opera imitentur. Quanquam pleriſque horum ea eſt ſtoliditas; ut ſibi tantum non nefas eſſe putent à modo operum ſemel recepto diſcedere; nec ſibi politius quid putent faciendum, quia majoribus ſuis id fuit ignoratum. Denique aromatibus, ſaccharo, aliiſque ex utraque India petitis longè parcius uti poſſet Germania, ſi luxuriæ frena ponere noſſet.

§. 3. Sed nec Germania deficitur mediis, quibus aliorum opes ad ſeſe queat trahere opera commerciorum. Ad ea requiritur & ſitus opportunus ad exteros commeandi, eoſque recipiendi, & ut ſuperſit indigenarum uſibus, quod ad exteros poſſit exportari. Situs exercendis commerciis valde opportunus eſt iis urbibus, quæ mari Oceano, aut Baltico alluuntur; mediocris, quas navigabilia flumina perſtringunt, propter vectigalium importunitatem. Terreſtri merces via tranſvehere parum lucroſum. Quæ ex Germania exportantur, hæc fere ſunt. Ferrum, & varia ex eo confecta inſtrumenta, plumbum, argentum vivum, vinum, cereviſia, vinum aduſtum, frumentum, lana, panni lanei filo craſſiore, variæ telæ laneæ, atque lineæ; equi, oves, & ſi quæ ſunt alia. Non tamen diffiteor, in quibuſdam regionibus Europæ majorem, quam in Germania, pecuniæ copiam apparere. Cujus rei non una videtur cauſa. Quod enim mirum eſt, exhauſtam ex parte eſſe regionem, in qua triginta per annos Mars eſt graſſatus; quæque non

intestino tantum militi, sed etiam exteris in prædam patuit. Deinde sunt regiones Europæ, quæ ad commercia cum exteris exercenda longe commodiorem obtinent situm, quam Germania. Nam maris opportunitate paucæ duntaxat urbes Germaniæ gaudent; cum contra vehementer faveat mare Angliæ, Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Galliæ, Belgio. Dantur præterea regiones, quæ alias sibi terras habent subjectas, quæque adeo omnes earundem opes velut in angustum constipatas uno obtutu repræsentant, uti est Hispania, Lusitania, Anglia, Belgium. Germania extra se nihil possidet. Solet quoque exterorum oculos perstringere splendor & amplitudo primariarum urbium in quibusdam regnis, intra quas maxima vis opum confluxit. Sic multi imperiti ex Lutetia de tota Galliâ, aut ex Londino solo & Vlyssipone de Anglia & Lusitania judicant. Germaniæ autem opes in tam vasta regione dispersæ tenuiores easdem apparere faciunt. Nec modica pecuniæ vis ad exteros transfertur per stultitiam Germanorum, dum ab istis merces petunt, quas vel apud se producere, aut quibus omnino caruisse in proclivi erat. Nescio an & hoc addi debeat, per discursationes juventutis Germanicæ ad exteros non parum argenti extra natale solum trahi. Nam etsi crassitiem genii Teutonici conversatione exterorum temperari fors non inutile fuerit; tamen merito ludibrium, an miserationem, merentur, qui ex Italia nostra nil nisi delicias quasdam vitiorum Transalpinis inusitatorum, & formulas blasphemandi rariores domum reportant. Neque vero Gallia

plerosque peregrinatores aliis instructos artibus dimittit, quam ut sordidius tuburcinari deinceps norint, gradusque Veneræ scabiei ex propriis utplurimum experimentis recensere. Nonnullis tamen lucro habetur Italiam, & Galliam vidisse, quos in patria tot per ambages ad inania titulorum scholasticorum tædet aspirare. Nam apud nos minori cum pudore, & sumtu domum licet reportare titulum doctoratus & inscitiam. Etsi apud istos quoque sat rudi ex ligno tales Mercurii effigiantur.

§. 4. Enimvero cum nemo robustus, aut debilis possit pronunciari, nisi cum aliis comparetur; dispiciendum porro est, quomodo vires Germaniæ ad vicinos sese habeant. Contingit igitur Germania una ex parte imperium Turcicum in Stiria, & quæ tanquam istius propugnacula possunt haberi, in Hungaria, & Croatia; quas salvas manere istius maxime interest. Vbi manifestum est, utut Turcæ ex latissimis suis ditionibus longe gravius auri pondus redeat, ac fortasse ampliore hominum turba campos possit inundare; eundem tamen Germaniæ parum videri metuendum. Nam stringit iste Germaniæ extrema duntaxat, & modica ora sui imperii, qua illud velut in cuneum tenuatur, & quidem procul à sede regni primaria. Sic ut non sine maxima molestia Turcis bella Hungarica gerantur. Præterquam enim quod Turcicus miles Germanis bene exercitatis haut quidquam par sit, magno molimine ex Asia copiæ sunt transferendæ, cœlo asperiori parum assuetæ, & hyemis impatientes. Et postquam omnes vires in extremam imperii

oram sunt collectæ oppositæ partes in Persidem vergentes intumescere solent. Cumque vicinæ regiones, Servia Bulgaria, & ipsa Hungaria Turcica non sufficiant alendæ tantæ multitudini, terrestri itinere, difficili, & longinquo commeatus est subvehendus; postquam magno Germaniæ bono versus Orientem Danubius evolvitur. Et vix unquam ultra quartam suarum virium partem adversus Turcam vertit Germania, eamque plerumque inter Ducum ignaviam aut discordiam, pecuniæque & disciplinæ defectum destitutam. Et tamen plura Germanorum de Turcis, quam horum de illis tropæa extant. In vulgus autem Turcarum nomen factum est formidabile, tum propter truculentos ipsorum mores; tum per astutiam Austriacorum, isto terriculamento crumenas exenterantium; accedentibus Sacerdotum clamoribus, & vaticinandi prurigine. Nam & horum interest, plebis animos pavoribus agitari.

§. 5. Italia & viris, & opibus Germania longe inferior, ac in plures particulas discerpta ad vim aliis faciendam est inhabilis. Quin satis habemus quod Germani Imperatores antiquum in Italiam jus non eant renovatum; præsertim cum per impietatem seculi reverentia fulminis Pontificii, quod sæpe istos in terrorem quondam dederat, nunc penitus videatur exolevisse. Nec Polonia ulla in parte Germaniæ sese audet comparare. Et cum rationes Reip. Polonicæ postulent sua potius servare, quam aliena concupiscere, quam modestiam Germanos quoque suæ Reip. conditio docet, vix adparet occasio, quæ duas

illas nationes bello possit committere; nisi forte aliquis Germaniæ Principum Polonorum sese intestinis discordiis miscuerit. Danis hactenus ne ad Hamburgum quidem subjugandam vires fuere; nedum ut contra universam Germaniam sperare quidquam possint, ad omnes vicinorum Suedorum motus trepidi. Anglia quousque insultet Oceano suo, Germanis parum curæ est. Et uti illa continentem tentare frustra præsumserit: ita his nullæ vires maritimæ, quæ cum Anglicis comparatæ momentum possint habere. Belgis fœderatis nec voluntas est, nec facultas in Germaniam aliquid moliendi. Nam nec ipsi ad militiam terrestrem idonei, aquatiles animantes; & utut pecunia supersit, hautquidquam libertati ipsorum expedit, numerosam terra alere exercitum. Igitur satis habent, si Germani per vim non eant repetitum urbes, quas ipsi præsidiis insedere, muniendis contra Hispanos suis finibus. Hispanici partes Imperii, quæ Germaniam contingunt, cum hac nulla parte comparari possunt. Ipsa porro Hispania longe remota, & viris exhausta, nec Lusitaniæ, tantillo regno, subjugandæ sufficiens. Quin Carolus V. tunc florenti quam maxime Hispaniæ imperans, & ditionibus Austriacis, atque autoritate Cæsarea subnixus, nequidquam opprimere reliquam Germaniam tentavit. Suedia, utut ei annumeres provincias Germanicas nuper partas, reliqua Germania & numero virorum, & opibus multis partibus est inferior. Nam quod simplices aliqui de viris dubitavere, moti partim obsoleto vocabulo vaginæ gentium, partim

progressibus Suedorum nupero in bello; id quale sit, cordatioribus satis constat. Scilicet spatio XVIII. annorum, ex ipsa Suedia non supra septuaginta militum millia sunt emissa, quorum multi in patriam iterum reverterunt: cum tamen, durante isto bello, vix unquam infra centum millia Germanorum, sæpe supra in armis fuerint. Causa vero tantorum progressuum erat Germanorum discordia, & occasionis oportunitas, & quod Protestantes ab Austriacis pressi velut cœlitus demissum præsidium Regem Gustavum susciperent. Circa florentissimum hodie Galliæ regnum probabilius dubitari potest. Sed tamen, si utriusque vires in se spectentur, citra commoda, aut morbos, quorum illa Galliæ ex regulari sua Monarchia, hi Germaniæ ex dissoluta Reip. forma surgunt; pro Germania fuerit pronunciandum. Nam & longe amplior est Germania, quam Gallia, & utut fertilitas utriusque par sit, subterraneæ tamen Germaniæ opes longe supra sunt. Nec Gallia virorum numero excellit; & Germanum militem Gallo non concedere multis speciminibus fuit ostensum. Circa vim pecuniæ non ita liquido pronunciari potest. Nam sane quantum auri paucis annis modernus Rex congesserit, præcipue dum veteres illas spongias exprimit; & quid in annuis reditibus habeat, non sine admiratione percepimus. Considerari tamen simul debet, plebem in Gallia longe asperius tributis & vectigalibus exhauriri, quam in Germania; & ibi omnes opes regni in unum velut alveum confluere. Germaniæ autem reditus inter tot

Principes divisi; quanti sint ita liquido apparere non possunt.

§. 6. Sed utut singula regna præponderet Germania, quid tamen fiet, si multa junctis viribus eandem invaserint? Heic initio observandum est, quorundam rationes non ferre, ut simul in Germaniam conspirent. Quorundam etiam vires tantas non esse, ut ad Germaniam aliquid momenti habeant. Deinde non concessuros cæteros, ut unus aut alter, oppressa Germania, tanta opum accessione gaudeat, quibus suffulto facile sit toti Europæ leges præscribere. Adeoque nunquam defuturos, qui ad Germaniam servandam sint connisuri. Tres igitur sunt, qui velut Principes aut capita fœderum sese videntur ferre posse ad invadendam Germaniam; Turca, Domus Austriaca, & Gallus. Cum Turca non est probabile, ullum Christianorum Principum in Germaniam aperte conspiraturum, ne ipsum Gallum quidem. Nam fœdera, quæ superiori seculo Gallo cum Turcis intercedebant, hoc spectabant, ut vires Caroli per hos distinerentur, quæ tunc Gallis erant prægraves. Sed tale fœdus, in quo de Germania junctim invadenda, & subigenda conveniatur, non erit metuendum; cum & impium, & stolidum sit futurum, barbari istius incrementis tantopere velificari, qui pari odio in omne Christianum nomen fertur. Quin uti Galliæ magis expedit, Germaniam in præsenti statu relinqui, quam insignem ejusdem partem in Turcarum manus cadere; ita & ipsis Turcis optabilius est, Germaniæ statum informem, ad alios invadendos inhabilem relinqui, quam cum Gallia con-

junctam ad leges Monarchiæ reformari. Nam si duo ista imperia in unam massam bona fide coaluissent, haberet Turca, quare Constantinopoli suæ metueret. Domus Austriaca ut reliquam Germaniam regio complectatur imperio, nulli vicinorum optandum fuerit; nec puto ullum fore tam dementem, ut conatibus istis subsidii quid velit afferre. Imo, uti Hispaniæ quidem vires pro Austriacis sunt; ita aperte hisce se opponent Galli, Suedi, & Belgæ fœderati, eo promptius, quod istis nunquam sine præmio fuit, Germanorum libertati suppetias tulisse. Quin nec Pontifex nimium videtur Austriacis heic fauturus. Nam ut tot myriades ovicularum errantium ad Ecclesiam revocasse summo Pastori gloriosum foret; ita quantovis animarum detrimento redimendum videtur, ne Germanus, aut Hispanus, nimia subnixus potentia in res Italiæ sibi arbitrium sumat. Quod si denique Gallo Germaniam invadere in mentem venerit, apertos itidem adversarios experietur, Hispanos, Anglos, Italos, Belgasque fœderatos: quorum hi nescio quam superstitiose memores videntur antiqui dicterii; Francum amicum habueris, vicinum non habueris. Dani fortasse non adeo sint formidaturi, clientelam Galicam subire, dummodo per istam perpetuus metus ab invisissimis sibi Suedis dispelli posset. In Suedorum societate plurimum videtur momenti positum, præprimis si bellicosus ipsis Rex contigerit. Dudum tamen prudentioribus animadversum, Gallos quidem velle uti Suedorum opera non gratuita; verum ita, ut quod inde partum fuit, solius

Galliæ incrementis accedat. Id vero nequidquam Gallis ad palatum quod Suedi Gallico auro propriam potentiam coulque eant promotum, ut facile deinceps Gallorum amicitiam possint negligere. Ex adverso Suedi stultum putant, pro Gallorum magis utilitate, quam propria contendere. Neque sunt tam habetes, quin perspiciant, ubi Gallus rerum in Germania fuerit potitus, ipsum non minus Suedis, quam aliis vicinis leges dictaturum. Et inde etiam aliquandiu inter populos istos amicitia tepidius culta; Galloque compendiosor via fuit visa, nonnullos Germaniæ Principes, præprimis Rheno vicinos fœdere, & uti fama fert, annuis stipendiis sibi illigare, in universum sese solicitum pro Germania ostentare, controversiis Principum componendis se dare, in pecunia, & milite petentibus submittendo alacrem se exhibere, id denique agere, ut quibus auxilio aliquo opus est, intelligant, certius sibi præsidium in amicitia Gallica, quam in Cæsare, legibusque Imperii positum. Hoc modo planissimum sterni aditum subruendæ Germanicæ libertati, stupidus sit, qui non animadvertat; præsertim si stirpem masculam Austriacam deficere contigerit.

§. 7. Enimvero isthæc Germanici Imperii moles, quæ in justi regni formam redacta toti Europæ futura erat formidabilis, per intestinos morbos; & convulsiones ita debilitatur, ut ægre sibi ipsi defendendæ sufficiat. Causa primaria mali est ex inconcinna, maleque digesta Reipubl. compage Quantumvis magna hominum multitudo uno homine robustior non est quamdiu

quilibet

quilibet sibi soli tendit. Omne ex conpunctione robur est. Et quatenus plures in unum corpus naturale non possunt coalescere, multorum vires uniuntur, dum uno consilio velut una anima reguntur. Ista unio quo arctior,& concinnior, eo validior existit societas; laxitatem,pravamq; membrorum combinationem necessario debilitas, morbique comitantur. Perfectissima unio, & ad diuturnitatem cumprimis apta, in regno rite composito cernitur. Nam Aristocratiæ, præterquam quod vix commode possint subsistere, nisi ubi Reip. alicujus vires præcipuæ in unam urbem colliguntur, Monarchiis sua natura fragiliores sunt. Serenissimæ enim Reip. Venetæ inter miracula duntaxat est locus. Ex pluribus civitatibus per fœdus coagmentata systemata longe laxius cohærent, & facilius turbari, aut dissolvi possunt. Vt tamen qualiscunque firmitas istis systematibus constet, necessarium cumprimis est, ut sociæ civitates eandem habeant Reip. formam, nec viribus inter se multum sint dispares, utque ex ista conjunctione in singulas par utilitas redundet. Deinde ut maturo consilio, legibus prius rite conceptis, in societatem coiverint. Nam qui temere, & velut impetu quodam in societatem ruunt, futuro statu prius non curate pensiculato, & digesto, non magis concinnum aliquod corpus deinceps formare possint, quam elegantem formabit vestem sartor, qui pannum prius in frustra secuerit, quam constiterit, muliebris an virilis sit vestis facienda. Est illud dudum observatum, vix unquam Monarchias cum civitati-

bus liberis in fœdera, etiam temporaria, bona fide coalescere, nedum ut perpetuo jungi sint idoneæ, Principibus plebejam libertatem aversantibus, plebe Principum fastum horrente. Illa porro est humani perversitas ingenii, ut vix æquo animo pari secum jure degentem adspicere possit, quem viribus inferiorem videt. Et communia onera ferre detrectat, qui nullam, aut exiguam partem communium commodorum sibi relinqui animadvertit.

§. 8. Cæterum Germania eo est habenda ægrior, quod in eadem junctim reperiantur morbi, tam qui ex regno male formato, quam qui ex systemate sociarum civitatum indigesto redundant. Imo inter præcipuos hicce morbus est, quod ad neutram harum specierum Resp. Germanica exacte quadret. Exterior facies, & inania simulacra regnum aliquod præ se ferunt; antiquissimis quoque temporibus Rex erat revera id, quod audiebat. Post hujus autoritas deminuta, & gliscentibus Ordinum opibus & libertate, vix umbra quædam regii imperii remansit, qualis fere cernitur in iis, qui corpori alicui sociorum velut duces præsunt. Inde perniciosissima convulsio corpus Imperii distrahit, in diversa tendentibus Imperatore & Ordinibus; dum ille ad regiam potestatem velut postliminio quibusvis artibus grassatur; hi vero partas semel opes obnixe defendere sa agunt. Ex quo non possunt non perpetuæ suspiciones, diffidentia, occultæque machinationes oriri, præpediendis alterius incrementis, aut infringendæ cæterorum potentiæ. Quod & ipsum efficit, ut tam ro-

bustum cætera corpus ad exteros invadendos, aliquidque adquirendum velut enerve deprehendatur; cum nova incrementa Cæsari nolint accedere Ordines, neque tamen eadem inter omnes æqualiter possint distribui. Quam monstrosum igitur vel hoc solum, quod caput adversus membra velut in partes descenderit. Inter ipsos porro Ordines variæ distractiones diversis ex causis proveniunt; quæ efficiunt, ut ne concinnum quidem sociorum systema Germania præ se ferat. Ipsi Ordines dispari reip. forma utentes male inter se compositi; dum intermixtæ passim Principibus degunt liberæ civitates. Vrbes cum plerunque commerciis floreant, opulentia sua Principum invidiam accendunt, præsertim cum ejusdem pars ex ditionibus horum eo confluxerit. Neque negari potest, quasdam urbes ad lienis instar intumuisse, vicinorum Principum terris ad maciem redactis. Est quoque proprium Nobilitati plebejos contemnere, qui tamen sæpe suis sibi nummis non minus placent, quam isti suis imaginibus, aut exhaustis ditionibus. Denique nonnulli istas urbes velut dominatum sibi exprobrantes adspiciunt, subjectorumque conditionem comparatione vicinæ libertatis impatientius ferri deprehendunt. Hinc invidia, comtemtus, insultationes, suspiciones, occultæque machinationes Quæ omnia tamen acrius, & manifestius existunt inter Episcopos, illasque urbes, in quibus isti cathedrales suas Ecclesias habent. Quanquam & in ipsis Comitiis Principes non leve fastidium adversus collegium urbium ostentent, Imperatore contra vrbes fo-

vente, quippe apud quas majoris fere ſuam autoritatem fieri, quam alios apud Ordines, ſentit. Sed nec uſque quaque propitiis ſeſe oculis invicem adſpiciunt Principes ſeculares, & Eccleſiaſtici. His in eadem claſſe præ iſtis priorem locum aſſignat ſanctimonia muneris, & quia ſine dubio per calvitium largius ſeſe Numen infundit, quam per intonſos vertices. Vnde & eorundem maxima quondam in Rep. ſeculis barbaris autoritas. Secularibus autem neſcio quam moleſtum videtur, iſtos ex inferiori utplurimum nobilitate tam repente in pari, aut eminentiori faſtigio collocatos, & Dei gratiam præſcribentes, adſpicere. Præſertim cum illam dignitatem ad poſteros ſuos continuare non liceat, & familia ipſorum intra priorem conditionem ſubſiſtat; niſi quod multi Epiſcopi, ſanctiſſimi Patris noſtri exemplo, ſuis agnatis per beneficia Eccleſiaſtica, & donationes ſat laute ſoleant proſpicere. Contra habent Eccleſiaſtici quare merito ſecularibus iraſcantur, quippe per quos abdomina cœperunt gerere multo preſſiora; qua de re infra plura. Illud quoque non parum ad diſtractionem Ordinem facit, quòd inter multos magna ſit opum inæqualitas. Hinc enim vitio humani ingenii potentioribus oritur contemtus adverſus imbecilliores, & libido eoſdem opprimendi; his contra in ſuſpiciones, & querelas pronis, ac libertatis æqualitatem quandoque importunius crepantibus. Sed & eminentia Electorum præ reliquis Principibus non levis diſſidii cauſa, his tantum ſplendorem ægre ferentibus, ac nonnulla præter jus uſurpari

jactantibus; illis pro jure, atque autoritate sua strenue nitentibus.

§. 9. Nondum morborum sat erat, ni efficacissimum alias animorum velut coagulum religio, Germaniam in partes distractam asperrime collideret. Neque sola odiorum causa ex opinionum diversitate, & quod Sacerdotibus solenne sit, diversa sentientibus cœlo interdicere; sed quod per Protestantes Catholici Sacerdotes magna opum suarum parte sint exturbati, quarum desiderium ad easdem recuperandas noctes diesque ipsis stimulos subdit. Cum isti semel invasa dimittere ignavuum judicent. Imo sunt, qui in universum nimias Sacerdotum opes Reip. prægraves judicent; præsertim cum Sacerdotes, & Monachi ab alio dependeant capite, extra Remp. Germanicam constituto, cui nunquam in Germanos sincerus amor, & cui seculares omnes perire votum sit, modo asseclæ sui rebus gaudeant quam florentissimis. Hoc enim modo peculiarem velut statum in media Rep. fundari, adeóque bicipitem fieri Remp. in propatulo est. Id quod plurimi, queis major patriæ, quam Ecclesiæ Romanæ amor, pessimè publico contingere judicant. Nec minus illud perniciosum, quod Ordinum Germaniæ quidam non inter se modo, sed & cum exteris peculiaria inire fœdera gaudent, eo securius, quod pace Osnabrugensi id expresse permissum. Quæ res non solum Principes Germaniæ in factiones distrahit, sed etiam exteris, fœderi innexis, facultatem præbet, Germaniam pro lubitu suo temperandi, & demum occasione data sociorum ope contra universos invalescendi; præser-

tim cum talia fœdera cum exteris non modo contra alios exteros, (id quod aliquo modo ferri posset,) sed etiam contra ejusdem Imperii membra quærantur. Sed & Astrææ vestigia per Germaniam fere evanuerunt. Vbi enim Ordinibus inter se aliquid litium oritur, (id quod in tanto ipsorum numero, & interscindentibus se mutuo territoriis frequenter contingit,) si Camera aditur, post seculum demum controversiæ finis est exspectandus. Apud Iudicium Aulicum gratiæ & corruptionibus aditum non satis anxiè interclusum metuitur. Nec desunt qui suspicentur tribunal illud nimium meminisse loci, in quo sedem fixit. Inde per Germaniam jus fere in armis, & qui viribus pollet, causa quoque prævalet, sibique ipsi facere exsecutionem non veretur. Denique quam elumbem hoc arguit societatem, quod neque commune ærarium, neque communis miles Germaniæ est, repellendis quorumvis exterorum insultibus, aut comparanda una vel altera provincia, ex cujus reditibus communes reipub. sumtus tolerarentur. Et quanto satius fuerat, Germaniam in proprios usus consumere illos homines pacis impatientes qui per omnem fere Europam venalem sanguinem circumferunt.

§. 10. Intercedunt quoque singulis Ordinibus non paucæ invicem æmulationes, & controversiæ, quæ & ipsæ totius corporis vires non parum convellunt. Nobis præcipuas tantum attigisse huic sufficiat. Est adversus domum Austriacam omnium Principum invidia, aut supicio propter diuturnam Cæsarei fastigii possessionem,

& nimiam potentiam. Inter domum Palatinam, & Bavaricam, præter antiquum odium, controversia super Vicariatu Imperii agitatur, nescio quomodo finienda, cum illa jure, hæc potentia nitatur. In domo Saxonica linea Ernestina invidet Albertinæ ob translatum ab hac in illam Electoratum. Elector Brandeburgicus nunquam bona fide digerere potest interceptam per Suedos Pomeraniæ partem præcipuam. Electori Palatino dudum succensuerunt vicini quidam propter jus unum aut alterum, quod ipse in eorum ditionibus habet, quamobrem nuper ab istis ad arma provolatum. Vix quoque penitus evanuisse putem memoriam controversiarum, quæ circa ditionem Marpurgensem familiam Hassicam quondam commisere. Nec fida unquam pax inter Electorem Brandeburgicum, & Palatinum Neoburgicum propter hereditatem Iuliacensem. Minoris momenti lites quis enumeraverit? Quin & inanes super præcedentia controversiæ nonnullorum Principum animos odiis distinent. Tanta morborum colluvies efficit, ut inter minores nævos referendus sit tædiosissimus processus in causis potissimum civilibus, per quem etiam liquidissimum jus in plura lustra eludi potest. Nec minus monetæ varietas per Germaniam commerciis, privatorumque patrimoniis multum incommodi affert; etsi ipsorum nummorum commendari mereatur modestia, quod tenuitatis suæ verecundiam ipso colore non obscure præ se ferant. Quod enim aliqui Principes luxuriæ duntaxat, venationique sint dediti, nulla aut exigua publicæ privatæque rei habita cura id hominum

vitium est, non Reip. nec ab isthoc malo aliæ civitates immunes conspiciuntur.

CAPVT VIII.

De Ratione Status Imperii Germanici.

§. 1. QVid morborum in visceribus Germaniæ lateat, clare credo apparuit. De remediis non paulo operosior disquisitio, & quæ à persona extranei, & peregrinatoris aliena videri possit, ni ea gentis Teutonicæ humanitas foret, ut extranea potius, quam sua gauderet admirari. Et facilem spero dabunt cordati veniam innoxiæ libertati hominis à studio partium remoti, cui post patriæ incolumitatem nihil magis in votis, quam ut florentissimo statu gaudeat integerrima nationum. Antequam autem nostram mentem explicem, operæ pretium puto fuerit, paucis discussisse medicamenta, quæ supra citatus *Hippolitus à Lapide* ægrotanti Germaniæ propinat. Ista enim etsi non pauci fuerint admirati, tamen semper nobis nescio quam male temperata visa fuerunt.

§. 2. Primo igitur iste promulgat sex leges, quas ipsi Rationes status vocari placuit, quæ observandæ sint in tali Reip. forma, qualem ipse Germaniæ affingit; in Aristocratia nimirum, ubi summa rerum est penes Optimates, simulacra potestatis Regiæ in Principe. Dictitat ergo I. Studendum esse concordiæ, & à factionibus abstinendum. II. Ne diutius Imperatoria dignitas

in eadem familia continuetur, ne scilicet per diuturnam simulacrorum usurpationem solidum dominatum invadendi libido subeat III. Licet in unum conferatur Principatus, cum potestate dirigendi, & moderandi functionem singulorum ad commune bonum, & Reip. unionem; Proceribus tamen clavum Reip. semper in manu retinendum, ac potestatem de summa rerum decernendi in Comitiis exercendam; quæ hanc ob causam frequenter habenda, saltem Senatum aliquem perpetuum constituendum, qualis superioris seculi initio erat Regimentum. IV. Vt simulacra duntaxat Majestatis Principi relinquantur; ipsa vero jura, & potestas Reip. reservetur. V. Ne Ordinum Imperii vita, fortuna, ac fama solius Imperatoris arbitrio subjaceant. VI. Ne militia, & loca munita ejusdem solius potestati committantur. Multus deinde in eo est, ut ostendat, variis modis contra istas leges tam à Cæsare, quam à nonnullis Ordinum fuisse peccatum, non sine acerrima insectatione domus Austriacæ, & quorundam Electorum. Enimvero utut istæ leges omnino spernendæ non sint; cum tamen Aristocratiam non esse Germaniam supra sit ostensum, solis hisce legibus salutem Germaniæ contineri frustra creditur.

§. 3. Inde sex remedia Idem præscribit curandis Germaniæ morbis. Primo loco commendat studium concordiæ,& generalem amnestiam, ac abolitionem omnium gravaminum,queis odia invicem aluntur; ac ne ob religionis diversitatem in partes discedatur, eámque ob causam publica salus negligatur. Hoc remedium declamationi

ſcholaſticæ copioſum poteſt præbere argumentum; in uſum autem Reip. Germanicæ tunc demum adplicari poterit, quando omnes Germaniæ proceres ſapere incipient, & animi motus ad leges philoſophicas exacte attemperare. Deinde jubet extirpari domum Auſtriacam, & bona ejus in fiſcum redigi. Hoc vero eſt carnificem, non medicum agere. Quaſi vero excidium ſtatim mereatur,cui opes mediocritatem excedentes contigere. Sed pareamus tam duro decreto. Quis vero manũ ſecuri admovebit extirpandæ potentiæ,tanta terrarum ſpatia complexæ, & quam uni, aut duobus non accreſcere totius Europæ intereſt? Germaniæ procerum pars in eam domum affectu prona; multi extra odium; cæteri tantæ moli ſubvertendæ haut quidquam pares. Adſciſcendi ergo ſocii, & quinam alii, quam Galli, & Suedi? Nam hi, cum talia Hippolithus ſcriberet, omnibus modis hoc agebant; magno apud imperitos adplauſu jactantes, abs ſeſe libertatem Germaniæ vindicari, per Auſtriacos oppreſſam. Aſt incivile fuerat, tantum ab iſtis laborem gratis poſtulare. Nec adparebat quæſtor, qui prædam tam religioſe in fiſcum redigeret. Quin potius augurantur homines non abſurdi, ſiquidem conatibus hoſtium domus Auſtriacæ eventus reſpondeat, fore, ut Ordines Imperi antiquam illam ranarum querimoniam inſtaurent quæ pro ciconiam regem erant ſortitæ. Poſt ſublatam domum Auſtriacam capite tamen non vult deſtitutam eſſe Germaniam. Iubet igitur alium eligi Imperatorem, cui ex locis ſuis communibus ſplendidum virtutum ſatellitium circumponit;

ſed ut inani tantum titulo fulgeat, & poteſtate regia deſtitutus, directoris & magiſtratus vice fungatur. Atqui talis præſes, aut director uſum poteſt habere in aliqua civitate Ariſtocratica, ubi proceres in una urbe domicilium obtinent. Quin compendioſius fuerat dicere, nullo Imperatore Germaniam opus habere. Quantum tamen poteſtati ſui Cæſaris Hippolitus ſubtrahit, tantum reditibus ejuſdem videtur velle adjicere. Eſurire tantum Principem turpe foret. Igitur in patrimonium Imperii deſtinantur ditiones Auſtriacorum; & ubi hæ forte non ſuffecerint, Electores jubentur reſtituere, quæ ab Carolo V. ipſis donata, aut confirmata. Atqui videtur humanæ indolem animæ ignorare, qui tantis opibus ſubnixum inter tantillæ poteſtatis gyrum æquo animo redigi credit. Sed nec poſt exſequias domus Auſtriacæ tam faciles erunt Electores, ut reſtituant, quæ per tria, & amplius, ſecula quiete poſſederunt. Præterquam enim, quod longe hebetiori ſunt ingenio Principes, quam ut capere queant, quæ ſuper reſtitutione bonorum minus recte partorum Confeſſionarii crepant; non deeſt Electoribus; quod cæteris Ordinibus reponant. Nam credo non paucis ad tenues ſatis caſas foret redeundum, ſi de quibuſlibet acceſſionibus tam ſuperſtitioſa ratio eſſet reddenda. Ergo æquiſſimum fuerit, ut quilibet, quæ diu poſſedit, deinceps quoque retineat. Quarto loco monet Hippolitus, confidentiam mutuam inter Ordines reſtituendam, diffidentiam eradicandam. Id quod futurum, ſi gravamina utrinque amica compoſitione è medio removeantur,

quorum pleraque ex dissidio religionis ortum habent. Atqui cum eadem in primo remedio fuerint comprehensa, quid opus erat peculiarem inde pixidem implere? De constituendo Regimento, Comitiis ob gravia negotiorum convocandis; de tollendo consilio Aulico; de alendo item exercitu perpetuo, & constituendo ærario militari, cui alendo adhibendæ sint Annatæ, quid judicandum sit, quæ paulo post subjiciemus indicabunt.

§. 4. Supererat, ut & nos myrothecia nostra explicaremus, num in istis deprehenderetur aliquid, quod febricitanti Germaniæ ad palatum foret. Verum merces ultroneas putare certum est; ac sine dubio cordatiores non suaserint, aliorum sese morbis ultro offerre; cum salutaria etiam suadentibus medicis, ac mercede conductis, iracundi ægroti conviciorum affatim soleant ingerere. Quin & ludibrium nasutioribus debent, qui in privata vita constituti ambitiose leges præscribere non dubitant iis, qui ad Reip. clavum sedent Sed in proclivi est civilis sapientiæ peritis, cognito Reip. morbo, remedia perspicere. Ne tamen truncum fine videatur opusculum, paucula duntaxat subjecisse suffecerit. Iudicaverim ergo fundamenti loco supponendum, pravitatem status Germaniæ ita velut induruisse, ut sine eversione totius Reip. ad leges justi regni non possit reformari. Cum autem status iste quam proxime accedat ad systema aliquod plurium Rerump. fœderatarum, tutissime eidem servandæ adhiberi talia media, quæ à politicis ejusmodi sociis observanda præcribuntur;

quos ante omnia non tam alienis adquirendis, quam tuendis propris invigilare oportet. Circa internam heic concordiam retinendam maximus labor. Ad hanc summe necessarium est, ut cuique sua jura maneant; ac nulli concedatur, ut imbecilliorem possit opprimere; utque adeo inter dispares licet opes par sit omnium libertas, atque securitas. Exoletæ prętensiones æterno silentio damnentur, & uti quisque possidet, ita deinceps retineat. Recentes lites arbitrio sociorum extra gratiam, aut odium positorum componantur. Horum sententia qui stare detrectaverit, ab omnibus fuerit coërcendus. Quod si systemati sociorum Principem sibi placeat adsciscere, magna precautione opus est, ne dominatum iste possit affectare. Ei fini cumprimis inservit, militem, & loca munita ab ipsius arbitrio non dependere. Quin non legibus solummodo certis, & accuratis est circumscribendus; sed & perpetuum aliquod consilium eidem circumponendum, quod socios repræsentet; cui res quotidianæ totam Remp. concernentes exsequendæ committantur, super quibus prius ab universis suis fuit definitum. Ad idem referenda fuerint omnia, quæ exteris cum Rep. intercedunt, ubi prius examinentur, inde ad singulos socios referantur, ac demum generalis conclusio colligatur. Abs eodem denique arduis negotiis emergentibus conventus sociorum extra ordinem indicendi, quod ut citra magnos sumtus fieri, breuiorique via res expediri queant, certa ratio fuerit præscribenda. Enimvero ut tale consilium sibi patiantur circumponi Au-

ſtriaci, vix credibile videtur, potentia ipſorum ad civilem redigi modum adſpernante. Neque tamen res Germanicæ tulerint, ut quamdiu ſtirps maſcula ejus domus ſupereſt, dignitas Cæſarea ad alium tranferatur. Ergo exoranda erit ipſorum modeſtia, velint opibus partis contenti agere, dominatum in Ordines ne affectent. Ordinum autem erit maſcule, & conjunctis animis reſiſtere, ſi quæ in ipſorum præjudicium tentantur. Præprimis cavendum, ne pauci quidam vel inter ſe, vel cum Ordinibus fœdera ineant, contra quodcunque Germaniæ membrum valitura. Quod ſi illa adverſus alios tendant, proſpiciendum, nec ex iſta occaſione Germania bello involvatur. Præprimis autem cavendum, ne exteri ſeſe negotiis Germaniæ immiſceant, neve ullam amplius particulam eidem decerpant. Quin & obſtandum, ne unam atque alteram vicinarum regionum potentior, & dilatandorum finium avidus hoſtis abſorbeat, ex quibus in ipſam Germaniam ſerpere contagio poſſet. Si tale quid tentari adparuerit, mature defenſio adornanda, quærendáque ſocietas eorum, quorum itidem intereſt; ne certa regna in nimiam potentiam inſurgant. Cæterum quamdiu ſua tantum defendere ſatis habet Germania, militem alere perpetuum, præſertim numeroſum non adeo neceſſarium fuerit; deſcriptio tamen mature facienda, quantum quiſpe mittere debeat, ubi opus fuerit. Quis autem modus ſit, etiam pacis tempore ſumtibus valde modicis militem alendi, qui ſtatim, ubi res popoſcerit, in exercitum coire poſſit, optime, ni fallor, ex vi-

cina Suedia discere poterant Germani.

§. 5. Enimvero isthæc omnia, & si quæ alia salus Germaniæ requirit perspicere, atque in usum transferre facillimum fuerat, modo bonam mentem experirentur propitiam qui ad clavum Reip. sedent. Sed cum plerique inter præcipuas causas distractæ in partes Germaniæ collocent religionis diversitatem, puto non alienum à libertate opusculi fuerit, paucis recitasse, quidnam super isto negotio abs cordatis quibusdam viris, me presente, disputatum fuerit. Nam neque illa rerum Theologicarum mihi est facultas, ut super talibus proprio Marte judicium ferre queam: & minus puto piaculum fuerit aliorum sententiam retulisse, quam propriam exponere; præsertim cum me Sanctissimæ Matris Eclesiæ Catholicæ judicio humillime subjiciam Cum ergo ipse Coloniæ Agrippinæ apud Reverendissimum atque Illustrissimum Nuncium Apostolicum, quem cum aliis quibusdam obsequii testandi causa inviseram, inter varios sermones subjecissem, me nondum satis capere causas, quare tanta per Germaniam dissidia religio excitarit, cum in Belgio fœderato, quo non ita pridem excurreram, tale quid non deprehendatur; ubi tamen credendi, & non credendi, quæcunque placuerit, summa sit licentia. Nam quæstui, negotiisque suis ibi quemque intentum, de alterius religione parum esse solicitum. Heic Illustris Vir, qui multum temporis in aulis consumserat, sed tunc in penitissimum sese otium abdiderat, petita à Nuncio venia: Quoniam, inquit, iste peregrinator mentionem injecit rei,

quæ diu cogitationes meas exercuit, quid demum mihi probabiliſſimum fuerit viſum jam exponam, poſtquam & otium omnibus allubeſcit, & vix mea putem adprobaturum me, niſi tam politicis animabus, quales veſtras deprehendi. Inde altius ingreſſus recenſuit, quam multis hæreſibus ab initio res Chriſtiana fuerit diſtracta, quarum pleræque ſucceſſu temporis ultro evanuerint. Sed vix ullum dari ſchiſma, quod gravius Eccleſiam diſtraxerit, & quod non privatos duntaxat aliquos; ſed integra regna corripuerit, quam cui ſuperiori ſeculo pauci quidam in Germania Doctores occaſionem dederunt. Magna ingeniorum vi, ſed & truculentiſſimis odiis invicem certatum, nec dum apparere ſpem componendi tam horrendi diſſidii. Abditas fatorum cauſas ſcrutari noſtrum jam non eſſe. Quid tamen rerum humanarum conditio rationis ſuggerat, inveſtigare, magis ex decoro ſui ordinis fore.

§. 6. Apparet igitur, ait, duabus potiſſimum rebus homines vehementer irritari, contemtu, & interceptis utilitatibus. Neque de illo contemtu loquimur, quo alicujus exiſtimatio, & fama directe proculcatur, ſed quem ſibi cerebroſiſſimus quiſque ex diſſenſione alterius fingit. Hac enim labe ingenia humana utplurimum laborant. Non modo contra contendere, ſed & hoc ipſum, non conſentire, odioſum eſt. Qui enim non conſentit alicui, putatur eum tacite erroris accuſare; qui in multis valde diſſentit, pro ſtulto eundem habere videtur. Iſte porro morbus, quam maxime vexat homines umbraticos, in ſcholarum

ſcholarum pulvere enutritos, & ſolitariis ſuis ſpeculationibus vacantes. Horum hoſtis ſtatim capitalis eſt, qui pro oraculis habenda non putat, quæ ipſi ſibi perſuaſerunt. Nec majori quondam ardore inter Romanos, atque Pœnos ſuper imperio orbis certatum; quam inter literatos ſæpe ſuper ſyllabis, aut minutiis aliis depugnatum vidimus. Par, ſi non acrior intemperies agitat Sacerdotum nationem, (nam libertatem ſibi ſtipulanti Nuncius placide annuerat,) quorum cum ſinguli ſibi peculiariter Numen credant favere, ſi quis ab ipſorum placitis abeat præter injuriam ſpretæ autoritatis, impietatis quoque arguitur, tanquam qui contemtu veritatis cœleſtis, aut ex profana pertinacia, ne quid ab aliis videatur didiciſſe manifeſtum licet errorem exuere dedignetur. Et vero mirum eſt, eos, qui placidiſſimam religionis Chriſtianæ manſuetudinem aliis inculcant, tam horridis ſcatentes affectibus geſtare animos. Aut oſtenſtat mihi aliquis, in quo hominum genere plus reperiatur ambitionis, avaritiæ, invidiæ, iracundiæ, contumaciæ, & ubi quilibet ſe ſuaque tanti facit, ut qui diverſa ſentire auſus fuerit, continuo æternis flammis addicatur, ne Deo quidem tam ſeveras ſententias reſcindendi facultate relicta. Cæterum quod ægre quis ferat, ſi ſua commoda per alios intercipiantur, id à ratione non uſque adeo abit.

§. 7. Enimvero ad penitius intelligendas diſſidiorum cauſas conſiderandum quoque, qualis ſit velut genius triplicis illius religionis, cui publica libertas per Germaniam indulgetur. Equi-

dem quam adpoſite quælibet iſtarum ſua decreta ex ſacris literis probet noſtrum non eſt inveſtigare, quibus talia in uſum privatæ duntaxat pietatis tractantur. Et abſit tantam ſanctiſſimæ Matri Eccleſiæ malignitatem tribuere, ut exitiabilem errorem velit propinare nobis, qui tanto ipſam obſequio veneramur. Fas tamen eſt nobis diſpicere, quatenus via ſalutis æternæ, circa quam Sacerdotes laborant, ad rationes noſtras politicas quadret. Neque enim crediderim Optimum Numen per cultum ſui civilis vitæ tranquillitatem voluiſſe perturbare. Vt ergo ab illis initium faciam, qui à noſtra Eccleſia Catholica ſeceſſionem fecerunt, ſane in Lutheranorum religione nihil licuit animadvertere, quod principiis doctrinæ civilis repugnaret. Poteſtas circa ſacra Principibus aſſerta; opes Sacerdotum ad tenuitatem magno Reip. bono, (quicquid vos torvum intueamini,) redactæ; plebi inculcatum, ut Magiſtratus tanquam Dei vicem in terris gerentes vereri meminiſſent; denique bonorum operum ſumma officio boni viri definita. Neque diſplicet inania quædam ceremoniarum, & aliquem publici cultus adparatum relicta, divertendis ſimpliciorum animis, quorum captum nudæ pietatis meditatio fere ſuperat. Iam myſteria religionis uti non ad portentoſæ ſuperſtitionis horrorem adornata; ita decorum videtur, abs humani ſubtilitate ingenii tantum impetrare ſapientiam, & potentiam divinam, ut ſublimius quiddam ab hac præſtari poſſe credatur, quam quo iſti penetrare conceſſum. Quin ipſa craſſities, quam nonnulli exagitant, ad ingenitatis opinionem

conciliandam facit. Hinc uti nulla religio de Principibus Germaniæ melius mereri poterat; ita in universum Monarchico statui vix ulla magis idonea videtur. Et vero, ni respectus cæterarum ditionum Carolum V. inhibuisset, magnæ simplicitatis argui mereretur Imperator Teutonicus, quod, initio à Principibus, & urbibus nonnullis facto, occasionem istam ex bonis sacris locupletandi patrimonium Imperii neglexerit; Principibus haut difficulter ipsum in prædæ partem admissuris, & plebe in novos illos Doctores valde prona. Quod attinet Calvinianam religionem, quam vocant, illa à priori parum abit, nisi quod omnes Catholici ritus reliquias cum pulvisculo voluit ejicere; atque recentia dogmata subtilius, quam à Lutherianis factum elimare. Quorum utrumque parum ad plebis animos accomodum. Nam & obtorpescunt fere isti, universo cultu divino intra declamationem, exiguumque hymnum redacto. Et ubi virtus habetur circa res sacras curiositatem exercere, distortissimo cuique ingenio plurima novandi suboritur prurigo, quam inexpugnabilis comitatur pertinacia propugnandi, quod opinionis semel arreptum fuit. Quin & ad ineptias à quibusdam itum est, & comam paulo ornatiorem nutrire pro piaculo habitum. Cæterum illud prudentibus dudum observatum, genium ejus religionis fere in libertatem democraticam inclinare. Nam plebe circa res sacras, censuramque morum semel ad suffragium admissa, iniquum videbatur unum Principem de summa rerum civilium posse statuere. Isthæc porro novæ religiones, magnam

Germaniæ partem amplexæ, quare per mutua dissidia communium adversariorum vires reddiderint validiores, nullam cordati aliam perspiciunt causam, præter illam, de qua modo dicebamus, Sacerdotum pervicaciam, in tuenda non tam doctrina, quam existimatione sua; cui plurimum decedere existimant, si planiora docentibus, aut moderatiora suadentibus paulisper concedant. Nam de utilitate aliqua non litigatur, cum æque utrorumque intersit, ne in Ecclesiæ Romanæ ditionem redigantur. Ergo quia à Sacerdotibus impetrari non potest, ut suam obstinationem post commoda Reipub. ducant, Principum fuerat, istud dissidium paulisper extinxisse, non quidem violenta per remedia, queis irritantur magis dissensiones, quam sopiuntur sed molliori via, & velut per obliquum. Nam si Principes in adsciscendis ministris non amplius vocabula sectarum, sed animi, atque ingenii dotes spectent, si pari modo utrique religionum addicti cives habeantur, Si Sacerdotibus interdicatur controversias illas in concionibus agitare, & asperis nominibus alteram partem perstringere, si denique in scholis publicis non ferantur Doctores, nisi viri moderati, atque prudentes; non dubito, quin paucos intra annos illæ lites ultro sint expiraturæ. Verum, male credo de sanctissima Ecclesia Romana meretur, qui sana consilia istis hominibus suggesserit.

§. 8. Enimvero alia prorsus indoles est religionis nostræ Catholicæ, quam novarum istarum. Nam hæ quidem Sacerdotes volunt esse Ministros Magistratus, & populi, ut heic imbutæ

bonis moribus animæ ad æternam ſalutem poſt mortem deducantur. Catholicæ religioni non tam curæ eſt, ut animi ad probitatem formentur, quam ut Sacerdotum opes, potentia, & autoritas immenſum gliſcat. Et ſane dudum miratus ſum ineptias noſtrorum Sacerdotum, quod controverſias, quæ ſibi cum hæreticis, (ut ipſi vocant,) intercedunt, ex ſacris literis decidendas ſuſceperint; cum longe planior, atque evidentior modus ſuppetat, ad certitudinem demonſtrationum Mathematicarum omnia definiendi. Stabilito enim, atque admiſſo principio illo, quod innui religionis Catholicæ finem eſſe, ut Sacerdotum opes, atque autoritas magnæ ſint, veſani forent adverſarij, ſi vel verbulo ſibi ultra cenſerent oppugnanda dogmata, circa quæ tanta vis chartarum hactenus fruſtra fuit conſumta. Exempli cauſa unum duntaxat, atque alterum ſubjiciemus. Scripturis ſacris tribuitur obſcuritas, eiſdemque legendis arcentur Laici; ut ſoli Sacerdotes earundem interpretandarum jus retineant, neq; Laici ex iiſdem quædam eruant, quæ non ex re Sacerdotum forent. Ijſdem jubentur ſuccenturiari Traditiones, ut ſi quid forte in ſacris literis omiſſum eſſet, ad illum finem faciens, commode ſuppleri poſſet. Iam tota religio tot ceremonijs adornata, ut earum ſplendore, atque numero plebs obruta, & velut attonita de ſolida pietate rimanda cogitationem ſuſcipere nequeat. Peccatorum remiſſionem ſoli Deo relinquere lucroſum non erat. Ergo illa poteſtas Sacerdotibus aſſerta; queis hautquaquam placebat tam proficuo jure diſſolute uti, nec generali confeſſione

& munuſculo aliquo à liberalitate confitentis dependente adquieſcere. Exactiſſima enumeratio ſingulorum peccatorum requiritur; taxatione eorundem in Sacerdotis arbitrio poſita. Heic ſi dives eſt reus paratiſſimum eſt lucrum, etiam ubi gratis peccata fuerunt remiſſa. Quis enim adverſus tam benignum Patrem liberalitatis quid non exhibeat; In pauperes ſecurius licet autoritatem exercere. Et quanti eſt, omnium hominum arcana noſſe; aut quis non revereatur pectoris ſui arbitrum? Miſſa porro nihil accommodatius ad lucrum atque autoritatem Sacerdotum promovendam. Nam quis tam ſalutarem operam navanti præmium negare velit? Aut quis non adoret homines tam venerabilem victimam murmure ſuo producere valentes? Laicis uſum calicis recte ademtum mordicus eſt defendendum, ne in ulla re Sacerdotes erraſſe videantur. Nec fruſtra numerus ſacramentorum auctus, ut eo frequentius Sacerdotibus egerent homines. Et quantum lucri vel id ſolum tribunalibus Eccleſiaſticis adfert, quod ad illa omnes cauſæ matrimoniales trahuntur, eo duntaxat prætextu, quod matrimonium ſacramentum ſit; Citra hoc enim uxorati videbantur æque dextre naturam matrimonij poſſe intelligere. Vis meritoria, bonis operibus adſcripta, uti ambitioſam hominum pietatem inſigniter ſtimulat; ita dum eadem ijs fere rebus definiuntur, quæ Sacerdotes locupletant, cum reliquo Theologiæ ſyſtemate optime quadrat. Quin nec alio fine inceſſum crediderim Purgatorium, quam ut tributo poſſent onerari, quos mors aliàs rebus humanis exemerat. San-

ctorum invocatio uti ſplendorem religionis non parum auget; ita autoritatem Sacerdotum ſuſpicere neceſſum eſt, qui cogitant iſtorum decreto divinæ aulæ proceres creari. Plura addere apud callentiſſimos putidum foret; & qui accuratius iſta ſcrutari vacaverit, ad eum guſtum cætera deprehendet. Ipſa porro Sacerdotum reſp. quam artificioſe compaginata, quam preſſe omnia inter ſe connexa! ut vere dicere liceat, nullum ab orbe condito fuiſſe corpus tam bene diſpoſitum, aut tam validis ſubnixum radicibus. Iam primo ad correctiſſimæ inſtar Monarchiæ reſp. cōcinnata. Ipſi Principi Sacerdotum divinæ par autoritas circumdata. Dei Vicarius, errare neſcius, ætheris, erebique claves citra provocationem, aut interceſſionem diſpenſans. Nam quod melioribus ſeculis credebatur, regnorum omnium arbiter, Reges ſolo dejicere, aut locare pollens, novi Doctores tanquam invidioſum nimis infamarunt. Et quia majeſtas iſtius Principatus ſanctimoniæ potiſſimum opinione ſtat, per electionem idem defertur, ut, degenerante ſæpius regia ſobole, non niſi digniſſimo, & juveniles extra affectus conſtituto, locus pateſiat; ſimul ut magis in Eccleſiæ, quam familiæ bonum foret intentus. Ob eaſdem rationes omnibus ejus Reip. membris cœlibatus indictus, ut ne privati reſpectus alio curas averterent. Quanta porro Ordinum multitudo, quanta varietas! ut eo plures forent, qui Eccleſiæ rebus invigilarent, & attrahendis Laicorum bonis hamos jacerent. Neque vero ullus Principum tam addictus civium ſuorum experitur obſequium; & cum inter ipſos non deſint

æmulationes, eas tamen, ne in Reip. detrimentum erumpant, ſapientiſſime novit temperare Pontifex. Nam antiquos ordines recentiori Societati Ieſu parum propitios eſſe conſtat, quod per hanc illis non parum exiſtimationis deceſſiſſe credatur. Poſtquam enim veterum Monachorum ſimplex ſanctimonia laſciviam recentioris ſeculi parum videbatur frenare poſſe, maximo Eccleſiæ bono ſubijt ſanctiſſima illa Societas, quæ labentes res feliciſſime reſtituit, ſuſcepta juventutis informatione, & per confeſſionem, ſimulq; polita converſatione exploratis omnium hominum arcanis. Sic ut multi putent, pleraque ad Remp. ſacram poſſe adplicari, quæ apud Iobum de Leviathane ſenſu myſtico traduntur. Sine dubio autem optimam illam judicaveris religionem, quæ & cultores ſuos maximis divitiis atque honoribus cumulavit, & efficaciſſimis inſtructa eſt medijs ad tondendas ſimul, & in obſequio retinendas oviculas. Puto tamen ex hiſce adparere, ſtolido plane modo controverſias religionis hactenus inter Catholicos, recenteſque Doctores fuiſſe diſceptatas. Nam noſtri quidem hoſce in hæreticorum numerorum conjectos igne, ferroque delendos clamitarunt, injecta ſinceræ reconciliationis deſperatione. Inde non potuerunt non ijdem acerrime ſalutem ſuam procurare; & poſtquã ſemel Laicos ſiniſtra opinione de Catholicorum Sacerdotũ ſanctimonia imbuerant, facile erat, oſtentatis horũ bonis, iſtos ſibi defenſores cõparare. At ſi ab initio mens non læva fuiſſet, nõ deerant media deliniendi Laicos, diverſas partes amplexos: & citius in gratiam cum Pontifice Ma-

ximo erat rediturus fraterculus Saxo, oblato pingui aliquo beneficio quam petitus fulmine, cujus vis tam longo itinere, & per cæli asperitatem intepuerat. Exadverso mirari subit recentium Doctorum simplicitatem, quod suadere nostratibus non erubescant, relicta sua conditione, & ejuratis tantis opibus ad ipsorum partes transire, ut ibi vile vulgus sint, cum fame acriter luctaturi. Nam ut populum obtentu libertatis, ac Principes illecebra lucri ad sese invitarent, majoris rationis erat. Etsi postquam semel primus ille impetus deferbuit, & nostri post improvisam cladem copias suas curatius instruxere, satis adparuit, melius rerum suarum sategisse nostrates, quam alteros illos. Nam quantum memini, præsenti seculo nemo Principum amplius ad istos transiit; nonnullos tamen intra sinunt suum Ecclesia Catholica recepit. Plura parantem addere Nuncius interpellavit; & satis, inquit, peritiam tuam in rebus Theologicis nobis adprobasti; nec auditores defuturi essent, si publice talia docere institueres. Etsi fateor eadem non adeo ad captum novitiorum esse: nec tibi fas fuerit, (me respiciebat,) intra horulam admitti in mysteria, abs quorum cognitione tot millia versutissimorum hominum magna solicitudine plebem arcere laborant.

§. 9. Isthæc præsente Nuncio Apostolico sat libere prolata, nec sine candoris laude, animum mihi addiderunt, ut deinceps apertioris pectoris hominibus aurem accommodare minus trepidarem. Nec multo post in aliquem incidi virum patriæ suæ rerum peritissimum, sed qui à

nova religione non magnopere videretur abhorrere. Eo curatius venia mihi petenda eſt, talia referenti, ne quis iſta omnia abs me probari putet. Ille igitur, mentione nuperi ſermonis à me injecta, paulo altius exorſus, quod in Rep. bene conſtituta omnino deceat certas eſſe perſonas, cultui divino publicè exercendo vacantes; quos honeſte ſuſtentari neceſſarium ſit; ſed & conveniens eſſe, ædes ſacras publice extrui, quarum decor externam quandam majeſtatem religioni conciliet, ad plebem devotione accedendam non inutilem. Sed neque illud quenquam cordatum, inquit, negaturum arbitror, quæcunque perſonæ ad cultum religionis nihil conferunt, ſacras jure vocari non poſſe; & quæ ad tales alendos inſumuntur, bona, ſanctimoniæ nihil habere. In Germania porro tum liberalitate Imperatorum ac Principum, tum devotione privatorum tantis opibus cumulatus fuit Sacerdotum ordo, ut ſaltem dimidia, ſi non major pars Germaniæ ad ipſos ſpectaverit, inaudito apud omnes gentes exemplo. Ad iſtorum autem bonorum fructus devorandos immenſa vis otioſorum hominum ſeſe adplicuit. Id quod neque Theologiæ, neque decretis civilis prudentiæ ſatis congruit. Divinæ literæ jubent Sacerdotes honeſte ali, neque obturari os bobus triturantibus. Neque Sacerdotum nomen attribuunt illis, qui nullam Miniſterii ſacri partem attingunt. Quin & eædem neque perſonas, neque bona ſacra eximunt ab inſpectione ſummæ poteſtatis civilis, quo minus ab eadem ad ſalutem Reip. debeant temperari. Nimiam autem molem bonorum ſacrorum non eſſe ex uſu

Reip. ſatis perſpexerunt Veneti veſtri, qui eorundem incrementis obicem poſuere, nequidquam ringente Pontifice, ſcilicet in tabem velut attenuari civitates neceſſum eſt, ubi tantas divitias ad ſeſe trahunt homines, aliud extra Remp. caput agnoſcentes, & ab oneribus publicis exemtos ſeſe divino jure ferentes. Equidem de numero Epiſcoporum non habet Germania quod queratur. Quin longe anguſtior ille eſt, quam pro latitudine regionis, ſi munus ſacrum ipſis obire placeret. Sed quo tantę ipſorum opes? Dicis, eſſe eoſdem ſimul Principes Imperij, & partem capeſſere de cura Reip. Ergo abſtineant ſacro nomine Epiſcoporum, quod officium ipſos obire non ſinit ſecularium negotiorum moles; & nihil aliud velint audire, quam quod ſunt. Nam puto nihil detrimenti capiet religio Chriſtiana, ſi vel maxime Epiſcoporum aliquis Germaniæ per annum unam vel alteram miſſam non celebraverit, ſuperbo ſtipatus ſatellitio, & primis Chriſtianæ religionis diſſeminatoribus paupertatem ſuam exprobrans. Sic gaudeat ſane Moguntinus ſua ditione, ut poſſit ſuſtinere dignationem Cancellarij Germaniæ. At cur ſancta ipſi Sedes ſit attribuenda, cum alij Principes, queis æque reſp. cordi eſt, vulgari ſint contenti, cauſa non adparet. Iam de Canonicis quid dicam lignis, ex quibus dolantur Epiſcopi? Eorum opera, quod in rebus ſacris nihili ſit, ipſi non erubeſcunt profiteri, dum irregulares ſeſe Canonicos ferunt, & parcendo gutturi Vicariorum opera templorum fornices clamore laceſſunt. Ex his, qui nullam partem negotiorum profanorum attingunt, inu-

tilia terræ pondera ſunt, ventri, atque inguini ſervientes. Qui profana tractant; cur ſacri audiunt, aut cur ſacris bonis abutuntur? Iam quid de immenſis opibus monaſteriorum dicam, & de infinitis examinibus raſorum quibus illa obſidentur? Equidem dari collegia, in quibus juventus Eccleſiæ, ac Reip. formetur, omnino expediebat. Neque abnuerim, eadem poſſe inſervire hominibus ad profundas duntaxat ſpeculationes idoneis; ex quorum ingeniis qui Reip. provenire poterant fructus, per vitæ civilis turbulentiam intercipiuntur. Aſt ubi hiſce de tranquillo receſſu fuit proſpectum, neque ipſi teneritatem ingenii in pœnam ſibi datam poſſunt queri, & ſæpe largo cum fœnore reponunt, quod in ipſos à Rep. fuerit inpenſum. Vtrumque tamen genus ſobriis impenſis optime alitur; exuberans pinguedo vigorem & induſtriam velut oblimat. De cætero nulla apparet ratio, quare deſperati homines, aut qui tædio laborum cucullo deformes incedere amant, abſurdis boatibus templa impleturi, aut frigidiſſimo affectu repetitas preculas Deo ad globulos annumeraturi, publice ſaginari debeant. Illud pro mole bonorum ſacrorum quidam palmarium ducunt argumentum, quod per iſta conſulatur illuſtribus, & nobilibus familiis. Dum enim ad beneficia Eccleſiaſtica promoventur, qui familiam videbantur gravaturi, adeoque diviſio patrimonii prohibetur, opes, ſplendorq; familiarum conſervari melius poteſt; quin & augeri, ad dignitates ampliſſimas provectis, queis alias domi cum paupertate fuerat luctandum. Et fateor vel per ſolam hanc rationem illuſtrium

favorem familiarum sibi pignerari potest Ecclesia Romana. Enimvero uti familiarum nobilium splendorem servari fors egregium fuerit; ita sine dubio illi, abs quibus bona sacra sunt profecta, de isthoc per eadem procurando ne per somnium quidem cogitarunt; nec in eo fine sacri quidpiam possumus deprehendere. Quin si postgenitis honestus est animus, suppetunt bello, ac pace media, quibus & rem, & famam possint quærere. Sin neque domi, neque militiæ ulli sint usui, nosse debebant invidendum nimis ingnaviæ præmium esse, victum publice velut in prytanæo accipere. Quod, si reposuerint, saltem hoc modo impediri, ne gliscens nimium numerus nobilium ob paupertatem demum despectui habeatur: respondemus, si digna nomine suo germinet nobilitas, multitudinem ipsorum ordini, reiq; publicæ nihil obesse; cum virtuti numquam statio, aut præmium sint defutura. Quod si metuant, ne ipsi, quos tulit ætas parentum pejor avis, dent progeniem vitiosiorem, recte quidem, dum matrimonio abstinent, orbem ignavis fucis opplere parcunt. Sed & extra sacros ordines licet fœminis abstinere. Aut si citra scorta libidinem retundere non datur, nescio quam miserandum videtur, bonos istos antiquos; dum Reip. aut heredibus suis aliquid subtrahendo animæ se suæ consulturos crediderunt, atratis admissariis pabulum suggessisse.

§. 10. Quæ cum ita sint, facile puto causam suam Deo, cordatisque omnibus adprobabunt Principes Protestantes, quod cum reliquas summi imperii partes in ditionibus suis exercerent,

curam quoque ſacrorum ſibi vindicaverint; ſaltem qui id temperamentum obſervarunt, ut quæ antea fere ad lardum generandum inſumebantur, deinceps cederent in uſum eorum, qui re ipſa Eccleſiæ operam aliquam navant, aut juventutem pietati, boniſque literis formant; quæ ſupererant Reip. deſtinatis. Quod ſi iſtos Cæſar, cæterique Principes Catholici fuiſſent imitati, magnus morborum fomes ex corpore Germaniæ ſimul expurgabatur. Neque magnopere poterat indignari ſanctiſſimus Pater, niſi aperte ſe Patronum vitiorum oſtendere vellet. Et nulla neceſſitas ſubigebat fidem Catholicam ejurare, utut Sacerdotes, eorumque bona paulo preſſius ad bonum Reip. forent reformata. Nam & antiqui Chriſtiani, paupertatē adhuc ſociam pietatis habentes, & antequam de privilegiis ſedis Romanæ innotuiſſet, in fide cum eadem Eccleſia Romana conſpirabant. Maxima difficultas nonnullis circa Epiſcopatus adhuc ſuperſtites viſa fuit, quos neque Cęſari, neque Principibus aliis accreſcere rationes Reip. Germaniæ ferunt. Verum quid morbidus Germaniæ ſtatus patiatur facile adparet, quem omnis mutatio magnis concutere motibus poteſt. Ergo maneant ſane iſti Epiſcopi, & tam opimis ditionibus fruantur; dūmodo meminerint, ſe eaſdem Germaniæ debere, & ſe Germaniæ Principes eſſe; quibuſque adeo Germania magis quam Roma ſit amanda. Sed & eorum, quæ ſemel perierunt, & deſiderium bona fide exuant, ne dum iſta recuperare nituntur, fors preſentia quoque ſimul amittant, ſaltem turbis patriam involvere amplius parcant. Equidem ſuperiori ſeculo non adeo difficile vide-

tur fuiſſe, Epiſcopatus in aliam reformare faciem, ni Colonienſis Electoris conatus in caſſum cecidiſſent, aut ſi alios quoque Epiſcopos ſimilia tentandi lubido ſubiiſſet. Et ſane, excuſſa ſemel Sedis Romanæ reverentia, licebat Epiſcopatus illos in Principatus hereditarios convertere, tranſcriptis itidem in capitulares præbendis. Aut, ſi hoc diſplicebat, per electionem deinceps quoque digitates iſtæ conferri poterant. Neque enim adeo obtuſo ſunt ingenio Proteſtantes, ut bona iſta non in eoſdem queant uſus impendere, quibus à Catholicis deſtinantur. Et quieti Germaniæ expediebat, novæ iſti religioni univerſos nomen dediſſe, quam per diverſitatem fidei in partes diſtrahi. Iſtud autem ignavum pecus Monachos & pravè ſolertes Ieſu Sodales ſi qua poſſet expurgare Germania, calidiſſimos ſimul exploratores abs ſeſe amoliretur, & quæ iſti tuburcinantur bona vel ſola ſufficerent alendo exercitui, qui vicinis omnibus eſſet formidabilis. Talia dum diſſerentem audio, jamdudum fortunis Eccleſiæ Catholicæ per Germaniam metuere ſubibat; ni ſuccurriſſet fruſtra privatos & ſpecioſa conſilia fingere, & magnos animos ſumere intra parietum ſuorum umbracula, quamdiu bona ſua ignorant illi, quos ad clavum Reip. naſcendi ſors, opes magis præter meritum, quam ſapientiam largiri prona, admovit. Iſtæc ſuper Imperio Germanico inter peregrinandum mihi obſervata, viſum fuit commentari, quæ profeſſione candoris apud cordatos ſi minus laudem, ſaltem excuſationem merebuntur.

FINIS.



PACIFICI A LAPIDE
NOTÆ ET STRICTVRÆ
IN SEVERINVM
DE MONZAMBANO.
Aliquot Discursibus comprehensæ.

DISCVRSVS I.

Ad Epistolam, in quo agitur de Autore hujus scripti, & cognitione Status & Iuris publici Imperii Romano Germanici.



QVIS fuerit excellentissimus & acutissimus noster Dn. Severinus de Monzambano & an sub nomine illo tecto satis tutò lateat, in præsens nondum certo liquet. Sunt tamen, qui haut vanè conjiciunt, ingeniosum istum Iuris publici Germanici censorem non esse Italum, qualem se fingit, sed natione Germanum & quidem potentissimi cujusdam Regis ad Septem Trio- *Iudicium de Monzambano.*

nes magnum Miniſtrum, qui ſplendidum legati munus nomine Regis ſui in plerorumque Germaniæ Principum aulis maximâ dexteritate & admiratione obiens, inde uberrimam rerum Germanicarum notitiam ſibi compararit. Alii augurantur non legatum ipſum manum operi admoviſſe, ſed diſpoſitionem & materiam alteri, forſan ſecretario cuidam, qui formam daret, ſuggeſſiſſe: *Er hette die Bolzen gedrehet, und ein ander hette ſie verſchoſſen.* Hujuſmodi incerta judicia adhuc de Autore noſtro prudentiſſimo feruntur ab iis, qui interiora Imperii ſcrutari geſtiunt. Quod verò Dn. noſter de Monzambano Italam perſonam ſibi induerit, hoc ideo factum quod ſperarit fortaſſe mollius profectam à peregrino veritatem exceptam iri, abs quo ſtudium partium, aut ſuſpicio captandæ gratiæ, reponendæve vindictæ ab eſſet, ut ipſe in Epiſtolâ ad fratrem aſſerit. Crediderim hoc etiam ideo factum eſſe, ut eò facilius Romanæ Religionis aſſeclas in egregii libelli ſui lectionem pertraheret. Etenim paſſim in nitido ſuo ſcripto depingit Papæ & Cleri Romani ambitionem, vitia affectus ac molimina adverſus Sacro-Sanctam noſtram Imperii Rempub. Quia verò noſtrates, ſi aliquid quod Imperii ſtatum & jura tangit in publicam lucem emittunt, à Romano Catholicis rarò aut nunquam, Pontifice vetante, legi ſolent; hinc Severinus noſter ſibi Italum adoptavit pallium quò iſto modo etiam Romanenſium lectioni ſe inſinuaret.

Quicquid de eo ſit ſingulæ ferè hujus libelli paginæ oſtendunt, Scriptorem iſtum Reipubl. Romano Germanicæ notitiam habuiſſe exactiſſimam, ac adulationis deformi obſequio neglecto in pleriſque articulis rectâ veritatis viâ inceſſiſſe, quamvis ſtylum in iſto pulchro veritatis certamine ſic ſatis audacter interdum acueret in Sereniſſimam Domum Auſtriacam non rarò ſiniſteriores affectus oſtenderet; Suecis autem præſertim in iis, quę civitatis Bremẽſis libertatem attinent nimium quantũ favere videatur. Non in vltimis verò laudum Severini noſtri eſt, quod Romanum Archipræſulem eoſque quorum ſpiritus ex ipſo pendet, adeo ſcite & eleganter ſub fictâ perſonâ ſuâ premat atque opprimat ut nihil ſcitius, & elegantius fingi & excogitari potuerit. Stylum hujus libelli quod attinet, eſt is maxime planus ac elegans, & ſubjectæ materiæ in primis conveniens: Dum verò Nobiliſſ. Autor paucis multa dicit, & brevitati nimium indulget, inde etiam eſt, quod perſæpe obſcurior atque intricatior appareat. Nos in libello iſto ingenioſo illuſtrando id præcipuè dabimus operam, ut omnia appareant clariora, erroreſque Dn. Autoris, qui plus vice ſimplici irrepſerunt, annotabimus, ſimulque breviter redarguemus.

II. Obiter hic notandum anonyma illa & ἀδέσποτα de rebus publicis edita ſcripta, quamvis non levis contra illa ſurgat præſumptio, & vario, quandoque etiam canino, ſemine in necem veritatis luci ſint ex-

Quid ſen[illegible] [illegible]ndum [illegible] de ſcriptis anonymis.

posita, non tamen indistinctè respuenda, quum nonnunquam & in his multa notabilia, vera & scitu necessaria, ab aliis timidulis iniquo transmissa silentio reperiantur.

Prudenter monet Dn. *Limnæus*, inter principes hujus seculi Publicistas jure merito numerandus summâ dexteritate ingenij esse agendum, ne quemlibet album adoremus lapidem, & pro perca scorpionem, pro Iunone nubem, pro veritate mendacium falsumque arripiamus. (l. 1. de I. P. c. 3. n. 7.)

Hippolitus à Lapide. Ita personatus ille *Hippolitus à Lapide* in libro de Rat. Stat. Imperii Germanici, plurima sanè habet egregia, quæ nemo possit reprehendere, & censoriâ virgulâ notare, nisi rerum & status Imperij Romano Germanici non magis, quam Scythici aut Iaponici sermonis intelligens sit. Varia sunt variorum de hoc Hippolito judicia: Alij Polonum, alij Suecum, nonnulli Germanum autorem esse perhibent. Quicquid de eo sit, id certè vero est persimile Scriptorem illum Suecis fuisse à Secretis, ipsique ex archivis magnorum Principum styli sui arma fuisse suppeditata. Scripsit autem Hippolithus ille turbulentis Reipubl. nostræ rebus & illo tempore, quum maximè bellum inter Cæsarem & Suecos ferveret hac fini, ut prudentes animadverterent, quò Paci, quæ tum temporis efflorescere cœpit, moras nectere, vel eam planè impedire posset. Quamvis autem Autor ille anonymus veritatem in multis juris publici articulis, & præsertim, quod Imperij Statum atti-

net, masculè propugnet, dum multis argumentis absolutam Imperatoris potestatem, quam Dn. *Reinkingius*, *Wizendorfius*, *Stamlerus* & alij ipsi, sine Statuum Imperii suffragio, adscribunt, infringit; in multis tamen illum falli, & per implacabile odium adversus Domum Austriacam in transversum rapi, in aprico est. (Vid. *Monzamban.* c. 6. §. 7. & noviss. *Burgoldens.* Discursus ad Instr. Pac. p. 1. D. 12. n. ult.) Plura de hoc Autore ad d. Monzamb. locum infra videbimus. Quod autem personatum nostrum *Dn. de Monzambano* attinet, Autor ille, licèt ubique ferè simplicem veritatem rerum Imperii in lucem producat, attamen, præter nævos (*num. præced.*) notatos, etiam hoc nomine à Dn. *Bruggemanno* (de Scopo Reipub. German. p. 127.) notatur, quòd passim in nostrates Scriptores tantùm non omnes sat petulanter calumniandi cacoethes exserat, & de Imperii nostri hodierno statu falsum judicium ferat. [Conf. *Burgoldens.* Tract. cit. p. 2. D. 5. n. 8.] His adde acrem & nimis vehementem Severini nostri in non paucos Imperij Proceres stylum, quem non uno loco æquanimi Lectores facilè animadvertere poterunt. Hippolitum à Lapide licet supercilio elato noster Autor adspiciat, ejusque errores in apricum proferat, tamen in traducendis nonnullis personis illustribus illaudabili more ipsum secutus videtur Hippolitum. Nam & hic Serenissimos Electores, Statusque non tantum in genere, sed & quosdam in individuo ac-

cusat, innuendo eos cuminum serere, ac camelos deglutire, in minimis scrupulosos esse, maxima verò rerum momenta insuper habere (p. 1. c. 7. §. 120.) Plura de Autore nostro in progressu videbimus.

III. In principio epistolæ ad fratrem Severinus noster de Italorum ingeniis quale suum esse fingit, magnifica verba facit, eaque mirum quantum ad cœlum quasi extollit, inter alia addendo apud Transalpinos aliquam prudentiæ opinionem conciliare, vel de summis montibus Italiam conspexisse. Fatendum quidem est Italos esse ingeniosissimos, eorumque divinam indolem & incomparabilem ingeniorum vim ex omnibus in universum rebus patescere. (Vid. Dn. *Lansium* Orat. pro Ital.) Inde verò minimè gentium Philautia Severini nostri probanda, quasi soli sapiant Itali, & nullius exteræ limæ indigeant. Sanè opinio illa, quasi civilis & œconomica prudentia non nisi ab Italis addisci & comparari queat, jam multorum, præcipuè Germanorum, animos blande infecit, aut interfecit, adeò ut Italia nil nisi divina spirare credatur, quum tamen hunc errorem communem itidem Dn. *Lansius* (Orat. contra Italiam) satis clarè nobis ob oculos ponat, nec omnino à vero abludat, vulgatum illud veriverbium: *Quò Romæ proprior, eò Christianus pejor: Ie naher Rom. Ie arger Schalck.* Hinc prudentissimus & disertissimus Scriptor citatus *Thomas Lansius* (in Consult. p. 18.) ita exclamat: *O hac*

Censura Italorum.

quidem in re parum ſapientes Germanos illos? qui damno inæſtimabili filios ſuos, carnem & ſanguinem ſuum, in Italiam, in Galliam, in Hiſpaniam, vel, ut propriè magis & Latinius loquar, in Veneris & Floræ ergaſterium, in nequitiæ & flagitiorum amphitheatrum, in metallum omnium ſcelerum, non mittunt, ſed relegant, ſed deportant, ſed damnant. Credite piiſſimorum majorum noſtrorum cineres, niſi illa peregrinandi licentia & hæreſis reprimatur, aut modus ad prudentiæ & boni publici regulam ſtatuatur, ultores alienigenas & barbaras tortorum legiones in capita noſtra excitabunt: quin & poſteritas noſtra, ſi qua futura eſt, hanc noſtram incogitantiam, ſeriis at ſeris, lachrymis proſequetur, mores & puritatem Germanorum priſcam undique quæſitura, inventura nuſquam. &c. Hæc ille.

Omnem æquitatem, omnemque religionem proculcare, morem eſſe Italicum ait *Æneas Sylvius* (l. 1. Paral. Alfonſ. c. 53.). Nuſpiam minus vel pietatis vel religionis, quam in Italia & hominibus Romæ vicinis eſſe HetruſcusPoliticus affirmat (*Machiavell.* Diſp. l. 1. c. 12.) Vnde etiam Itali à Cæſare *Scaligero* Dei contemptores dicuntur. Flagitia dominationis in deglubendis miſeris ſubditis & ruriculis ubi adeò graſſantur, quam in Italia? Quis illa ſub prudentiæ Politicæ larvâ adeò commendat niſi communis ab Italia Doctor, impius ille Machiavellus? cujus horribilia Italiæ ſecreta aliaſque leves ac frivolas opiniones Atheiſmum tam apud

imperantes, quam parentes inducentes graviter ex Christianâ Philosophiâ, castigat & redarguit Nobile illud hujus seculi par Politicorum, Illustris Dn. Christophorus Forstnerus in illustribus notis ad Tacitum, & *magnificus Dn. Hermannus Conringius*, cum alibi, tum præcipuè in notis ad Machiavelli Principem ante paucos annos in publicam lucem emissis. In summâ: Italia, fœcunda nequitiæ mater, reliquo Christiano orbi Equus Trojanus hactenus extitit & adhuc existit, unde innumera mala cum moralia tum Politica non Germaniæ modo, sed etiam aliis Christianis civitatibus exitiosa prodierunt, atque propullularunt. Sint itaque Itali acuto atque igneo ingenio inter filios hujus seculi summi; tantum tamen abest, ut prudentia civilis verè Germana, id est, pietatem ac probitatem pro cynosura habens, Germanis nostris in montibus Italiæ quærenda sit, ut illam potius in suo natali solo ferè soli possideant, nec illam aliunde, præsertim ex illâ cerberea regione ubi vitia virtutibus adæquantur peccata contra naturam pariter laudantur & exercentur, arcessere necessum habeant. Germanis nostris prudenti & piâ simplicitate aliis caliginem facilè inducentibus, illa exterorum lima non placet, quum ipsi ingenii naturali bonitate enitescant, & omnia, quæ tam publice quam privatim bona vel mala sunt ipsi dispiciant. Quin potius Itali exterorum, præsertim Evangelicorum, limâ quam maximè indigent, ut pietatem, probi-

tatem, honestatem, & veram religionem cum opinione prudentiæ conjungant, ut sic ingenia illorum naturali bonitate enitescere incipiant. Sed de his hactenus.

IV. Ad Dn. de Monzambano redeundo, enarrat is porró fratri iter Germanicum, & quid in illo peregerit atque observarit. Commemorat, se primùm belli civilis Germanici historiam evoluisse eamque se non è Scriptoribus nostris, sed Italis suis, veritati scilicet unicè litantibus, hausisse. Rationem quam allegat, (scil. inter Germanicos historicos, qui tempora illa composuerunt, vigere studia partium, & periculi metu verum reticeri) non planè nullam quidem existimaverim, quum nostrates, præsertim Pontificij, in eo argumento affectibus, tanquam curru, qui non audit habenas, abripiantur, & causam belli, non causam, Evangelij scil. doctrinam habeant præcipuam, ut videre est in Brachelio, Caraffà & alijs. Ne ipse quidem *Autor Epitomes rerum Germanicarum* (quem Episcopi Constantiensis Consiliarium fuisse ferunt, cúmque *Brachelius* l. 1. Hist. p. 53. in marg. Albertum vocat) quamvis acri judicio Politico discordantis Patriæ mala expendat, causam tamen belli Germanici non tradit, & non raro affectibus in Romanam religionem indulget. Protestantium Scriptores quod attinet, illi, etiamsi occasionem belli probè annotent circa Bohemicos tumultus, Romanensiúmque in Evangelicos odium vel calidis lachrymis deplorent, tamen pauci inte-

Historicorum hujus seculi defectus & nev.

riorem belli Germanici causam, Politicam potiùs quàm Religiosam hactenus monumentis rerum gestarum inseruerunt. Neque verò illam Dn. Severinus noster ex Italicis suis Scriptoribus, de quibus adeò sibi blanditur, hausit, utpote quum illi omnes Romanam sedem adorent, ac proinde persæpe affectibus lumen judicij obnubilent, ut videre est in *Natali Comite, Petro Baptista Burgo, Vittorio Siri, Petr. Bapt. Fulgoso* & aliis, quibus aliàs Germani nostri plurimum fidei tribuunt. Pertinet huc illud Nobiliss. Dn. *Conringij* (in Præfat. ad Tacit. p. 31.) *Res quæ geruntur atque eventa omnibus plerumque patent, aut certè possunt non difficulter patere, causæ verò ipsæ latent sæpè in occulto. Multa enim dolosè fiunt, & sub virtutis simulacro scelera absconduntur. Tum verò sæpenumero rerum initia nobis imponunt, ut causæ eorum videantur esse quibus cùm nonnisi ex accidente ac fortè fortuna conjunguntur. Quis verò isthæc arcana atque abdita penetraverit, quis tam abstrusa judicij acie assequatur, nisi rerum humanarum gnarus ac probè consultus?* Hæc Dn. Præceptor meus semper venerabilis. Vt mihi quidem videtur, veram & genuinam belli civilis Patriæ nostræ causam (Dn. *Forstnero*, Dn. *Hornio* & aliis magnis hujus seculi viris præeuntibus) nuper (ni fallor) ex interioribus rerum gestarum secretis extraxisse videtur *Burgoldensis* (part. 1. Disc. 1. ad Instrum. Pac. Osnabr. ubi passim de Hispaniensium & contra Hispaniensium factionibus

agit. Non verò satis causæ habet porrò, sibi ipsi nimium placẽs Monzambano, quòd *Theatrum Europæum*, opus sanè eximium & ab illustribus animis in Germaniâ hactenus maximi æstimatum, adeò aculeatis dictis, nõ ut obscurè appareet protelet, dũ illud rudi indigestæq; moli cõparat. Cogitare debebat personatus Autor noster, librum illum, in complura volumina distinctum, non tantum de bello Germanico, sed etiam de rebus in universâ Europâ ab an 1618. gestis agere, ac proinde rectè Theatrum Europæum inscribi. Quin potiùs compilatoribus illius operis, ut & Illuminatoribus illius, Merianis scil. magnę agendę sunt gratię, quòd bonas horas in boni publici incrementum tam bene collocarint. Volumina ipsa quod attinet, sic satis justo rerum ordine, semper adjecto die & consule, distinctis rubricis, summulis marginalibus & optimis indicibus, tradita atque digesta sunt, adeò ut opus illud non incommode Pandectæ rerum in Europâ gestarum vocari queat. Et quis autor hodie extat qui imaginibus & picturis ipsas res gestas adeò memoriæ inscribat. Vt non videam quid causæ habuerit D. de Monzambano quare volumina illa cum antiquo Chaos, in quo,

Iudicium de Theatro Europæo.

Frigida cum calidis pugnabant humentia siccis.

Comparatum eat; Taceo nunc de congerie actorum publicorum, quæ præsertim Tomo VI. nobis exhibentur. Et licet *Lundorpius* si, quod Catalogus Francofurtensis de an. 1667. promittit, ad nostra tempora continuetur, in eo genere ubertate longe præcel-

lat, tamen valde ſuave eſt res pace belloque geſtas in Germania & extra eam aliquot voluminibus diſtinctas continuâ ſerie in uno opere aliquo perlegere. Imo ſi *Gothfridi Hiſtoriſche Chronic* præmittas lectioni Theatri Europæi habebis in Germanica lingua à principio mundi uſque ad noſtra tempora hiſtoriam picturis pulcherrimis tanquam luminibus præclarè diſtinctam.

V. Sed redeundo ad noſtrum Autorem, exponit is fratri ſuo Lælio judicium de bello Germanico, meritoque miratur quomodo tantis cladibus ſufficere potuerit, regio, ad quam perdendam non minus cives, quam exteri per annos triginta incubuerunt. Quod ipſos cives attinet, omnino verum eſt eos ad communis patriæ incendium (communibus viribus potius extinguendum) ligna, faces & alia, incentiva attuliſſe, ut adeo, dum Iliacos intra muros & extra peccatum, bellum illud horribile nullo triumpho infine coronari potuerit. Vidimus cives

Judicium de bello Germanico tricennali.

Frontibus adverſis, fraternaque cominus arma.

Arma cum hominibus neceſſariis & conſanguineis collata, omnia ſurſum atque deorſum verſa, & ipſa quoque ſacra profanis miſceri vidimus: Milites in omne fas nefaſque avidi, aut venales non ſacro non profano abſtinuerunt, refertos agros dites Dominos in prædam, aut, ſi repugnatum foret ad excidium deſtinarunt.

Uſque adeò miſerum eſt civili vincere bello.

Et: *Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur.*

Tandem Numine rursus placato nostris malis sapere, licet serius, cum Phrygibus didicimus, &, postquam Bellona feralis satis in viscera nostra sæviisset, pacem Monasterii & Osnabrugæ an. 1648. (ô utinam perpetuam.) pepigimus. Durante verò belli feralis tragœdia quid non exteri moliti? Quæ palam, quæ armis confecta, toti orbi nota sunt: quæ clam & occultis consiliis ad patriam nostram opprimendam confecta sunt, prudentibus & rerum gnaris non potest non esse perspectum. Germanis nostris idem quod iis, qui anguillas captant, usu venit, ut unda stabilis si sit, nihil quicquam capere possint: Sin susque deque concitaverint lutum in palude, captura præsto est: Similiter mota Germaniæ Respubl. lucro cessit exteris, ut passim conqueritur *Burgoldensis* (ad instrum. Pac. Cæsareo Suecicum.) exterorum causas, non causas, belli minimè belli, quo triginta per annos arsit nostra Germania anonymus quidam bis septem lemmatibus, ex centonibus potissimum Virgilianis petitis, repræsentavit in hunc modum.

Prætextus	*Veræ causæ.*
1. *Religionis Amor* —	*Magis at Regionis Amore.*
2. *Imperii leges* —	*Legionibus imperitare.*
3. *Publica libertas* —	*Peregrini hoc nomine nobis servitium imponunt.*

4. *Patriæ tutela salusque* — *Hic labor externæ gentis.*
5. *Miseris succurrere* — *Reddant ut miseros.*
6. *Cunctorum jura tueri* — *Vt cunctos perdant.*
7. *Afflictis rebus adesse* — *Vt nova regna parēt.*
8. *Adsumus auxilio* — *Non defensoribus istis tempus eget.*
9. *Suspecta potentia Gentis Austriacæ.* — *Sed vestra magis.*
10. *Sic visum fatis* — *Contraria fata repono.*
11. *Non hæc sine numine Divûm* — *Te faciunt, Fortuna, Deam.*
12. *Sub clypeo* — *In nostros fabricata est machina muros.*
13. *Bellandum Pacis studio* — *Deludimur ipsis Pacis imaginibus.*
14. *Arcibus his* — *Atque artibus istis.*

Priora lemmata si scupsit πλεονεξία, pinxit fallacia: Posteriora excusit veritas; recusit ejus parens, Tempus, ære publico; & exempla ubique in Germania fuerunt exposita. Quum demum de pace agi fuit concessum, colloquii specie insuper nobis impositum. Etenim satis superque cõpertum fuit, exteros non modò remoras omnes, sed & cuncta Paci quam maximè adversantia fuisse meditatos: Primum aperto Marte nos fuerunt aggressi, postea arte opertâ insidias struxerunt, & rei sanctissimæ, Pacis nimirum, simulatione (proh facinus) pulcherrimam Imperii molem, latentibus cuniculis convellere studuerunt. Pugnare, bellare, hostilia agere, ho-

ſtium eſt: Belli componendi obtentu, pejora bello agitare hoſtilitas eſt plus quam hoſtilis. Majores noſtri, virtuti omnia prona eſſe docuêre, jamque olim apud Tacitum exclamarunt: *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe.* [l. 13. Annal.] Nos degeneres [pudet dicere!] bello nos vinci, & Pacis illecebris circumveniri incauti paſſi ſumus. Cæterùm quis facta infecta facere potis eſt? Ne verò bis peccemus in publica Imperii commoda, & ad eundem ſcopulum naufragium faciamus, hic opus hic labor eſt. Si concordia adſit, vires non deſunt: ambiguæ, ſi diviſæ; acies, ſi coniunctæ. Nos unus populus, unus ſanguis ſumus, nos gentiles, nos cognati, nos fratres. Cur non utilitate & concordiâ verè Germanâ conatus ſpeſque hoſtiles prævertimus? animis armiſque ſociati: Membris in corpus unum ſub uno Capite [unicum diſcordantis Patriæ remedium] dulci Harmoniâ compoſitis, & libertatem, quam nemo bonus, niſi cum vita ſimul amittit, & Pacem, bonum ſecundum libertatem optatiſſimum, retinebimus.

Salus Germaniæ in quo hodie verſetur.

VI. Porrò Autor in Epiſtolâ ſuâ commemorat, quod, belli Germanici hiſtoriâ abſolutâ, cupido ipſum inceſſerit penitius cognoſcendi Germaniæ ſtatum, & quod, ſcopum illum non poſſe attingi ſibi perſuaſerit, niſi perlectis Iuris publici Imperii Romano Germanici Scriptoribus, quos hodie trito vocabulo Publiciſtas appellamus. Res hæc paulo altius repetenda eſt, ut Autor

noſter, qui juris publici Scriptores more ſuo hic falſè traducit, eò melius, quid tandem velit, intelligi poſſit. Principio autem hic accuratè notandum; Notitiam juris publici ei, qui ad partem Reipub. Germano Romanæ aliquando adminiſtrandam aptum ſeſe reddere velit, non ſufficere, nec ipſum jus publicum rectè addiſci poſſe abſque cognitione univerſi ſtatus Germanici, quum pars, in quantum eſt pars propter totum ſit, & eſſentiam ſuam toto debeat; inſuperque de parte deliberari non poſſit, niſi toto perſpecto corpore. Ius autem publicum cognitione ſtatus minimè debet confundi, adeóque ipſe ſtatus Imperij noſtri ex jure publico non erit addiſcendus. Magna ſiquidem juxta principia Politices differentia eſt, inter cognitionem univerſi ſtatus, ſive omnium, quæ ad integram Reipubl. alicujus notitiam pertinent, & jurium alicujus Status publicorum, quæ de Regimine tantum ſunt. Ergo legum publicarum Imperij ſcientia non omnino idem eſt cum cognitione ſtatus; cæteroquin enim, qui jus ſcit publicum, ſciret & conditionem omnis ſtatus Imperialis. Is verò qui ſtatum penitus novit, non poterit ignorare jus Imperii publicum; quum leges illæ animæ civitatis ſint, ac proinde juris publici noſtri notitia pars ſit cognitionis ejus, quâ ſtatus Imperii comprehenditur. Vſum itaque ipſius juris publici nemo perſpectum habere poterit, niſi ſciat, quâ occaſione & quomodo leges conſtitutæ, quomodo olim ſeſe habuerint,

Quomodo notitia ſtatus & iuris publici Germanici ſit cōparanda.

Notitia ſtatus & notitia iuris publici differunt.

rint, quę ratio mutationis fuerit, an ſingulorum, an omnium, an quorundam concernant utilitatem, an rectè ubique obſervētur, an verò hodierni mores iis adverſentur, &c. quæ ſanè ſciri nequeunt, niſi quis probè perſpectā habeat & univerſi corporis Germanici, & ſingulorum ejus membrorum naturam, adeóq; ſciat, quænam ſit totius quęnam ſingularum ejus partium ratio ſtatus ſeu intereſſe, quæ religio, qui mores, quæ fœdera, quæ cuſtodia finium, qui reditus, quæ vis militaris, quæ commercia, quæ alimentorum ratio, quæ diſſidia aperta & gliſcentia externa & interna, & quæ præterea ad integram Imperii noſtri cognitionem facere poſſunt, circa quæ utplurimum quidem jura publica verſantur, ſed quæ ex ipſis juribus publicis nequaquam addiſci poſſunt. Notitia igitur ſtatus Imperii ab Hiſtoricâ peritia rerum Imperii magna ex parte dependet. Hujus enim eſt exponere ſeriem temporum, qua ratione in unum corpus & regnum unum omnis Germania primum mox & Italia magnaque Galliæ pars concreverit, quidvè nonnullas ejus corporis partes poſt ſolverit communi illo vinculo; quæ Cæſarum aut fiſci Regij potentia & olim fuerit & nunc ſit; quomodo ſemper leges latæ, & quænam latarum olim vel poſt ſint abrogatæ vel etiamnum ſerventur: quæ belli ratio & pacis: quæ forma eligendi magiſtratus: qualis religio quis modus judiciorū &c. Abſque hiſtoriâ juris publici ſtudioſus in omni reliquo negotio ceſpitare neceſſum ha-

Quomodo notitia status Imperii comparari possit.

bet. Sed quomodo ad hiſtoricam illam Reipub. Imperij peritiam perveniendum? aut per quam viam ad illam itur? Imprimis Germanicæ hiſtoriæ proprium atque domeſticum eſt, ſcire quid actum aut decretum aliquando ſit in Reipubl. noſtræ negotiis. Hactenus itaque rectè Dn. Monzambano aſinos ad lyram jure dicit qui ad noſtræ Reipubl, ſtructuram (quam idem malè irregularem vocat, ut infra dicetur) explicandam in publicum provolant, hiſtoriæ patriæ, ſcientiæque civilis rudiſſimi, ut habent Epiſtolæ verba. Conſulendi igitur omnes rerum Germanicarum gnari, monumenta ſcrutanda, excutienda ſcrinia, inſpicienda omnia, unde rerum imperii memoriam licet petere. Monumenta autem rerum Germanicarum, licet à majoribus noſtris parvo numero & obſcura ferè ad nos tranſmiſſa ſint, tamen Typographiâ inventâ ſtudiis clarorum virorum à ducentis abhinc annis in tantâ copiâ & tam præclara habemus, ut hiſtoria Imperii noſtri hodie comparata haut ſit difficilis. Habemus hodie leges tempore Caroli M. & poſt uſitatas in corpore legum antiquarum Cl. *Friderici Lindenbrogii*: Suppetunt nobis leges Saxonicæ & Suevicæ, quibus Germania pæne omnis ſeculis aliquam multis floruit. Nec deſunt nobis hodie comitiorum decreta omnia à temporibus Friderici III. Imp. collecta in unum corpus Receſſuum Imperii. Antecedentium inſuper temporum inſtituta publica pleraque nobis dedit *Melch. Goldaſtus* Haimensfeldius. Hiſtorica Majorum ſcripta ex

situ & tenebris itidem hodie in lucem producta, sunt potissimum operâ *Scardii, Freheri, Pistorii, Reuberi Urstisii*, & *Reineri Reinecii*. *Historici rerũ Germanicarum.* (Vid. Dn. Conringium in Præfat. ad Tacit. de M. G. & Dn. *Fuchsii* Epist. ad Baronem Schvverin, tabulis institut. præmissam.) Et generaliter omnium antiquorum scriptorum & totius Imperii historiæ instar esse potest *Christophori Lehmanni Chronicum*, quod universæ Germaniæ res gestas complectitur. Quemadmodum autem recentiora jura antiquioribus ferè derogant; ita quoque recentiores historiæ rerum Germanicarum prę antiquioribus longè magis prodesse possunt, licèt & his suum inæstimabile pretium semper maneat. Ex recentioribus apprime illi sunt versandi qui bellum religionis, quod superiori seculo agitatum & nuperrimum illud tricennale descripserunt. Adeundi ergo inprimis erunt *Ioan. Sleidani* Commentarii. *Chytræi* Historia Augustanæ Confessionis, *Cælestini* Historia Comitiorum Augustanorum, Petri Suavis Polani, sive *Pauli Sarpæ Veneti* Historia Conciiii Tridentini, *Thuani* opus Historicum, *Caraffæ* Germania Sacra restaurata, *Epitome rerum Germanicarum* cujusdam Anonymi, *Theatrum Europæum, Chemnitius* de Bello Suecico German. & *Petri Baptistæ Burgi* Mars Sueco Germanicus, *Adolphi Brachelii* Historia nostri temporis, cum continuatione *Thuldeni, Galeatii Gualdi* Historiæ &c. His addi debent actorum publicorum collectores *Christophorus Lehman-*

nus qui ea inprimis collegit, quæ ad pacem religiosam spectant *Hortlederus* de caussis belli Germanici & *Lundorpius* ad nostra tempora continuatus. Adjungi denique meretur *Diarium Europæum*, quod opus apprime utile est iis, quibus non semper Archiva Principum inspicere contingit. Ex hisce rerum universi Jmperii notitia sic satis dignosci poterit. Res verò illius Reipubl. cui aliquando in Germania autoritate vel consilio præesse debemus, tum vicinarum quoque & aliarum, cum quibus Reip. nostræ aliquid negotii vel commerci esse potest, ex singularum Rerumpubl. Chronicis, item Topographiis à *Zeillero* editis, *Werdenhagio* de Rebuspubl. Hanseaticis, *Zeilleri* Itinerario Germaniæ, itemque ex ejusdem libello de decem Germaniæ Circulis, & aliis ejus generis Scriptoribus peti poterunt. Notitiam jurium publicorum Imperii quod concernit, *Scriptores Iuris publici Germaniæ.* non illa sanè est petenda ex jure publico Justinianeo, (uti nonnulli volunt, qui tamen ipsâ experientiâ & à Dn. *Conringio* solide refutantur) sed ex A. Bullâ Caroli IV. Recessibus & Cõstitutionibus Imperii, Capitulationibus Cæsarum, Instrumento Pacis Cæsareo Suecico, & consuetudinibus publicis. Jnter Interpretes, qui hæc scripta illustrarunt hodie præcipui sunt *Ioannes Limnæus*, qui quinque tomis opus consummatum de Iure publico edidit, quem licèt parum reverenter suggillet noster Dn. Monzambano, in Epist. h. tamen *Limnæus.* Clarissimi illius Viri laudibus, quas in pu-

blico Imperii jure interpretando meruit, caliginē nullo modo inducere poterit. Severino noſtro videtur mole præ cæteris laborare: Hoc tamen neminem terreat, quum plurima, quæ in eo continentur, & hujus argumenti propriè non ſint; ut Edicta, Mandata, conſtitutiones & Receſſus impune omitti poſſint, ut conſulit Dn. *Fuchſius* in Epiſtolâ ad Dn. Baronem SWerim, & ipſe Monzambano agnoſcere videtur (verſ: *Quo plura &c.*) Arguit porrò in Dn. Limnæi opere noſter Severinus febriculoſam juris civilis notitiam, unde patet illum eodem affectu in Ictos propendere, quo Hippolitus à Lapide & alii in eos propendent. Vt verò non omni ex parte probaverim allegationes inconvenientes, juris Romani quas nonnulli ad jus Imperii publicum illuſtrandum Scriptis ſuis inſerunt; ita ad rem facientia juris allegata (quibus & ipſe Hippolitus, & alij non rarò utuntur) non in ultimis laudum poſuerim. Supervacaneis multis allegationibus juris Reinkingium, Sprengerum & alios non paucos laborare Severino noſtro concedo: Recentiores tamen, quibus Cameraliſtas accenſeo, ut plurimum privatis juris textibus egregiè publica explicare norunt, id quod nemini diſplicere poterit, niſi qui in jure Romano tantum titulum *de ignorantiâ juris* magni æſtimat, cæteris inſuper habitis; quid verò ex Autoris verbis: *febriculoſam juris civilis notitiam*; colligendum ſit alii viderint. *Iuſtus Lipſius*, vir cæterà *Ictorum vindiciæ*

accurati judicii, & inter criticos facilè princeps, in monitis suis Politicis valde succenset Lothario II. Imp. quòd spinosum jus civile Romanum ex orco quasi in lucem reduxerit, quem virum, juris illius scientia ac prudentia carentem, sequuntur alii magni nominis, inter quos ipse *Lehmannus* in aureo suo Spirensi Chronico. Lipsium tamen hunc & illius asseclas prudenter propterea stringit in notis suis incomparabilibus ad Tacitum Illustris Dn. *Christophorus Forstnerus.* Sed de hoc argumento aliàs. Porrò inter Interpretes juris publici Imperii, & quidem qui ad A. B. Scripserunt, clarent *Arumæus*, *Rumelinus* cum additionibus Dn. *Myleri*, *Limnæus* & D. *Dieterich.* Ad Capitulationes legi merentur Dn. *Carpzovius* (de lege Regiâ Germanorum) & Dn. Ioan. *Limnæus.* Iungi his merentur *Lampadius* cum notis Viri Summi *Hermanni Conringii*, *Die Grundveste des Reichs gestellet durch Eitel Friderich von Heerden*, *Marquardi Freheri Arumæi Goldasti* Magnif. Dn. *Myleri* & inprimis Nobiliss. Dn. *Hermanni Conringii* Iuris publ. varia Scripta, *Reinkingius* de Regi. Sec. & Eccl. qui tamen in doctrinâ de Iuribus Majestatis Imperii in totũ errat, ut experientia testatur. & D. Limnæus contra Wizendorfium, Reinkingii propugnatorem, solidè & accuratè demonstravit, quẽ rursus D. *Stamlerus* (in Tr. de Reservatis Imperat.) confutare nititur, sed victor minimè abit. *Hampelii nucleus Iuris publici*, Giessæ impressus,

dignus porrò est, qui in Publicistarum Catalogo numeretur, ut & Dn. *Ludolphus Hugo* (de Statu Regionum Germaniæ, quod inaugurale ejus scriptum, Helmstadi impressum, lectu dignissimum censeo) præterea Generosus & maximè Strenuus Dn. *Veit LudeWig von Seckendorf in Teutscher Fursten Staat*, Acutissimi Dn. *Strauchii* Dissertationes Exotericæ, *Seuerinus* noster *de Monzambano*, acutissimus sanè Italus, ficto nomine Germanum celans, & noviss. Dn. *Bruggeman* de Statu & Scopo Reipub. Germanicæ. Item triumviri sequentes *Matthias*, & *Ioachim Stephani*, eum *Paurmeistero* qui de Iurisdictione Imperii scripserunt. Danda est etiam opera, ut *Protocollum* tempore Pacificationis habitum, ad instrumentum Pacis probè intelligendum in promptu sit. Instrumentum tamen illud nuper illustrandum suscepit *Burgoldensis* quidam, sub titulo Notitia rerum illustrium Imperii Romano Germanici qui, si labor ille gratissimus apparebit, majora propediem molietur, quod nuper mihi dextris junctis confirmavit Agmen nunc claudant Scriptores illi, qui de cibo magnorum stomachorum, nempe Ratione Status Imperii scripserunt, inter quos familiam ducit *Hippolitus à Lapide*, ad cujus lectionem non nisi animæ illustres accedere, eumque magno cum judicio perlegere debent: Acri judicio quoque hanc materiam exsecutus est Dn. *Ioan. Wolfgangus Textor* de vera & genuinâ ratione status Germaniæ modernæ

Ex Scriptoribus hactenus adductis Notitia Status Imperij ejusque Iurium satis abunde hauriri atque cōparari poterit, ut adeò D. de Monzambano cōsilium quod hic suppeditat, minimè comprobare possim. Is autem, postquam Theonino dente & indignis modis Teutonicos juris publici Scriptores excepisset, ob multitudinem ejus generis Autorum de notitiâ status & juris publici ex iis comparandâ planè desperat. Sed Bonus noster Deus non sinat, ut, hujus Severini consilium sequentes, clarissimorum atque doctissimorum virorum illorum egregios in hac arte traditos libros Neptuno aut Vulcano tradamus consumendos. Desperatum & febriculosum illud consilium minimè sequendum. Primum enim non adeò multitudine juris publici Scriptorum laboramus, ut propterea in Germania Iustinianus optandus, qui emendationem hac in re instituat. Deinde D. *Conringius* (in præfat. ad Tacit. de M. G.) accuratè, more suo, ostendit notitiam status Imperii facilè ex monumentis rerum Germanicarum parari posse, si attendatur iuxta præscriptum Aristotelis ad *Imperij* (1.) *Senatum* (2.) *Magistratum* & 3. *judicia*. Intra hos enim cancellos (verba sunt Dn. Conringii) ut aliarum Rerumpublicarum, ita etiam Imperii nostri notitia ferè constricta est; tantum si addatur aliquid de terra ipsa, quæve hæc habet ad victum & ad pacis bellive artes omnes idonea, ut & de ipsis Imperii civibus, adeoque & de eo, quænam terræ ad civitatem no-

Notitia Status Imperij in quo consistat.

ſtram aut pertineant hodie, aut olim pertinuerint; quæ tamen quæſtio non tam de Repub. eſt ipſa; quàm de ejus ſubjecto. Quod ſi enim conſtiterit, quomodo ab initio hunc uſque in diem affecta fuerit, aut quos penes ſteterit poteſtas illa ſumma decernendi aliquid de bello & pace, de ſocietatibus aut fœderibus, de morte aut exilio Civium Imperii noſtri, quos immediatos vulgo vocamus, de bonorum publicatione, vel confiſcatione, deque referendis rationibus (quâ in poteſtate τὸ κύριον ſitum eſt reipubl.) tum quemadmodum hæc adminiſtrari ſoleant: Quod ſi porro noverimus omnem naturam magiſtratuum noſtrorum (hos inter autem & Cæſaris & Ducum & Comitum officia numero) quot nempe magiſtratuum munia Imperium noſtrum agnoſcat, quibus illa temporibus definierit, quomodóve illa conſtituat, id eſt, quibuſnam illa committat, & per quos & ſortitone, an ſuffragio, an certo natalium jure: Quod ſi ad ultimum perſpecta fuerit juriſdictionis noſtræ ratio, circa quæ & quemadmodum verſetur illa, judices verò ex quibus quove modo creentur: His, inquam, cognitis, nihil magni deeſt Imperii notitiæ, & hęc ſola in monumentorum iſtorum lectione obſervaſſe, reliquis ferè inſuper habitis, ad noſtrum hunc quidem ſcopum ſatis eſt. Non tam grave hoc negotium eſt, quin & ſine alterius magiſterio expediri id à quovis poſſet, modò aut à natura non fuerit deſtitutus, aut arte civili & morum juriſque Philoſophia ca-

ruerit. (Vid. Dn. *Conring.* Tr. cit. p. 40. 41.) Quod verò libros de jure publico ſic ſatis idoneè conſcriptos attinet, illorum methodus etiam ita comparata, ut quivis, modo peponem pro capite non habeat, & ſuperflua à neceſſariis & ad rem pertinentibus rectè diſtinguere norit, in iſtâ juris publici Imperii arte magnum nomen haut adeò difficulter conſequi poſſit; ac proinde Dn. de Monzambano non ſatis cauſæ habuerit in genere Clariſſimorum Virorum operam, quam illuſtrando juri Imperii publico adhibuerunt, pro quiſquiliis & ineptiis ſic ſatis frigidè ac febriculosè reputare. Non ſanè decet Virum, cornicum oculos in jure publico configentem, reliquorum oleum & operam ſevero ac vehementi ſtylo ita taxare. Eſt aliquid tenus, ſi non datur ultra. Quod ſi etiam Autor noſter veſtem illam, quam è Conringianâ Iuris publici Cornucopiâ libello ſuo adaptavit Domino Conringio Helmſtadium remittere deberet, ingenioſus ille Italus cum fœtu ingenii ſui ſtaret ſic ſatis nudus. Habeamus potius Doctis viris magnas gratias, quod difficile ad jus publicum iter nobis jam ita reddiderint tritum, ut jam ſine ſpinis in eo incedere ac ſine cortice natare poſſimus.

Via Autori probata, qua ad cognitionem ſtatus Imperii perveniri poßit.

VII. Cæterum, quum Domino Severino noſtro libri de ſtatu & jure publico conſcripti quiſquiliarum loco ſint, videndũ nunc erit, quâ via ipſe in cognoſcendo noſtræ Reipubl. ſtatu fuerit ingreſſus? Aſſerit Autor noſter, quod in Germanico itinere; adeundo ſcil.

Magnorum Imperii Principum aulas, ex viris uſu rerum ſpectatis ea exquirere inſtituerit, quæ dubitationis quid habere videbantur. Itinere itaque Ratisbonam ſuſcepto, ubi tum univerſalia Imperii comitia (quibus Germania veluti in compendio quodam repræſentatur) celebrata , ait ſe uno velut intuitu rerum Germanicarum genium fuiſſe contemplatum, conatibus ſuis velificăte quodam Miniſtro, qui tum in aulâ Moguntinâ rerum potiebatur. Is autem ſine omni dubio fuit Illuſtris Dn. Baro *Boineburgius*, quem ſingularum rerum agendarum dexteritas & doctrina conſummata ad ſummum faſtigium evexit, invidia verò quæ eminentis fortunæ comes, & neſcio quæ aliæ cauſæ rurſus depreſſerunt. Autor noſter porrò aſſerit quòd viſa Imperatoris, Electorum Saxonis & Brandenburgenſis aulâ in Ducis Brunſvicenſis ſedem delatus fuerit ibiq; cum Profeſſore ex vicinâ Academiâ (is eſt Dn. *Hermannus Conringius* Doctor ille famigeratiſſimus, qui primum cognitionem Status & Iuriũ Imperii erudito Orbi rectè manifeſtavit) collocutus fuerit ac ſermones miſcuerit. Rectè verò judicat Autor noſter, quod Magni illius Conringii ſcripta de ſtatu Germaniæ ejuſque jure longè diverſum à reliquorum illius generis ſcriptis genium præ ſe ferant: An verò Summus ille Vir in præjudicium veritatis nonnulla in operibus ſuis diſſimulaverit, ut velle videtur Autor, id ego in medio relinquo. Id verè pro certo aſſeverare auſim, Maximo illi Viro, Do-

Conringij laus.

ctori & Præceptori meo semper augusto, in omnibus lectionibus, discursibus atque scriptis modestâ veri assertione nihil prius atque antiquius esse. Satis libêre, modestè tamen, ille disserit in egregiis libellis de Germanorum Imperio Romano, de Finibus Imperii, in notis ad Lampadium &c. nec scio, an quis alius genuinum jus publicum, tenebris in plerisque articulis hactenus maximam partem immersum, adeo in clarissimam lucem produxerit, ut non immeritò Conringii fama per omnium seculorum memoriam (non vanus, opinor, sum augur) duratura sit. Quod verò potentiores in scriptis suis non adeò offenderit Dn. Conring. ceu Autor noster luxuriante libertate non unâ vice facere ausus, in eo potius laudem quàm sinisteriorem censuram Prudentissimus ille Scriptor meretur. Tange enim montes, & fumigabunt. Quod si acutissimus Italus noster nominis sui larvam detraheret, & non personatus in Eminentiss. Elect. Moguntini aulam rediret, credo adversis Gratiis illum inibi acceptum iri; ut nunc quidem de aliis parum decenter ab eo in libello admissis, taceam. Cęterum ut ulterius Autoris nostri iter persequamur, pervenit is tandē, deliciis Hollandiæ visis, & lustratâ Elect. Coloniensis, & Principis Palatino-Neoburgici aulâ, in totius Germaniæ superioris hortum, Palatinatū scil. Rheni, qui ante tricennale nostrum bellum civile Paradysus Teutonicus appellari consueverat. Heidelbergæ vidit Autor noster Sereniss.

Electorem Palatinum, Dn. *Carolum Ludovicum*, quem ob excellum ingenium, & admirandam ſapientiam. Seculi noſtri Salomonem meritò vocant. Præcipuos Germanicæ peregrinationis fructus ſe in ſalutatione, tanti Principis collegiſſe Autor ipſe fatetur, & omnes qui dotes tanti Herois norunt facilè crediderint. Vmbilicus itineris Autoris noſtri fuit Sereniſſ. Wurtembergiæ Ducis aula, quam ob fructus ſat uberes adiiſſe Dominum noſtrum de Monzambano non pænitet. Hactenus enumeravimus, cui viæ, ad ſtatum Germaniæ addiſcendum, Autor noſter inſtiterit. Laudanda eſt Autoris noſtri curioſitas quam in Germania exercuit, & brevi libello ſuo nucleum juris & ſtatus publici nobis exhibere voluerit. Fateor iſte modus omnium qui ſunt, fuerunt & futuri ſunt ſine controverſiâ optimus meritò habetur. Hac enim ratione prudentiſſimus noſter Severinus Germaniæ noſtræ regimen in ipſis rerum argumentis vidit, & deprehendit, quæ felicitas paucis, quos æquus amavit Iupiter datur & non, niſi Magnorum Regum Legatis & Reſidentibus per Germaniam, contingit. Quum vero regiâ iſtâ viâ ad cognitionem ſtatus Germanici vere ducente vix è millibus imo decem millibus uni incedere datum ſit, faciamus, quod peritis nautis familiare eſt, qui cum recta portum aſſequi non valent obliquis velis remiſque in eum tandem penetrant. Ne itaque à poſteriori in aulis (ubi ea, quæ didicimus in praxin ſunt deducenda) demum jus publicum nimis ſerò, & cum ipſorum

Principum detrimento atque incommodo addiscamus, agitè à priori (ut cum Philosophis loquar) in inclytis. Germaniæ nostræ Academiis & privatim domi (relicto Bartolo Baldo & aliis) adhibitis in consilium dexterrimis Præceptoribus & (ut ita dicam) alterâ parte Petri Rami, id est, judicio evolvamus (præter Recessus Imperii, Capitulationes Imperatorias, Auream Bullam) Decisiones Cameralium, & industriâ Goldasti collecta opera. Iungantur his præter Iuris publici Scriptores supra (n. 6.) enumeratos, (*Gailius* de pace publicâ, Arrestis Imperii, ipsiusque observat:) *Lupoldus de Papenberg* [de Iuribus Regni] *Petrus de Andlo*, cum notis *Freheri*, *Siringius* & *Cranius* de Pace Religiosâ, *Onuphrius Panvinius* de Comitiis, *Denaisius*, *Besoldus*, *Dan. Otto* cum notis *Limnæi*, *Rodingy* Pandectæ Camerales, *Blumy* Processus Cameralis ut & *Mindani* & *SchWanmanni* & alii ejusdem classis. Diligenter porrò insigniores rerum Imperii Historicos [quales sunt præter alios superius notatos *Lambertus Schafnaburgensis*, *Abbas Vrspergensis*, *Gunterus*, *Radevicus*, *Otto Frisingensis*, *Aventinus*, *Cranzius*, *Nauclerus*, *Rebdorfius*, *Beatus Rhenanus*, *Franc. Irenicus*, *Arnoldus Lybecensis*, *Helmoldus*, *Cuspinianus*, *Sleidanus*, *Thuanus*, *Sigonius*, *Guicciardinus*, *Munsterus*, *Lehmannus*, *Dresserus*, *Dimarus*, *Annales Francorum* &c. & actorum publicorum Collectores] legantur, & videbimus nos in cognitione Status Germa-

nici ejusque jurium non hospites, sed venerabiles Mystas futuros. Tantùm ad Autoris Epistolam.

DISCVRSVS II.

De Finibus Germaniæ antiquis & novis.

Ad cap. 1. §. 1.

I. TRaditurus originem Imperii Germanici hoc cap. Excell. Dn. Author noster: §. 1. rectè de Germaniæ nostræ, cum veteris tum novæ finibus sive limitibus disserere incipit. Quod autem breviter vetustos Germaniæ magnæ limites attinet, hodie circa illos mirum in modum mutata facies: Nam quod Occidentales Germaniæ fines attinet, antiquus ejus limes fuit famosissimus Fluvius Rhenus, qui in Alpibus Lepontiis ex Adula monte ortus, per Curiam Rhætorum & medium lacum Acronium (*Bodensee*) curuato flexu Augustam Rauracorum, hodie *Basel*, dividit, & inde quasi à Meridie Septentrionem versus tendens in mare Germanicum exoneratur. Cæterùm populosa æquè ac bellicosa gens nostra, sæpius à Romanis irritata & injuriis eorum lacessita, victricibus suis armis ultra Rhenum Helvetios, Triboccios, Vangiones, Nemetes, Menapios, Trevиros, Tungros, Sicambros, Vbios, Eburones, Atuaticos, Pleumosios; atque ita Helvetiorum omnem Civitatem, trans & circa Iuram ad Vogesum usque montem

Fines Germaniæ circa Occidentem.

(*Elsasisch und Lothringisch Gebirg*) & Galliæ Belgicæ maximam partem cum insula Batavorum suis finibus adjecerunt. (V. *Thuan.* lib. 2. hist.) Hinc Plinius jam suo tempore Germaniæ limitem ad Scaldim fluvium protendit. Præterea Tacitus ab usque Sequanis omnem Rheni citeriorem ripam Germanos accoluisse tradit. Apud Cæsarem ipsi Rhemi, Belgica natio, ultro testati sunt, Belgas plerosque esse ortos à Germanis. (*Cluver.* l. 3. Geogr. c. 3.) Tametsi itaque Autor noster, Tacitum & Thuanum secutus, Rhenum pro termino inter Germaniam & Galliam ponat, tamen cõstat quod etiam nonnulli Germaniæ populi ante Taciti tempora Iulio Cæsare & Augusto imperantibus vltra Rhenum in solo Gallico consederint unde etiam Germania nova ultra Rhenum divisa fuit in primam & secundam (Vid. *Hermannum* Comitem *de Nevenar* in commentariolo de Gallia Belgica add. *Lehman.* l. 1. Chron. c. 9.) Populi autem Germanici, qui olim trans Rhenum Galliam incoluerunt sunt hi. (1.) *Tribocei*, quorum metropolis fuit *Strasburg.* (2.) *Nemetes*, qui hodie dicuntur Spirenses, de quibus *Lehman.* l. 1. Chron. c. 1. & seqq. (3.) *Vangiones* sive Wormatienses. (4.) *Treviri*, quorum metropolis *Trier.* (5.) *Eburones*, qui cum Condrusis, Segnis, Cæræsis & Pæmanis Teutoniam relinquentes, & ultra Rhenum tendentes, primi ex omnibus Teutiscis dicti fuerunt Germani; postea verò, quum illud nomen Teutonibus fieret commune, hi quinque

Populi Germaniæ qui olim fines ultra Rhenum propagarũt.

quinque populi dicti ſunt Tungri, quorum metropolis fuit Athuaca Eburonum, hodie Tungren. (6.) Menapij Eburonum vicini, qui inter Rhenum & Scaldim conſederunt. (7.) *Vbii* ſive Colonienſes. (8.) *Sicambri* ſive Iuliacenſes & Geldri. (9.) *Aduatici.* (10.) *Nervij* quorum ſub patrocinio fuerunt Centrones, Grudii Leraci, Pleumoſii & Gorduni, quorum metropolis fuit *Tornick*. (11.) *Veromandui.* (12.) *Batavi* ſive Hollandi &c. *Helvetij.* quibus populis alii annumerant Helvetios ſive Suizeros; Rauracos ſive Baſileenſes; *Rauraci.* inſuper Veragros, Sedunos Nantuates & Latobrigos in Valeſia, *Wallisſerland*. *Sequani* cum vicinis Heduis origine quidem fuerunt *Sequani.* Galli, quia tamen maximam partem regionum ſuarum (*Ober Elſaſs und die Graffſchafft Mumpelgard*) Germani incoluerunt, ideo & Germaniæ accenſiti. Idem tenendum de Gallis Mediomatricibus quorum metropolis *Mediomatrices.* *Mez*, quæ hodie urbs Gallici juris eſt.

II. Quum dein in Carolo M. dignitas Imperii Romani primùm ad Francos, & dein *In rementum finiũ Germaniæ Occidentaliũ post tempora Caroli M.* per æternum fœdus Ottonis M. Imp. cum Romanis ad Germanos fuit tranſlata, plures provinciæ trans Rhenum ſub Imperio Occidentali, & Imperii Germanici Legibus ordinatæ ſunt. Itaque *Mediomatrices*, & in his Lotharingi, Lucemburgenſis ac Namurcenſis ditio trans Rhenum & Moſam, & inter Rhodanum & Alpes *Seguſiani*, *Viberi* & *Veragri*, (qui hodie *Valeſiani*) *Sabaudi* item & *Allobroges* Imperii limitibus annumerati.

Regnum Arelatense. *Regnum* item *Arelatense* (quod præter Sabaudiam & Helvetiam etiam Provinciam, Delphinatum & Comitatum Burgundiæ comprehendit) ſub Imperio fuit cujus rei memoria etiam inde pateſcit, quod & hodie in ſermone Vulgi interior Rhodani ripa Imperii, ulterior Regni nomine indigetetur, ut *Thuanus* Hiſtoricorum Phoſphorus, locupletiſſimus teſtis eſt; Vt adeò auctis Germaniæ *trans Rhenum* finibus non amplius Rhenus, ſed *Rhodanus*, *Araris Moſella*, *Moſa & Scaldis*, *Fluvij*, *Germaniam à Gallia diſterminarint.* Quin & ipſum Galliæ Regnum, ſive Francia Occidentalis, etiam olim ſub Imperio Germano-Francorum, & poſtea [quamvis non niſi brevi momento] in obſequio Germaniȩ Regum fuit, ut bene deducit Dn. *Conring* (de finibus Imperii c. 8. p. 62. & ſeqq. & cap. 2. & 3.) Nimirum res ſic ſe habet: Carolo M. & Ludovico Pio ejus filio non Germania tantùm ſed & Gallia omnis atque Italia paruit. At Germania à reliquis illis in proprium regnum cæpit poſt ſeparari per diviſionem illam inter Ludouici Pij filios tres inſtitutam. Ludovico enim ceſſerunt (præter Auſtriam, Bavariam, Alemaniam & Franconiam) Friſia, Saxonia, Venedorum potior terra & vrbes ad Rhenum. Acceſſit poſt & illa portio, quæ cis Alpes ad Lotharium ex eadem diviſione devenerat, & Lotharij regnum aut Lotharingia hinc appellata eſt, quæ veterem Galliam Belgicam pæne exequat. Omnia hæc Imperio ſuo &

Origo Regni Germanici.

Henricus Auceps complexus est: ab eo verò per multa sæcula sequentes Imperatores Germanici acceperunt. Adjecit Otto M. Italiam. Conrado porrò Cæsare & Burgundiæ regnum seu Arelatense cum Germanico & Lotharingico conjunctum est. (Vid. Dn. *Conring.* de finib. Imp. & in Dissert. de Civib. Imp.)

III. Tametsi verò (ut hactenus in brevi quasi tabellâ enumeratum) Germaniæ fines ultra veterem terminum Occidentalem (Rhenum scil:) longius promoti sint, tamen tractu temporis usque ad nostra tempora multæ Provinciæ ex ante enumeratis rursus ab illa decesserunt, & ita Germaniæ limites ultra Rhenum longè latèque protensos rursus attenuati. Ita post fatale illud interregnum, quod Friderici II. tempora excepit, Burgundici sive Arelatensis quidem Regni Procerum plerique pro se quisque liberum sibi regnum condidere, ac mox in Gallorum regum potestatem peruenerunt, sub quibus magna pars illius regni adhuc hodie de facto detinetur. (Vid. Dn. *Conring.* de Finib. Imp. c. 24. & 25. & c: 12. 13.) Multæ quoque Lotharingici regni Provinciæ à corpore Imperii Germanici, sive vi detractæ sunt, sive ultrò secessionem fecerunt. Lotharingiæ regnum quod attinet illud olim dictum regnum Austrasiæ & omnem tractum inter Mosellam, Rhenum & Albim ac ita majorem inferioris Germaniæ partem complectebatur) post divisionem inter Ludo-

Decrementum Germaniæ finium ultra Rhenum.

Lotharingiæ Regnum, & Ducatus.

vicum II. & Carolum Calvum integrum ad Carolum Craſſum illud pervenit, & ab eo in Arnolphum Ludovicum III. & Conradum I. Imp. tranſiit. Poſtea quum quidam Ragnerus nomine familiam à Pharamundo deduceret, atque ita in Lotharingiæ regnum prætenderet, is à Carolo ſimplice Rege Galliæ, in injuriã Conradi Imp. Dux Lotharingiæ conſtitutus, regnique nomen ita paulatim evanuit. Quum Henricus Auceps deinde Lotharingiam ſive Auſtraſiam reciperet, ab eo in filium Ottonem M. derivata eſt. Et ita Metenſes, Baſileenſes, Argentoratenſes, Spirenſes, Colonienſes &c. ad Imperium Germanicum pervenerunt. Otto II. Imp. ut Lotharingis Caroli M. poſteris æquum ſe præberet, Carolo Lotharii Regis Galliæ fratri, reliquam Lotharingiæ partem, Ducis titulo, in Jmperii feudum conceſſit. Huic ſucceſſit filius Otto, qui quum ἄπαις eſſet, is Gotfridum Arduennæ Comitem adoptavit, Ottone Imp. hoc ipſum confirmante. (Vid. *Franciſc. de Roſieres* Archidiaconus Tullenſis in Stemmate Lothar. quod opus ſeptem tomis diſtinctum & accuratè conſcriptum, Regi Galliæ non arridere dicitur Vid. *Limnæ*. Tom. IV. p. 887. & ſeqq.) Prædictus Roſarius deducit (in præfat. Tom. V.) *Ducatum Barrenſem* (*Barleduc*) ad Imperium Germanicum pertinere, ac Robertum Comitem Barrenſem à Carolo IV. primum Ducem eſſe creatum, quamquam Galli à tempore Henrici III. Comitis Barrenſis jus in

illam provinciam prætendant. Anno 1570. Carolus Lotharingiæ Dux cum Carolo IX. R. Gall. ita transegit, ut, salvis Regalibus, de cætero ratione Ducatus Barrensis Regem pro Domino directo recognosceret, quamvis Dux Carolus hæc pacta minus comprobarit. (V. *Rosier.* Tom. V. fol. 358.) Nihilominus Rex Gall. Ludovicus XIII. illum Ducatum ob feloniam commissam, Duci Carolo an. 1634. eripuit. Lotharingia alias est Ducatus liber multisque privilegiis gaudet; nihilominus tamen ad Imperii fines pertinet, ut ostendit Dn. *Conring.* (in lib. de Fin. Imp.) *Chifletius* quoque (in Gomment. Lothariens. c. 12.) scribit quod Lotharingiæ Dux, etiam alia, ut *Pont de Mousson, Clairmont, Blanckenberg, Rumelsberg* &c. in feudum ab Imperio recognoscat. Ratione Comitatus Nomenii quoq; Dux Legatum habuit in Comitiis de an. 1653. 54. In Pacificatione denique novissimâ Hispano Gallica (*art.* 62. & seqq.) ita de Lotharingia transactum: quod Rex Galliæ Duci ab Hispanis hactenus captivo, Lotharingiam restituere velit 1. si munitiones urbis *Nanci* sint demolitæ 2. *Mojienvicum*, Regi vigore Pacis Monasteriensis concessum, Ducatus *Barrensis*, *Marville*, Comitatus *Clermont*, *Stenay*, *Dun* & *Iamez* Coronæ Galliæ relinquantur. Reliqua loca omnia, quæ Dux antea possedit, & ad Episcopatus *Mez, Toul* & *Verdun.* pertinent, Duci vigore eiusdem Pacis restituuntur, hac conditione & reservato ut Coronæ Galliæ liber transitus per

Lotharingiam, Alsatiam, Brisacum & Philippiburgum versus, concedatur &c. Rex Galliæ quoque promittit loca cessa in feudum ab Imperatore recognoscere si modo inter illa reperiantur, quæ feudi vinculo ad Imperium pertineant. (Vid. pl. in Instr: Pac: cit.) Nonnulla de rigore horum articulorum pacis dicuntur à Rege Galliæ Duci remissa, quæ in actis publicis videri & legi poterunt. (Add. Dn. *Conring*: de finib. Imp. c. 26.27.28.) Hactenus de Lotharingia. Sunt porrò Germanici propriè ità dicti regni portiones quędam haut leves, quæ Respubl: sibi proprias tractu temporis struxerunt.

Lotharingia quatenus hodie Germanici juris sit.

Tales sunt tredecim *Helvetiorum Cantones* siue pagi, qui quamquam adhuc Germaniæ annumerentur, tamen hodie (Vid. Dn. *Conring*. de finib. Imp. c. 28. & *Hottinger*. in Irenico Helvetico p. 120.) per Instrum: Pacis Cæsareo Suecicum (*art*. 6. ubi vid: *Burgoldens*.) Regimini Romano Germanico non amplius accensentur.

Helvetii hodie non pertinent ad Regnum Germaniæ.

Geneva quoque libera Romani Imperii Civitas, ut testis est aquila, quam monetis suis imprimit, Hæc tamen cum à Duce Sabaudiæ tum ob religionem superiori seculo mutatam, tum ob alias causas variè agitaretur, fœdus cum Tigurinis & Bernensibus percussit, hodieque in possessione vel quasi plenæ libertatis est. Ab Episcopis etiam, quos olim Geneva habuit, multum perpessa est hæc Civitas. *Augustinus Limmerus* (in Relat. Lipsiensibus de an. 1660.)

Geneva hodie ab Imperio exempla.

refert, quod Rex Galliæ à Genevensibus receptionem Episcopi Romano Catholici flagitarit. Et licet legati Reipubl. Genevensis hoc ipsum in aulâ Regis modestè declinarint, ac inter cætera dixerint, se non subditos, sed confœderatos esse Regis, tamen Mazarinus Cardinalis regessit se aut Regiis postulatis annuere, aut omnia extrema expectare debere. Cæterum istud veteris ægroti somnium hactenus surdis narratum, Legatique Reipub. expresse in oratione suâ ad Regem addiderunt: *Wan S. Mai. aus Hass und Neid, gegen die religion sie Wurden verfolgen, Sie Zu-Beschirmung ihrer* Superioritat *und der* religion, *alle mugliche Gegenvveher zu ergreiffen getrost vveren.* Episcopus Genevensis hodie vivit in urbe Sabaudiæ *Nicy*, quatuor Leucis Gallicis Genevâ distans. Hodie itaque Geneva Imperii Romano Germanici finibus vix videtur annumerari posse, quum Reipubl. rationes separatas uti Helvetii (qui nunc exempti) instituant, quamvis Sabaudus in illam adhuc prętendat, quod in territorio Sabaudiæ sita sit, de qua prætensione an firmo talo subsistat alibi dispiciemus.

*Sabaudia porrò hodie Imperii limites versus Galliam constituit. Cæterùm territorium illud hinc inde partim à Rege Galliæ partim à Bernensibus est valde attenuatum. *Vienna* in Delphinatu olim hujus Ducatus metropolis fuit hodie verò est Camberinum (*Chambery.*) Olim Sabaudia fuit amplissima; hodie ve- *Sabaudia in quantū hodie Germanicii juri sit.*

rò complectitur tantum 1. Comitatum *Maurienne* 2. Provinciam *Tarantaise*, 3. Dominium *Fossigny* & 4. Principatum *Chablais*. Henricus IV. Rex Galliæ Provinciam Bressiam & alia ut & Bernenses *Païs de Vaux* (quæ Latinè Pagus Antuarius, Germanicè *Wadt* dicitur) ab hoc Ducatu decerpserunt. Prædicti pagi Antuarii (qui ad Lacum Lemanum situs) restitutionem sæpius & adhuc an. 1614. à Bernensibus flagitavit, donec an. eodem interpositione Regis Angliæ de eâ retransactum, ac fædus inter Sabaudum & Bernenses sancitum (Vid. *Stettleri* Chronic. Nuchtlandiæ part. 2. lib. 11. fol. 484.) Quum etiam Emanuel Philibertus Sabaudus Henrico IV. R. Galliæ an. 1559. esset reconciliatus, Rex ipsi loco Comitatus Bressiæ Marchionatum Saluciæ concessisse scribitur. Nonnulli forsan non vanè putant, nihil magis è re esse Sabaudiæ Ducis, quàm ut tandem fidam, sinceram, ac perpetuam pacem cum Genevensibus, Bernensibus, & inprimis Rege Galliæ colat, ne limites territorii Sabaudici majus detrimentum capiant.

Losanna hodie Regno Germaniæ nō amplius annumeratur. Quod *Episcopum Losannensem* concernit, is olim inter status Imperii numeratus: Cæterum urbem Losannam (quæ olim Sabaudum pro patrono agnovit) anno 1536. Bernenses occuparunt, & loco Episcopatus ibi Academiam fundarunt. Episcopus itaque veteri sede relictâ, hodie Freyburgi in Nuchtlandia vivit.

Welsch *Neocomum*, porrò sive Comitatus & Do-

minium Novacastrense (*Neufchastell*) in Helvetiâ antehac pertinuit ad Marchiones Badenses: Cæterùm hodie ad Ducem Gallici sanguinis *de Longueville* pertinet, quod jus inde est, quod *Ioanna* Philippi Marchionis Badensis filia nupta Ludovico Aureliano D. de Longavilla, attulerit ei hunc Comitatum Novo castrensem. Cum verò idem successionem ditionum reliquarum, inprimis Rœtelanum dominium, sibi vindicaret, jure disceptatum; sed penes Badenses, qui 250000. aureos Ludovico numerarunt mansit possessio. Quum vero Novocastrum (*Welsch Neuburg*) ad Comitatum Burgundiæ pertineat, non dubito asserere illum districtum adhuc limitibus Germanici Imperii annumerari debere, præsertim quum Longâvillanus illam Provinciam eodem jure, quo antea Marchiones Badensis, hodie possideat. *Neuburg an hodie finibus Germaniæ annumeretur.*

Abbas S. Gallensis quoque olim Status Imperii fuit; hodie verò Fœderi Helvetico innexus ab Imperio exemptus. Citatur quidem ad Imperii comitia ratione *des Furstl. Closters zu S. Gallen* & ratione Comitatus *Toggenburg*, cæterùm non comparet, sed tantum testimonium receptæ citationis nuncio tradit. *S. Gallen an hodie ad Imperium pertineat.*

Episcopus insuper *Curiensis* in Rhætia Princeps Imperii & membrum circuli Rhenani Superioris reputatur, ac similiter ad Imperii Comitia vocatur; etiamsi oneribus Imperii se eximat. *Chur an hodie ad Imperium pertineat.*

Rhæti, Helvetiorum confœderati, ut & Val- *Rhæti an*

hodie ad Imperium pertineăt. Sitten an hodie ad Imperium spectet. *Rotwil & Mulhausen an sint iuris Germanici.*

lesii, hodie ab Imperio sunt exempti. *Episcopus* etiam *Citicensis* (*Sitten*) in Valesia, licet adhuc an. 1595. per Legatos in Comitiis Imperii comparuerit, tamen hodie non amplius inter Status Imperii numeratur. Vrbs *Rotvvilensis* in Suevia, licèt cum Helvetiis fœdere conjuncta sit, ipsa tamen in fide Imperii perstat, oneraque ejus fert. Contra verò *Mulhusa* in Sundgovia fœderi Helvetico subnixa, Imperii oneribus se eximit, & citata ad Comitia non nisi Recepisse, quod vocant, dare solet. Vt adeò verissimè asserere possimus intensissimum regimen Austriacorum præfectorum & alia Politica mala Helveticis pagis, laxiore freno secundum libertatem regi assuetis, ansam dedisse separatas rationes ab Imperio Germanico instituendi. Et hoc ipsum cum fortunâ ridente ex voto successisset, ac superiori seculo insuper mutatio religiosa inciperet; odio Romanæ religionis (cui Imperator & major pars Imperii Procerum adhærebat, eamque mordicus adversus Protestantes ferro & armis defendebant,) Augusta Rauracorum (*Basel*) Augusta Allobrogum (*Genff*) Mulhusa aliaque Imperii loca in majorem sui securitatem in firmissimum parietem Helveticum inclinarunt, & sic tandem se exemerunt. Regimen itaque intensius, quàm libertas Germanica ferre poterat, & persecutio Protestantismi unicè in causa sunt, quod finibus Imperii Germanici tam multùm circa Occidentem decesserit. Et hæ etiam fuerunt causæ, quod

Septem Belgij Provinciæ contra Regem Hispaniæ in fœdus coierint, ac cum ab Imperio frustra auxilium & opem implorarent, exterorum subsidiis adversus Hispanum adjuti, tandem sese in libertatem plenissimè vindicarint, atque ita ab Imperii Regimine secesserint. Hisce causis accedit aliud vetustissimum civile malum, Ambitio scilicet, quæ inter duas potentissimas Domos Hispanicam atque Gallicam orta, superiori seculo tempore Caroli V. Imp. & Francisci I. R. Galliæ fortissimum robur ac vires robustas acquisivit, ac etiamnum (proh dolor!) viget. Grassante ac durante hac potentiæ æmulatione universa Europa commota ac in varias scissa factiones, finibusque Imperii Germanici irreparabile damnum illatum. Lamentabile ac merito deplorandum est Germaniæ fatum, quod ipsa iniquitatem aliorum ita ferre cogatur. Vidimus jam adolescentiam ac juventutem illius funestissimi mali: Virilem ætatem calamitosissimæ istius Hydræ Lernææ ac quasi beluæ multorum capitum superiori ac hoc seculo durante bello tricennali adspeximus (Vid. *Burgoldens.* p. 1. Disc. 1. ad Instr. Pac.) O utinam tandem senectam imò mortem optatissimam illius Politicæ Bestiæ cernere liceret!

Hodie de novo illa in Belgio serpit, trucique vultu magnas parat tragædias. Nec Cameracensis, nec Verviniana, neque nupera an. 1659. confecta Pax potuit extinguere illam Europæam Pestem Politicam. Hodier-

no bello prætexuntur variæ causæ, disputatur de jure devolutionis & aliis rebus: Causa interior est æmulatio potentiæ, ultio Gallo-Regii carceris in Hispaniâ, & rescissio Pactorum Madritiensium, (vid. *Burgoldens.* Disc. 5. p. 1. ad Instr. Pac. n. 16. & 20.) Ob luctuosum verò ejusmodi malum Imperio nostro decessit *Principatus Sedanensis.* Quum enim Robertus Princeps Sedanēsis Carolo V. Imp. vim atque arma minitaretur quod ipsi comitatum *Buillon*, qui Episcopo Leodiensi olim venditus, adjudicare nollet, ut eò majoribus auxiliis ac viribus niteretur, ab Imperio nostro se sejungens Gallico Francisci I. Regis patrocinio se submisit, quâ occasione belli initium inter Carolum & Franciscum ortum, quod dein multos per annos continuatum. Hoc seculo quum Princeps *Fridericus Mauritius*, Dux Bullionæus, cum Comite de Soissons contra Regem Galliæ Ludovicum XIII. & Cardinalem Richelium conspirasset, & propterea captus esset, pro sui liberatione Principatum Sedanensem Regi cedere coactus, qui hac ratione coronæ Galliæ hodie est innexus. Iurene an injuria, facilè deprehendi potest ex regulâ juris, *Quod ab initio vitiosum* &c. Hujus Friderici Mauritii frater *Henricus* Vice-Comes (*Vizgraff*) de Turene hodie apud Regem Galliæ est Supremus Mareschallus. Hæc de Sedano. Porrò *Metensis, Tullensis & Virodunensis Episcopatus* superiori seculo an. 1552. ab Henrico II. R. Galliæ, qui cum contra Hispaniensi-

Sedan hodie Aquilâ relicta Lilia Frãcica subodoratur.

Mez, Tull & Verdũ Germania decrescit.

bus in Imperio in fœdere erat, occupati. Et quanquam Carolus V. Imp. eodem anno Vrbem Metensem arcta obsidione cinxerit, ut tormenta majora Argentorati, 18. milliaribus Metis distante, sint exaudita (*Crus.* p. 3. Ann. Suev. l. 11. c. 26.) tamen illam urbem capere non potuit, atque tum temporis in Symbolum Caroli: *Plus ultra* hi versus compositi:

Herculis optasti longas transire columnas,
Siste gradum, Metis hæc tibi meta datur.

Hi itaque tres Episcopatus in manu Regis Galliæ manserunt, & tandem Pace Monasteriensi planè ab Imperio in manus Gallorum irrevocabiliter alienati sunt.

Quomodo decreverint Imperij limites in Circulo Burgundico.

Quod porro *Circulum Burgundiæ* sive Belgium versus Galliam attinet, patet ex Dn. *Conringio* Dn. *Limnæo* & aliis Belgas olim Imperio fuisse subjectos, rursusque postquam Belgę ab Imperii legibus descivissent à Carolo V. iterum feudi vinculo arctè fuisse rursus Germaniæ conglutinatos. (Vid. *Rec. Imp.* de an. 1548. §. *Nachdemdan.* &c.) Et licet in Instrumento Pacis Cæsareo-Gallico (§. *Et ut eò sincerior* &c.) prohibeatur, ne se Imperator, & Ordines Imperii pro tunc bello inter Hispanos & Gallos flagrante immiscere possint aut debeant; tamen per hanc prohibitionem pactio illa, quæ tempore Caroli V. an. 1548. erecta fuerat disertè sublata aut extincta non fuit. Idque testatum fecere Dn. Electores in capitulatione Ferdinando IV. Rom. Regi Augustæ Vindelicorum electo

præscripta (*art. 6.*) in ista constitutione statuitur omnes istas Provincias in perpetuum S. Rom. Imperii protectione, defensione, auxiliis, juribus ac libertatibus gaudere debere. Hæc certe constitutio in Instr. Pacis sublata non est. Imò potius renovata ac denuo confirmata per illa verba: *Circulus Burgundicus sit & maneat circulus Imperii.* Quantum verò decesserit Nobilissimo illi Imperii Circulo experientia satis superque testatur. Nam primum *septem Belgii Provinciæ* Fœderatæ, cum *Drentia* & multis Nobilissimis Brabantiæ ac Flandriæ locis hodie ab Imperio Romano-Germanico separatæ ac insuper in non parvum Imperii præjudicium Hollandi nunc nõnullis & Germanici Regni civitatibus, nempe *Rees*, *Emmerick*, Rynberck, *Lierort* &c. jus præsidii tenent. Quantum porro de Belgio Hispanico bellis Hispano-Francicis Regi Galliæ attributum sit, loquuntur Pacificationis pacta diversimode inter duas istas coronas inita, ut verissimum sit ambitiosa æmulatione Hispano-Gallicâ Imperii Germanici fines indignis ac minime ferendis modis attenuari. Sanè in articulis Pacis d. 7. Nov. A. n. an. 1659. (*in der Fasanen Insel*) erectis, & an. 1660. ab ambobus Regibus confirmatis, multa loca Belgii Hispanici Regno Galliæ sunt attributa v. g. In Artesia *Arras* (*Atrecht*) una cum præfecturis. 2. Munimentum *Hesdin* cum præfecturâ. 3. *Bapaume*. 4. *Bethune*, 5. *Lilers*. 6. *Liens* una cum eò spectantibus præfectu-

Belgæ Fœderati hodie ab Imperio exẽpti.

ris. 7. Comitatus S. Pol. 8. Vrbes *Teroane Pas* cum præfecturis. 9. Similiter Præfecturæ & Advocatiæ in Comitatu Artesiæ, exceptis iis quæ ad urbes *Arien* & S. *Omer* pertinent. In Comitatu Flandriæ Regi Galliæ manent *Gravelingen, Philippschanz, Schleiss & Hammin, Bourburg*, cum Advocatiis & *S. Venant* in Hannonia, retinet Gallus *Landresy & Quesnoy* cum pertinentiis. In Luzenburgensi provincia R. Galliæ relinquitur urbes & loca *Dietenhovem, Montmedy & Damvilliers* una cum pertinentibus Advocatiis & Dominiis: Item urbs & Vogtheia *Ivoy, Charancy, Marville* cum Vogtheia. Restituuntur item Gallo *Marienburg & Philipstatt* inter fluvios Sambre & Mesam, sub conditione in Instr. Pacis adjectâ &c. Rex vero Hispaniæ à Gallis recipit urbes munitas *Vpern, Oudenarde, Dexmaide, Fournes, Fintelle & Quenoque*: Item *Merville* ad fl. Lis, *Menene & Comine* &c. Item in Comitatu ~~in~~ Burgundiæ S. *Amour, Bletterans, Ioux, &c.* (Vid. art. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 45. Instr. Pac.) Quod à Gallis itaque adeò Imperii Germanici fines attenuati sint, causam dedit ambitiosa æmulatio inter Carolum V. Imp. & Franciscum I. R. Galliæ, ut hinc ferè necessarium sit, ut Imperium hodie novos Marchionatus versus Galliam instituat. Interim Reges Hispaniæ melius Belgio suo consulere non possunt, quam si præposteris consiliis atque machinationibus contra Imperium olim susceptis, omissis, se sinceros atque fideles Germaniæ

noſtræ præbeāt,& ita Imperii Proceres in auxiliis ſummittendis ſatis promptos experientur. Noviſſimè *Dünkerka* (murus Germaniæ aheneus verſus Angliam) fervente hodierno bello Gallo Hiſpanico *Lillo* & *Ryſſel* in Flandria Liliorum inſignia agnoſcere coactæ ſunt, quæ omnia quanto cum detrimento Germaniæ noſtræ conjuncta ſint nemo non videt, omnesque, quorum pectora Germanico ſanguine incaleſcunt, flebiliter intra præcordia id propterea gemunt. Me Chriſte! Adeone res rediit, ut propter privata duarum potentiſſimarum Coronarum commoda vel incommoda, Germania noſtra flagella experiri neceſſe habeat? ſed quid loquor de miſero Belgio, cui hodie Mars Gallicus extrema omnia minatur; Rex Galliæ jam in tantum Germaniæ viſcera trans Rhenum intravit, ut jam per pacta Pacis Monaſterienſis, acquiſitâ Alſatiâ Philippopoli, & munitiſſimo Briſaco, Germaniæ noſtræ muros habeat, & niſi è veterno tandem nos ipſos excitemus, invidioſum illud *plus ultra* in actum forſan deducturus ſit, quod tamen Bonus noſter Deus non ſinat! Iam tum præterito tricennali Bello cum Phrygibus ſerò ſapere eheu! didicimus; in præſens, bello ciuili per Dei Gratiam finito, ſummâ cautione opus eſt, ne exteri rurſus, coloratis ſuis mantellis atque prætextibus Aquilinas pennas Liliis atque Leonibus addant. Quantus equis, quantus viris hodie Briſaci & Philippiburgi adeſt ſudor, ut loca illa, aliàs benè

Dunkerka.

Lillo Ryſſel.

Reges Galliæ hodie trans Rhenum in Germaniæ viſceribus hærent.

benè natura loci atque arte munita adhuc lateritiis propugnaculis munitiora reddant, atque ita firmiores compedes Rheno nostro injiciant. Vbi nunc unita Teutonica virtus? Dormiuit hactenus; ut euigilet tandem necessarium est, aut actum forsan erit de pulcherrimo nostro Imperio. Francicus Annibal nimium etenim appropinquat, adeóque inprimis è re nostri Imperij esset, ut Imperator & Imperij status perpetuum exercitum in finibus Germaniæ versus Galliam alerent; Hoc modo enim mutuo metu Germanorum & Gallorum omnium optimè provisum foret, ne inde Respubl. quid detrimenti quoad limites amplius capiat. Aliàs dum deliberabunt Germani Saguntus peribit. Sanè jam olim Franci Rhenum transeuntes Galliam occuparunt; providendum imposterum ne illorum posteri iter retrò instituant, & Rheno superato Germaniam Galliæ adjiciant.

Interesse Imperij ratione limitum versus Galliam.

IV. Hactenus lustrauimus limites Germaniæ Occidentales, & quomodo illi olim extensi, hodie vero ad occasum rursus vergere cœperint, ut adeò ~~dum~~ Provinciâ, Delphinatu, Principatu Burgundiæ, agro Metensi, Tullensi, Verodunensi, majori parte Alsatiæ & aliis particulis ablatis, accisis aut divexatis, hodie Germaniæ trans Rhenum occidui fines sint Sabaudia, Burgundia, Sequanica (*la franche Comté*) Alsatiæ reliquiæ, Lotharingia, Trevirensis & Leodiensis Episcopatus, Iuliacensis Ducatus, ac maxima Belgij sive inferioris Germaniæ pars,

Hodierni Occidentales Imperij limites.

quæ tamen adhuc hodiè armis Gallorum premitur, & tantùm non opprimitur.

Fines Germaniæ versus Orientem. V. Quod limites Germaniæ Orientales concernit, olim ſecundum Cluverum fuerunt Granvicus & Finnicus ſinus, mare Suevicum ſiue Codanus ſinus (hodie *die Ooſtzee:*) Viſtula amnis à fonte ejus lineâ ad Sarmaticos montes ductâ, ut ita Livonia, Pruſſia & Polonia citra Viſtulam ad Germaniam pertinuerit. Saxones enim trans Viſtulam egreſſi *Boruſſos* & *Tranſſylvanos* (qui hodiè appellantur) Germanicè loqui docuerunt, ut Thuanus ſcribit. Etiam *Liuonia* (licet in Sarmatia Europæa ſita ſit) quia tamen à Vandalis proximis inſeſſa fuit, Germaniæ annumerata, eámque ob cauſam Rigenſis Archiepiſcopus, qui in Livonia eſt inter Germaniæ Archiepiſcopos recenſitus; (Vid. *Thuan.* lib. 2. hiſtor.) Huc accedit Taciti *Æſtij.* teſtimonium Æſtios, quorum etiam Autor hic mentionem facit, (qui olim totam Livoniam ac Pruſſiam, omnémque ferè dextram ripam Viſtulæ latè patentem occuparunt) diſſertiſſimis verbis Germaniæ adſcribens. Dn. *Conringius* tamen rectè aſſerit Pruſſiam atque Livoniam regno Germaniæ [à Ludovico Germanico, Ludovici Pij filio, inſtituto] demum poſt tempora Ottonis M. *Marcomanni.* acceſſiſſe. [in diſſert: de Civ.b. Imp.] Marcomanni etiam ſiue Morauí, *Quadi* ſiue *Quadi.* Sileſii & Bohemi priſcis Germaniæ finibus verſus Orientem fuere comprehenſi. Quod Limites Germaniæ Orientales hodiernos

attinet, *Livonia* à Polonis regno Germaniæ detracta: *Esthonia* & *Lettia* in manus Succorum per noviſſimam pacificationem Sueco Polonicam pervenit. Tertia verò ejus pars, nempe *Curlandia* adhuc proprium Ducem hodie habet, qui eſt vaſallus regni Poloniæ. Dn. *Conring*. [de finib. Imp. cap. 25. *Limnæus* l. 1. de I. P. c. 9. n.50.]Nonnulla tamen loca Livoniæ Suecicæ ſibi retinuit Rex Poloniæ vigore Inſtr: Pacis ann. 1661. cum Suecis initæ, quæ tamen hodie Moſchus forſam tenebit. *Pruſſiam* ſuperiori ſeculo Poloni ſibi in injuriam Imperij noſtri vindicarunt, atque civitati ſuæ adjecerunt; poſt per tranſactionem partem ejus Ducalem, quæ dicitur [*das Fürſtliche Preuſſen*] Marchionibus Brandenburgenſibus in feudum contulerunt. Notandum veró quòd ſereniſſimus Elector Brandenburgenſis Dn. *Fridericus Wilhelmus* noviſſimè an.1657. vigore tranſactionis Brombergæ cum Polonis initæ Boruſſiam hanc Ducalem, quæ antea feudalis erat, ſibi familiæque ſuæ allodialem ſiue hereditariam fecerit, ut adeò durante hoc ſtemmate ea pars Boruſſiæ hac ratione Germaniæ rurſus annumerari queat. Similiter *Pomerellia* [*Klein Pommern*] olim Germanici juris fuit, Pomeraniáque ſupra Viſtulam, quæ Caſſubia & Pomerellia dicitur, ad Imperium pertinuit: ſed poſt obitum Meſtenini II. ultimi Ducis *der Caſſuben, Wenden und Pomerellen*, an. 1295. titulo heredis inſtitutionis illa ad Primiſlaum Ducem

Decrementum imperij limitum verſus Orientem.

Livonia hodie ab Imperio exempta.

Pruſſia an hodie ab Imperio exempta.

Pomerellia hodie ad Germaniam non pertinet.

Poloniæ cum Cassubia pervenit. Quod *Polonos* attinet, quamvis etiam illi post Caroli M. tempora Germanico Imperio fuerint aliquantisper subjecti, tributum ipsi penderint, atque etiam leges à Germanis acceperint, ut ex annalibus rerum gestarum accuratè, more suo, deducit Dn. *Conringius* [in libr. de finib. Imp.] tamen illi à longo tempore, post tempora scil. Friderici II. Imp. res suas à Germania separatas, Germanis non contradicentibus, habuerunt ut proinde magna pars citra Vistulam à Polonis insessa, Germaniæ hodie annumerari amplius nequeat. Bohemi verò, Moraui & Silesij etiamnum indubiè juris Germanici habentur, Germaniæque adhuc annumerantur. Hungari porrò etsi olim sceptro Regni Germanici fuerint aliquot: annorum spatiis subditi, (ut itidem præclare docet Dn. *Conringius*) tamen hodie Hungaria distincta à Germaniæ Regno, murumque aheneum adhuc adversus Turciam constituit. Sunt tamen qui asserunt Germanos nostros illam Hungariæ portionem, quæ Turcici juris nondum est, ob auxilia adversus Turcam hactenus frequenter præstita sibi jure meritoque vindicare posse. Ex hactenus dictis liquet hodiernos Germaniæ versus Orientem limites esse Mare Balticum, Borussiam Regalem, Königlich Preusen, Cassubiæ partem, Pomerelliam, Poloniam atque Hungariam.

Polonia non pertinet ad Germaniam.

Hungaria non pertinet ad Imperium.

VI. Hactenus de finibus Germaniæ antiquis & novis ad Orientem & Occidentem.

Supereſt ut paucis quoque limites Germaniæ Auſtrales & Arctoos attingamus. Germaniæ itaque magnæ olim ad Meridiem limes erat maximus Germaniæ Fluvius *Danubius*, quem molli & clemente montis Abnobæ jugo effundi Tacitus ſcribit, videlicet in Suevia ubi vicus *Thoneſchingen*. Poſtea imperante Valentiniano III. Imp. Hermunduri, Marcomanni, & Quadi (Suevici populi) Danubium tranſeuntes Romanis Vindeliciam & Noricum eripuerunt, quæ regiones Germaniæ adjectæ adhuc hodie ad illam pertinent. Carolo M. Germaniam omnem fere ut hodie ſe habet, ſibi ſubjiciente, & adverſus Hungaros expeditionem ſuſcipiente, illam omnem Pannoniæ partem, quæ hodie Auſtria dicitur, Germaniæ jure belli adjecit. Hodie itaque Germania ultra Danubium Alpibus Rhæticis, Vindeliciis, Iuliis, Carnicis clauditur, adeò ut termini Germaniæ nunc ad Italiam & Illyricum uſque protendantur. *Germaniæ fines verſus meridiē.*

VII. Ad Septentrionem porro Germania magna olim finiebatur Oceano Septentrionali ſive Hyperboreo *dem Eiſs Meer* adeo ut tota Scandinavia, & ita Daniæ, Norvvegiæ, Sueciæque hodierna regna Germaniæ accenſita fuerint, uti Cluverus & Autor noſter rectè, Tacitum & Plinium ſecuti, aſſerunt. Cluverus tamen in eo à Dn. de Monzambano diſſentit, quod illos ſecuros adverſus Deos, ſecuros adverſus homines Finnos, & quicquid terrarum Oceano Septentrionali Moſcoviæque confiniis ambi- *Germaniæ fines verſus Septentrionem.*

tur, Germaniæ antiquæ attribuat, quem propterea Autor tacite hoc loco stringere videtur. Imperio dein ad Francos in Carolo M. delato: hic Carolus Germaniam omnem ferè sibi subjecit, nec quicquam post Ottonem M. Germanico regno versus Septentrionem accessit præter illa quæ trans Albim in Mecklemburgensi & Pomeranico sunt tractu. Hodie partes istæ Septentrionales Dania, Norvv. & Suecia non amplius Germaniæ Modernæ annumerantur. Et quidem quod Sueciam attinet, illam à temporibus Caroli M. Germaniæ non fuisse annumeratam constare equidem arbitror. Carolus enim Magnus quum Germaniam antea pro diversitate populorum, diversis quoque ac distinctis Rebuspublicis constantem in unum corpus redigeret & maritima potentia destitutus, ultra mare Balticum Victricia arma proferre non posset, ab eo tempore Sueci, separatas à Germaniâ rationes habere cæperunt, neque amplius in commune cum Germanis consuluerunt. Dania porro, Carolo M. ubique victore in Germaniâ existente, illamque sub Sceptro suo uniente, similiter uti Suecia divortium à Germania fecisse, in eaque conditione Carolinâ familiâ durante mansisse videtur. Cæterum posteritate Caroli extinctâ, sive potius ab Imperio dejectâ, postea binis per intervalla vicibus sub Ottone I. & Friderico I. Imperatoribus Imperio fuit obnoxia. (Vid. *Adam Bremens.* l. 2. c. 2. *Otto Frisingens.* l. 2.

Suecia hodie non accensetur Germania.

Dania an finibus Germaniæ contineatur.

de Reb. gest. Frider. c. 2. Dn. *Conring.* l. 1. de Finib. Imper. c. 14.) quamvis nobilis quidam Danus *Otto Kraghe* hoc ipsum refutare satagat, cujus argumenta habet Dn. *Limneus* (Tom. V. I. P. p. 127. 128.) utut autem forsitan Dania Imperio olim subjecta fuerit, tamen ex monumentis rerum Germanicarum constat, post tempora Lotharii II. Imperatoris Reges Daniæ nullo vinculo Imperio Germanico fuisse adstrictos. Quum itaq; Dania, Norvvegia & Suecia hodie tria peculiaria regna & Respublicas in Septentrione à regno Germaniç separatim constituant, neque amplius cum Germania uniantur, constat etiam limites Germaniæ Septentrionales hodie multum esse imminutos atque accisos, ut adeò nunc versus Arctoas terras Germaniç fines sint Mare Germanicũ, Ducatus Bremensis, Frisia Orientalis, & mare Balticum, cujus dominium hodie, inter Reges Daniæ, & Sueciæ, Electorem Brandeburgicum, Duces Megapolitanos, Holsatiæ, Bremenses, Fresiæ Orientalis, Lubeccenses est divisum. Autor noster Porro ait, quod magnam partem Chersonesi Cimbricæ (Germ. *Iutland*) Dania sibi vendicet. Imò potius dicendum, quod universa Iutia sive Chersonesus Cimbrica Danici non Germanici juris sit. Et quidem quod Iutiam Septentrionalem spectat, extra omne dubium hoc est; de Iutiâ verò Meridionali (*Suderjutland*) quæ hodie *Slesvvick* audit, olim res controversia non caruit. Sigismundus tamen Imperator an. 1424. Du-

Iutia an ad Germaniam pertineat.

catum Slesvvescensem, insulam *Alsen* & provinciam Frischeiden jure directi & utilis Dominii Danis adjudicavit (Vid. I. I. *Pontanum* l. 9. de rebus Danicis p. 571 & seqq. *Chytræ.* in Contin. Chron. Saxon. p. 716. & seqq. *Limnæ.* l. 5. de I. P. c. 9.) Et quum plenè de hoc negotio fuisset transactum, ann. 1580. Ottenseæ in Fionia Duces Holsatiæ Regi Friderico II. juramentum fidelitatis ratione Slesvvici & insulæ *Femern* præstiterunt, ut videre est apud *Pontan.* (l. c. p. 723.) Ducesque Holsatiæ dein an. 1587. d. 22. Mart. ratione illius Ducatus in Camera Spirensi exemptionem obtinuerunt. Vt adeò universâ Iutia hodie extra controversiam ad Daniam pertineat.

Slesvvick non pertinet ad regnum Germaniæ.

VIII. Hactenus intricatam & difficilem materiam de veteribus & novis Germaniæ finibus breviter elucidavimus, de quâ ulterius legi meretur præclarissimum Dn. *Hermanni Conringii* opus de Finibus Imperii.

De securitate finium Germaniæ.

Paucula quædam nunc addam de securitate finium hodiernorum Germaniæ constituenda. Et quidem quod limites versus *Galliam* spectat, summa Reipub. ratio suadet, ut Germani nostri illos inprimis vigilantibus oculis intueantur. Nam Gallicæ Monarchiæ arcana, quæ Richelius passim pandit, Germanis sonticæ debent esse rationes, cur sibi à Gallis potissimum caveant, sive vetera intuearis exempla, sive modernas inspicias actiones. (Vid. supra n. 3. h. Disc. Dn. *Bruggeman.* de Scopo Reip. Germ. p.

Securitati finium versus Galliam est inprimis consulendum.

113. Siquidem moderna potentia Galliæ Regis tantum incrementi cepit, tantas indies adhuc eundo acquirit vires, ut meritò formidabilis ac suspecta Europæ universæ existat. Rex hodiernus habet ærarium magnatum spongiis refertissimum, & quod immensi reditus annui augent, ut adeò bellum illud destinatum movere & æmulationis & invidiæ aculeos, jam ab antiquo erectos, vel maxime nunc plus ultra figere, limitibusque Germaniæ porro molestus esse queat. Communis itaque Patriæ interest, ut Belgium Hispanicum ab insultibus Gallorum auxiliis Germanicis defendatur, Suecique ad communis patriæ incendium extinguendum manus quoque admoveant, id quod eos esse facturos non incertæ fidei rumor est. Ad summam, Germani nostri imprimant sibi hoc tempore aureum Aristotelis dictum: *Quod quis potest, & vult, hoc etiam facit*; cogitentque Regem Galliæ hoc ipsis factis in Germaniæ finibus expressurum. Alea hactenus jacta est. Vt illa infeliciter in Gallorum caput, & tergum cadat, non nisi Germanorum virtute effici potest, ut autem Lyncei oculi in Philippiburgum & Brisacum semper intendantur ac dirigantur, inprimis opus & labor erit. Lotharingia porrò adversus Gallos defendatur & duo fortalia *Homburgum* & *Landstuhl* veris Dominis restituantur; & sic finibus Germaniæ versus Liligerum regnum satis erit prospectum.

Interesse Imperii circa fines versus Galliam.

IX. Quod *Belgas Fœderatos* attinet, ab

Finibus Germaniæ an securitas parta versus Hollandiam.

illis non ita uti à Gallis metuendum, ut pote quum Germaniam, communem patriam illos lacessere velle minimè credibile sit, ipsique cum Helvetiis Imperium atq; Imperatorem, adhuc comiter revereantur. Intercedunt quidem Fœderatis Rebuspublicis non raro controversiæ finium regundorum cum Episcopo Monasteriensi, quæ ante aliquot annos bello diremptæ. Pace verò nunc iterum stabilitâ dent operam Imperii Proceres, ne Respublica ab illâ parte detrimenti quid inposterum capiat. Fatendum porrò est securitati finium Imperii circa Belgium Fœderatum non parum fore consultum, si jure præsidii Batavorum cessante, *Resa*, *Emricum*, *Bercka ad Rhenum*, *Lierorta* & alia loca Principibus Imperii restituerentur. Sed quis impensas à Belgis prætensas persolvet? Dn. *Brüggeman* (de scopo Reip. Germ. p. 66.) tale judicium de Belgis Fæderatis fert: *Belgis Fæderatis facultas non est, imò nec voluntas in Germaniam aliquid moliendi. Nam nec ipsi ad militiam terrestrem idonei satis, aquatiles animantes, & utut pecuniâ haudquaquam destituti sint, libertati tamen ipsorum haud consultum est, numerosum terrâ alere exercitum. Igitur & illi contenti erunt, Germanos non repetere urbes, quas ipsi, metuentes contra Hispanos suis finibus, præsidiis insederunt.* Hæc ille & nos cum illo. Quomodo nuper Belgæ cum Sereniß. Electore Brandeburgensi & Episcopo Monasteriensi convenerint ex Diario Europæo & aliis actis publicis peti poterit. Sum-

mopere verò Imperii intereſt, ut civitas muniſſima *Embden* Imperio noſtro amica & fidelis permaneat. In Receſſu Imperii de an. 1603. §. *und demnach.* dicitur: *Embden hat vom Reich zuden unirten Staden ſeinen Abſprung genommen.* Quod tamen hodie aliter ſe habere exiſtimaverim, præſertim quum civitas illa an. 1663. menſ. Novemb. Sereniſſ. Friſiæ Orientalis Principi Dn. *Georgio Chriſtiano* homagium, licet intra anguſtos adeo limites, præſtiterit.

X. De Helvetiis porrò non eſt, quod Imperium noſtrum ſibi metuat. His enim religio hactenus fuit ἀχαριϛίας crimen pro ſummo libertatis pretio adverſus Imperium, piam illam matrem, admittere. Hinc Imperatoriam majeſtatem adeò reverenter colunt, ut ab Imperatore Ferdinando I. libertatis acceptæ beneficium ſibi confirmari popoſcerint. (*Goldaſt.* de Regn. Bohem. l. 4. c. 8. n. 6. in not. ad fin.) Præterea fideliſſimi Suizeri quum pro ratione ſtatus habeant tueri potius, quam promovere fines, & non tam ſuis montibus, quam votorum modo ſe circumſepire, non eſt quod Germania, communis illorum patria, ſiniſtram opinionem de fortiſſimâ illâ natione concipiat. Imo terror armorum Helveticorum hodie unicè in cauſa eſt, quò minus Rex Galliæ arma ſua, ad invidiam uſque feliciſſima in Burgundiæ Comitatum, perpetuo Suizerorum patrocinio ſecurum, expediat. (Confer. *Burgoldenſ.* ad Inſtrum. Pac. part. 2. Diſc. 20.) Hactenus de

Securitas finium verſus Helvetianos.

vicinis Germaniæ versus Occidentem.

Fines Germaniæ circa Hungariam an sint securi.

X I. Quod si ad Orientem oculos reflecto occurrit ibi vicinum *Hungariæ* regnum, à quo Germania nostra non nisi certissimam securitatem sibi promittere potest, quum hodierni Imperatores sint ipsi Reges Hungariæ, regnique illius reliquiæ non nisi auxiliis Germanorum possint esse salvæ: Vtinam modò Imperiò nostro non nimium propinqua esset, ac cervicibus nostris haut immineret Cadmeo semine prognata Turcica Natio, immanitate ac feritate verè barbara, cujus gentis immanissimæ ferociam Germani nostri in Hungaria extra limites suos retundere, atque ita machinam in nostros muros fabricatam, infringere aut potius retardare necessum habent. Eò jam adscendit trucis illius hostis immanis audacia, ut jam superiori seculo an. 1529. Viennam Austriorum exercitu tercentum hominum millibus ita circumsederit, ut ex edita S. Stephani pyramide, unde longissimè prospectus patet, humanis oculis acies exercitus magnitudinem metiri nequiverit. Proinde fortunæ Imperii nostri non immeritò hodie in eo creduntur esse sitæ, ut propugnacula in Hungaria v. g. *Iavarinum*, *Comorra* &c. summâ & exactissimâ diligentiâ custodiantur. Annibal enim est ante portas, & qui Annibale centuplici vice sævior atque truculentior existit. In nuperrimo bello nos Germani in pugnâ ad S. Godehardum egregiè quidem rem gessimus verum Neosolum (*Neuheusel*)

Interesse Imperii circa limites Hungariæ hodiernos.

antemurale illud Posonienſe rurſus amiſimus. Forgatſchii ne Comitis an verò Locatelli culpa tam infeliciter res noſtræ iverint, meum non eſt diſquirere. Quidam tamen ſatyricè hunc tali verſiculo perſtrinxit:

Aula Locatellum in ſuâ ſede locavit
Si male defendit culpa locantis erit.

Sed quid immoror præteritis calamitatibus? ſumma inpoſterum cautio erit, ut amiſſa aliis munimentis exſtructis reſarciamus. Lætentur ergo Germani quod Sacratiſſimus noſter Imperator Leopoldus *conſilio & felici induſtriâ* jam tum providerit ſecuritati noſtrorum finium, & duo propugnacula alterum in Hungaria inter *Schinde & Freyſtatt:* alterum in Croatia prope *Lenti* fundari fecerit. Adverſus tantum hoſtem ut Germania noſtra feliciter ſubſiſtere poſſit, exterorum Regum ac Procerum auxilia arceſſere inprimis neceſſarium eſt. Quanti Imperii noſtri interfuerit in noviſſimo bello Turcico Gallorum copias præſto noſtris adfuiſſe prælium ad S.Gotthardum ſatis abunde teſtatur, in quo magni momenti victoria Gallicanis auxiliis accepta à plurimis fertur. Proinde ſi barbarus ille iterum, more hactenus ſolenni, Hungariæ Germaniæque oppida bello quatere (quod Deus Clementer avertat!) incipiet, imprimis è re noſtra erit Hollandorum opes & Gallorum, Suecorum, Danorum ac Helvetiorum copias in ſocietatem formidoloſiſſimi belli attrahere. *Et neſcimus adhuc* exclamat Dn. à *Buſbeck* Comi-

Intereſſe Germaniæ tempore belli Turcici.

nio Flandrus, *quo versemur in periculo! quod mare, qui montes, quæ solitudines, aut qui populi in medio relicti, quorum præsidio nos ab horum injuria tutos fore speremus? Amissa prostrata omnia. Hærent in cervicibus nostris, quos procul perhorrescere debebamus*: Certè quod olim Assyrii & Babylonii fuerunt Israëlitis; id hodie Ottomannorum feralis furor est Christianis, qui nunc non tantum ad perdendum Imperium, sed etiam universum Christianum Orbem subjugandum dirum in modum grassatur. Omnipotens ac æterne Deus, nos ardentissimis precibus te invocamus, ut ensem illum quem per Turcam super Germaniam distrinxisti, recondas iterum in vaginam, imò frangas, omniaque quæ nobis ab Oriente imminent mala potenti dextra avertas. Annue Rex Regum?

An securitati finium versus Poloniam satis consultum sit.

XII. Porrò in Oriente Germania quoque Regnum & Rempubl. *Poloniæ* contingit. Quum vero Regnum illud ob exlegem ac nimis luxuriantem libertatem Procerum ferè in anarchiam & scopas tantum non dissolutas abierit, fines Germaniæ modernæ ab ea parte non infestabuntur. Imprimis verò Imperio nostro omnibus numeris bene stabilito atque confirmato, ad consilium omnino

Interesse finium Imperii versus Poloniam.

referendum erit, quomodo Masovia, & Æstyorum gentes, Prussi inquam & Livoni, nobiles profecto Imperii Germanici portiones, quas Poloni injuria sibi jam vindicarunt; [illegible], si non aliter, [illegible]

repetantur. Et quamvis Borussia Ducalis, durante Electorali Brandeburgica familià nunc ad tempus Germanici juris videatur, & antehac Domini Electores investituris Polonicis solennem protestationem jura Imperii in Prussiam conservantem semper præmiserint, tamen Poloni protestationibus illis insuper habitis hactenus provincias illas Imperii, maximam partem adhuc detinent. *Parum sanè proficiunt nostri Doctores alienatas ditiones etiamnum ad Imperium pertinere ebuccinantes. Recuperatio enim non legibus armatis, sed armis decoratis demandanda videtur.* (*Knichen.* in Velit. Apologet. n. 52.)

XIII. Si nunc porrò eamus ad meridiem, ibi occurrit Italia, Autoris nostri ficta patria, quæ viris & opibus Germaniæ impar, & in plures discerpta particulas ad vim nostris finibus inferendam parum instructa. Imò Itali sibi gaudent, quod, Aquilinis Alpibus tuti Imperatores nostri plurima jura ipsis competentia, hodie verò aut planè intermortua aut animam agentia, recuperatum haut eant. Imprimis autem Germani nostri sibi metuere debent à Pontificibus Romanis, qui semper ab initio conditi Pap-Imperii sui nihil non egerunt, ut Germaniam nostram Imperatoresque nostros miris modis vexarent, eorumque Majestatem ad incitas quasi redigerent. (*Vide Laurentij Banck* Tract. de Tyrannide Papæ, *Petri Molinæi* elegantissimum Tr. de Pontifice Romano Dn. *Conringium* de Germanorum Imperio Romano &

Securitas finium Germaniæ versus Italiam.

Interest Imperij providere ne Papa Germaniæ sanies oculatus ne saevis mihi suis molitionibus infestet.

de Finib. Imperii qui violentum illud ſceptrum in Babylone penitius ſcrutati ſunt.) Non enim latere poteſt ipſos Papas patrimonium illud, quod fictitio titulo S. Petri vocant, ex ruinis atque exuviis occidentalis Imperii per varias calliditates atque machinationes eſſe exſtructum. Quum itaque nullo juſto ac idoneo titulo, ſed malâ fide & in fraudem Imperii noſtri in S. Angeli caſtello eique annexis hodie ſedeant,& per affectatam ſacerrimam ac myſticam tyrannidem,à Ioanne Apocalypta depictam, latè adhuc dominentur, & in animis multorum potentes exiſtant, hinc omnem moverunt lapidem per fideles & dilectos ſuos Palatinos,id eſt, Epiſcopos, Sacerdotes & cuculligeros Monachos, ut Germania ſuis viribus per inteſtina bella caderet, & tantum non funditus everteretur. Dum itaque hac ratione diviſâ Germaniâ horribile illud Imperium Eccleſiaſticum Paparum,in immenſum excreſceret,Germanorum Regnum eorumque Imperium Romanum (ſcilicet in Vrbem Romam, Papam & Patrimonium Sanctum Petrinum, quod vocant. Vid. Dn. *Conringy* Tr. de Germanor. Imperio Rom.) corruit, ac fractâ illorum potentiâ præſertim poſt tempora Friderici II. Polonia & aliæ ditiones ab Imperio noſtro divortium fecerunt. Similiter Reges Daniæ inſtinctu Papæ ab Imperio ſeceſſerunt.atque an. 1166. ad Comitia Herbipolenſia vocati, neque per ſe neque per Legatos comparuerunt. (*Goldaſt. in der Vorrede der Reichs Sazungen.*

Papa finibus Imperii multũ nocuit.

Sazungen. Dn. *Limn.* l. 1. de I. P. c. 9. n. 28. Quod Fœderatum Belgium hodie ab Imperio Germanico ſit liberum nec amplius Comitiis interſit, quid effecit aliud niſi Hiſpanica inquiſitio in favorem & gratiam Romani Antichriſti ſuſcepta? quamvis & privilegiorum violatio magnum pondus huic mutationi addiderit, vt videre eſt apud *Famianum Stradam*, Belgij Tacitum, *Thuanum*, *Meteranum*, *Eberardum à Reid*, *Leonem ab Aitzema*, *Sandium*, *Grotium* & alios. Quod porrò ſuperiori ſeculo *Mez*, *Tull & Verdun* ab Henrico II. R. Galliæ ſint occupata nemo niſi Vaticanus ille Iupiter in cauſa eſt. Quum enim inſtinctu Papæ Carolus V. Imp. adverſus Proteſtantes inſurgeret, Rex Galliæ ob Politicum reſpectum (ſcil: ad retundendam Hiſpanorum potentiam, qui religionis Romanæ mantello cupiditates ſuas velabant) Proteſtantibus accedens tres illos Germaniæ Epiſcopatus occupavit, atque hodie per pacta Pacis Monaſterienſis quiete poſſidet. Quod præterito Bello Germanico Sueci & Galli ſeſe immiſcuerint, & Pace reſtabilita nobiliſſimas provincias, devictæ Germaniæ ſpolia opima, reportarint cauſa nulla alia reddi poteſt, quam quòd inſtinctu Papæ, & Cleri ſui Ferdinandus II. Imperator an. 1629. Edictum de reſtituendis Bonis Eccleſiaſticis ſic ſatis pro imperio promulgaret & puriſſimæ puritatis Evangelicam Chriſtianam doctrinam paſſim profligaret ac perſequeretur; læto ad hæc omnia Romano

Papa, ſibique in ſinu ſuo impudico ac Babylonico mirificè gaudente. Quin & in tantum ſacerrimæ illius tyrannidis furor atque procella deſæviit, ut inſolenti facinore Pacem Germaniæ an. 1648. Monaſterii in Vveſtphaliâ ſancitam horribili Bulla proſcriberet (Vid. Dn. *Hermanni Conringii* notas ad Bull. Innocentii X.) eamque in Comitiis Ratisbonenſibus an. 1653. 54. per Legatum reſcindi atque annullari poſtularet. Adeò horrenda mala Germaniæ noſtræ luctuoſæ ſemper immiſit ille Chimæricus atq; fictitius Chriſti Domini noſtri in terris Vicarius, ſive, ut verius dicam, Antichriſtus Romanus. Caveant proinde ſedulo Imperator & Imperii Status ne Romanus ille Præſul, quem tanquam ſerpentem in ſinu ſuo Romano-Catholici hactenus cum ingenti Reip. detrimento fovent, falcem in Romano-Germanici Imperii meſſem immittat, noſtriſque gladiis nos iterum jugulet. Dent porrò operam Imperator & Imperii Proceres, ut titulum regni Italici cum re ipſa poſtliminio reducant, ipſamque vim ac poteſtatem tituli Imperatorii in urbem Romam, Papam ac Patrimonium Divi Petri ſibi rurſus vindicent, & ita triplicem illam famoſiſſimam coronationem, olim ſolenniter celebratam, in bonum uſum ac viridem obſervantiam reducant. Sic demum verum ac genuinum Imperii decus & robur, quod nunc debilitatum ac prope extinctum, proh dolor jacet, ab interitu liberabitur & ex Orco atque tenebris

Intereſſe Imperij circa ſedem Romanam ac reliqua Italiæ inja.

Cimmeriis in lucem reducetur. Dn. *Hermanni Conringij*, Viri de patriâ nostra omnium optimè meriti felicissima penna hæc omnia erudito orbi jam tum satis patefecit, ut calamo illius potentes dextræ Imperii Procerum tandem accedant omnino pium jus ac decorum fas, legibus Divinis atque humanis subnixum, suadet imò flagitat. (Conf. *Burgoldens.* ad Instr. Pac. part. 1. Disc. 4. & 5. in tot.) *Coite solum Viri Principes & trepidabunt vires vestras exteri, quibus ob intestinas liticulas vilescere cœpistis. Tollite Thusca illa jurgia & videbitis neque terrarum orbem, neque cunctas gentes conglobatas movere ac contundere hoc Imperium posse*, ut gravissimè olim antiqua virtute & fide Germanus monuit.

XIV. Eamus nunc porrò ab Austro versus Septentrionem ubi Germania nostra duas potentissimas Coronas habet affines nempe Danicam atque Suecicam. Et quidem quod *Regnum Sueciæ* attinet, illud non longo abhinc tempore Germaniæ nostræ haut adeò extitit formidabile; hodie verò variis potentiæ rivulis è Germania, Daniâ atque Poloniâ in illud confluxis non modò Germanici Principes, Suecum vicinum habentes, verùm etiam Reges Daniæ atque Poloniæ in multis sepibus atque aggeribus extruendis sunt occupati, ne ex illa Suecorum nimium increscenti potentiâ aliquid detrimenti capiant. Credibile tamen est Suecos, exuviis Germanorum auctos, quum ratione cessarum in Imperio provinciarum per *art.* 10. *Instr. Pac.*

Securitas finiū versus Sueciam.

Stationem ac jura civitatis in noſtra Repub. occupent, boniquc Imperii cives præſentem ſtatum Vveſtphalicâ Pace confirmatum minimè everſum cupiant, illos cum reliquis Imperii Proceribus auream mediocritatem in ampliandis finibus unicè caram habituros, illoque quod per tranſactionem Monaſterienſem ipſis admenſum eſt impoſterum fore contentos, quamvis nonnulli ex ancipiti negotio Bremenſis Civitatis contrarium augurari velint. Cæterum quum non ita pridem, armamentis quieſcere juſſis, res atramento & tramitibus legitimis rurſus commiſſa ſit, meliora nunc quidem ſperamus omnes, & ſeriò optamus, ut, quoniam Galli, illorum occulti æmuli, Imperii viſcera porrò armis ſuis ſcrutari non deſiſtunt, cum reliquis Germanis fines Imperii fortiter tutentur, Gallorumque ſuſpectæ ac inviſæ potentiæ, in altum nimis ſurgenti, terminos præfigant atque obicem ponant. Sic enim temperium Germanicum bene obſervabunt, & cum Gallis in æquilibrio conſiſtere porrò poterunt.

Securitas finium Germaniæ versus Danam.

XV. Eſt porrò verſus Septentrionem Imperio Germanico vicinum Daniæ Regnum, à quo planè hodie nil metuendum habet noſtra Germania. Superiori Seculo Dani & Norvvegi Carolo V. Imp. reſponderunt: *Se non Cæſari ſed Imperio fidos eſſe, quod ſi Cæſar contra Imperium machinaturus ſit; pro virili nixuros, ut antiqua libertas defendatur.* (*Limnæ.* l. 1. I. P. c. 9. n. 29.) Fidos etiam Imperio fuiſſe Danos monet *Gol-*

dast. (Tom 3. Const. Imper. in præfat.) eo tamen hactenus ingenio, ut liberi fuerint amici, non verò coacti. Quid non præterito tricennali bello pro libertate Circuli Saxonici præstitit Christianus IV. Regni Danici immortalis Heros? quem tot adversa non potuerunt frangere, eoque adducere, ut animum defendendi Germanicam libertatem deponeret. Hic gloriosissimus Rex inter partes in Imperio belligerantes post an. 1629. medius nihil prius atque antiquius habuit, quam ut dissidentium animos tandem ad pacem inclinaret, quæ etiam hujus fortissimi Regis felici cura Monasterii in Westphalia feliciter an. 1648. confecta. Ab hodierno verò Potentissimo, Serenissimo ac Augustissimo Rege *Friderico* III. Principe in tantum laudando in quantum virtus & felicitas intelligi potest, Respublica nostra omnia optima sibi ominari ac fidam securitatem polliceri potest, quum non uno vinculo aliquot Imperii Principibus arctè ac benevolè conjunctus, quin & toti adeò Imperio sincero ac pio affectu sit devinctus. Concludo nunc Discursum de Finibus Germaniæ, &, quum hodie pro malis temporum, is egregiè de finibus disputet, qui gladium in manu tenet, ac vibrat, votis non fictis opto, ut Imperator & Imperii Proceres repetitionem Imperii limitum, per injuriam ab aliis infessorum, non legibus armatis, sed armis decoratis repetant, & inprimis Papali ac Turcicæ tyrannidi se fortiter conjunctis vi-

ribus inposterum opponant. Quod Deus faxit.

DISCVRSVS III.

De Populis & Regimine Civitatum veteris Germaniæ.

I. EXcellentissimus noster Autor postquam in brevi quasi tabellâ Germaniæ limites nobis ostendit, nunc porrò §. 2. c. 1. egregiè Respublicas sive vitas civitatum apud priscos Germanos per Laconismum, more suo, nobis ob oculos ponit. Res à primâ origine sic se habet:

Populi præcipui veteru Germaniæ. II. Quod priscos Germaniæ populos attinet quorum Autor hic mentionem facit, illi à Plinio (l. 4. c. 14.) in quinque genera dividuntur: sc. in Vindilos, Ingævones, Istævones, Hermiones sive Herminones (uti à Tacito vocantur) & Peucinos, qui & Bastarnæ dicuntur; à quibus rursus subdivisio varia Germaniæ populorum originem, & fundamentum trahit. *Istævones* consederunt olim versus Occidentem, Bastarnæ versus Orientem, Ingævones versus Septentrionem, Hermiones autem versus Meridiem, inter quos medium Germaniæ orbem inhabitarunt Vindili. Sub Vindilis (quos Tacitus Vandalios, alii Vandalos vocant) comprehensæ hæ nationes. (1.) *Gothones* sive Go-

Gothi. thi (*die Gothen*) qui Vistulæ infimam partem

ſedem habuerunt, ubi hodie Pomerellia (2.) *Carini* eâ Pomeraniæ parte ubi hodie *Stölpe*, *Colberg*, *Cörlin*, *Camin*. (3.) *Lemovii*, eâ pars Pomeraniæ, in qua *Stetin*, *Uſedom*, *Wolgaſt*, & *Gripſvvaldia*. (4.) *Rugii*, antiquitus circa *Rege* fl. Pomeraniæ, & oppidum *Regenvvolde*, dein in inſulam tranſgreſſi, quæ etiam nunc Rugia dicitur, & per Inſtrum. Pac. art. 10. nomine Principatus ad Suecos pervenit. (5.) *Varini* Varni ſive *Vverini* in Mecklemb: Ducatu circa fl. Warnam, qui Roſtochium præterfluens circa Warnemundam ſe Mari Balthico miſcet. (6.) *Angili* ſive Anglii reliqua Meckelburgenſis agri pars ad Lubecam uſque, Hi Anglo-Saxones una cum aliis mare Balthicum (quod inde & Suevicum dicitur) accolentes originis fuere Suevicæ; quia vero ſub Saxonum patrocinio vixerunt, à potiori parte dicti ſunt Saxones, indeque ad differentiam iſtam notandam Anglo-Saxones, qui poſtea cum vicinis & fæderatis ad Rheni oſtia perrexere, indeque in Britanniam acciti Britanniæ meridionali nomen Angliæ pepererunt. (7.) *Eudoſes* (8.) *Suardones* quos Dn. Conring. (in not. ad Tacit. Germ.) rectius Suartones, quaſi dicas Nigros, *die Schvvarten*, appellari cenſet (9.) *Nuitones* quos itidem Dn. *Conring*. l. c. Vithones rectius nominat, quaſi dicas Albos, *die Vvitten*. (10.) *Sedini* pars Mecklenburgenſis agri, Pomeraniæ Marchiæque proxima, qui quatuor populi dein conjungentes vires, ſolumque patrium ver-

Carini. *Lemovii.* *Rugii.* *Varini.* *Angli ſive Angeli.* *Vanl.*

[illegible]tes proprie Vandali (quasi dicas *Vvandeler vom Vvandern*) nominati Galliamque, Hispaniam ac Siciliam pervagantes, tandem in Africa regnum fundarunt, quod rursus à Iustiniano Imp. (qui in ejus rei memoriam se Vandalicum vocat) seculo VI. destructum. In locum autem migrantium Vandalorum postea in ea germaniæ parte (nempe *Pommeren & Meckleuburg*) successerunt *Venedi* Heneti sive Sclavi, qui postea per errorem, respectu ad priscos incolas habito, quoque appellati sunt Vandali. (11.) *Deuringi* Toringi sive Turingi (*der Thuringer Voreltern*) in Marchia circa oppida *Havelberg.* & *Rapin*, qui postea Albim transeuntes ibi consederunt, ubi est hodie Thuringia; quamquam *Bechererus* (in Chron. Thuring. p. 6.) & alii aliter sentiant. (12.) *Longobardi* in Marchia media vulgo nunc *Mittelmarch* inter Albim & Viadrum, Hinc Zeillerus ex monumentis Germanicis deducit, districtum illum ad Albim, ubi hodie situm est Magdeburgum ab antiquo appellari *die LangeBorde* (*Borde* est idem quod regio sive circulus) & incolas *die Langen Border*, quorum pars circa A. C. 409. cum Rege suo Vlrico (*Alrich*) Italiam intrantes Romam depopulati sunt; pars verò remanens in solo patrio remansit circa an. verò 568. Duce Alboino Rege per Hungariam in Italiam progressi regnum Longobardicum condiderunt, cui postea Carolus M. devicto ultimo eorum Rege Desiderio finem imposuit. Pars illa in

[illegible]

[illegible]

Longobardi.

qua regnum hoc radices egit adhuc hodie dicitur *die Lombardey* ubi hodie est Mediolanensis Ducatus. Omnis autem ille tractus, quem olim victricibus armis sibi Longobardi in Italia subjecerunt à Carolo M. postea titulo regni Italiæ insignitus, ut accuratè & fusius exponit Dn. *Conring.* (in Tr. de Germanor. Imper. Rom. & Tr. de Finib. Imper.) [13.] *Semnones* in portionibus Marchiæ, Misniæ, Lusatiæ, Silesiæ atque Poloniæ inter Albim & Wartam, quæ prope Custrinum se Viadro miscet [*an der Elb umb Dresden, gegen der Lausniz und Böhmen*] [14.] *Burgundiones* in partibus Cassubiæ ac Poloniæ, inter Gothones ac Semnones. Tantum de Istævonibus. *Semnones* *Burgundiones.*

III. Altera gens principalis priscorum Germanorum fuere Ingævones, quam vocem nonnulli perperam imitantur *In Woner* & *Wesivvoner*, quasi a situ incolentium vocabula illa sint nata. Disertè enim à Tacito dicitur à trium filiorum Manni nominibus illa Germanicarum gentium orta cognomenta; & alios dictos Herminones, quæ vox planè nihil habet commune cum situ. (Vid. Dn. *Conring.* in not. Critic. ad Tacit. de M. G.) Istævones igitur dicuntur à filio Manni *Istaff* (vel ut hodie scribitur *Gustaff*) Ingævones à filio Manni *Ingaff*, Herminones à tertio Manni filio *Hermin.* Istævonum populi fuere hi. (1.) *Chauci*, qui inter Amasis Albisque ostia utramque accoluerunt Visurgis ripam supra Bremam civitatem Impe- *Chauci.*

rialem, deinde usque Mindam, qua Chattis jungebantur. (2.) Fosi, quos Tacitus ita appellat, & à reliquis Scriptoribus vocantur
Saxones. *Saxones* qui olim Holsatiam usque ad Cimbricam Chersonesum incoluerunt; postea verò omnem oram maritimam occuparunt ab Albi ad Rheni usque ostia, unde cum Anglis in Britanniam secesserunt. Veteris itaque Saxoniæ limites fuerunt versus Occidentem Amasis *die Ems*, versus Orientem Albis, versus Meridiem Bohemia & Franconia, versus Septentrionem autem Dania & Venedorum (*Uvenden*) districtus. Divisi fuerunt per Visurgim fluvium in Ostphalos Westphalos & Angrivarios (*Ost und Uvest-Sachsen sambt den Engerern*) Westphalorum & Angrivariorum nomen adhuc hodie durat; Ostphali verò hodie vocantur simpli-
Cimbri. citer *Saxen.* (3.) *Cimbri*, qui omnem eam tenuerunt peninsulam, quæ nunc ab antiqui nominis Iütarum gente Iütia appellatur. Hi fuerunt è priscis Germaniæ populis primi qui terrorem armorum suorum in exterorum
Teutones. terris circumtulerunt. (4.) Teutoni sive *Teutones*, qui Danicas insulas incoluerunt, quarum maxima hodie dicitur Seelandia, in qua *Coppenhagen* totius Daniæ compendium, Teutones se vocarunt Danos à Dan, quæ
Sueones. vox Deum significavit, (5.) *Sueones* qui hodie dicuntur *SWeden* Horum nonnulli dicti *Scandii*, eorumque terra Scandia & Scandinavia, hodie *Sconen* Alii *Helleviones* in Hallandia, quæ olim Danici nunc verò Suecici

juris est. Alii Guti in Guthlandia, quæ per errorem vulgo dicitur Gothlandia alii Firæsi & Lappiones in Lapponia (6.) *Sitones*, qui postea dicti Nordmanni, nunc Norvvegii. (7.) Marchiofinni (*Marchfennen*) in Finnomarchia (*Finnmarck*) & Scritofinni (vulgo *Scritfinnen.*) *Sitones.* *Finni.*

IV. Tertia principalis gens priscorum Germanorum fuere Istævones Rheno Proximi. Horum nationes extitere (1.) Frisii, qui olim omnem ferè tractum, quo hodie Fœderatum Belgium circumscribitur, in Germania possederunt. Hodie Frisia constituit peculiare membrum in Belgio Fœderato & dispescitur in *Wester Ostergovv* in qua *Franeker*, *Sneck*, *Stavern LeWarden*, *Doceum* &c.) & *Sevenvvolden.* Frisia autem à Lavicâ fluvio usque ad Amasim hodie dicitur Groningensis Provincia, quæ dividitur in Civitatem ejus nominis & Ommelandiam. Est & hodie Frisia Orientalis, quæ adhuc ad Imperium Germanicum pertinet. (2.) *Bructeri* qui olim eam partem nemoris Hercinii incoluerunt, quæ nunc dicitur Sylva Hesperia (*Uvestervvald*) ad quam pertinet magna pars Ducatus Montensis, & Comitatus *Isenburg*, *Wied*, *Sain*, *Freusperg*, *cum arce Vroneck.* Marquardus *Freherus* (part. 2. Orig. Palat. c. 7.) scribit Bructeros sive Burcturos à multitudine Burgorum ita à Romanis fuisse appellatos, apud quem plura egregia circa hanc rem videri possunt. (3.) *Angrivarii* Bructeris proximi, qui primum *Bructeri.* *Angrivarij.*

inter Amasim & Visurgim amnes, ubi est oppidum *Minden* coluerunt. (4.) *Chamavi*, qui supra Angrivarios inter Amasin & Loam flumen, quod Amasi paullo supra Emdam miscetur, consederunt (5.) *Ansibarii* qui tenuerunt inter Visurgim & lacum *Dommel*, apud quem oppidum Diepholt. [6.] *Dulgibini* qui tenuerunt inter Paterbornam & Visurgim, qua *Flote* oppidum ei oppositum. In his Quintilius Varus cum tribus legionibus cæsus ab Arminio Cheruscorū Duce, inter oppida *Dietmelle* & *Horn*. [7.] *Chassuarii*, inter Paterbornam & Visurgim, quà ei oppidum *Hoxter* impositum; pars quondam fuere Cattorum. [8.] *Marsi*, qui antequam Drusiana fossa [quæ est in Geldria inter Arnheimum & Düsburgum] facta est, Superiorem Velaviam & Zutphaniensis Comitatus partem incoluerunt. Fossâ autem factâ, pars eorum intra Rheni divortia inclusi novo nomine Marsatiorum appellati, pars autem veteri nomine servato inter Amasim & Lippiam amnes, oppidumque *Dulmen* concesserunt. (9.) *Tubantes* qui quondam ad superiorem Amasis partem habitarunt. (10.) *Sicambri* qui Rheni ripam tenuerunt à Colonia Agrippinâ ad Rheni usq; divortium; ab Oriente verò usque ad Cattos circa fontes Lippiæ & oppidum *Medebach*. Ad hos pertinuit urbs Asciburgium, (hodie *Aßburg*) vicus prope *Mörß* in viâ, quâ Novesio Santam itur. Hi postea à Tiberio in Galliam transportati, ubi inter Mosam &

Chamavi. *Ansibarij.* *Dulgibini* *Chattuarij* *Marsi.* *Tubantes.* *Sicambri.*

Rhenum *Gugerni* dicti. (11.) *Vsipij* sive Vsipetes, qui portionem agri Sicambrorum ad Rheni divortia tenuerunt. (12.) *Tencteri* qui agrum Sicambrorum prope Coloniam occuparunt. (13.) *Vbij* Coloniensium majores, qui in Germania Rheni Mænique dextras ripas tenuere ad Coloniam usque, ab Oriente Cattis contermini. (14.) *Iuhones* & (15.) *Mattiaci*, qui Vbiorum agros occuparunt. Horum fuit superior Rheni ripa & Nassoviensis Comitatus, cum Vvetteraviâ & Hassiæ parte, ubi nunc est *Marpurg*. Iuhones verò inferiorem Rheni ripam tenuerunt cum Westervvaldia. *Vsipij.* *Tencteri.* *Vbij.* *Iuhones & Mattiaci*

V. Inter primarias veterum Germanorum gentes quartum locum occupant Hermincos sive Herminones qui versus meridiem ad Danubij usque ripam habitarunt. Inhorum numero sunt: (1.) *Hermunduri*, priscorum Suevorum pars, quorum nunc etiam posteritas durat in regione quæ dicitur *Svvaben*. Hi quondam in Superiori Saxonia, Misnia, Vogtlandia & ulterius habitarun, tandem verò Harudes, qui in Bohemiam transgressi, secuti usque ad fontes Danubii & Lacum Acronicum Harudum agros occuparunt (*Bodensee*) & ita Sueviæ hodiernæ nomen dederunt. Aliàs Suevia antiquissimis temporibus erat quicquid ab Occidente Bojohæmicis montibus, Salâ, Albi & Travâ amnibus, sinu Codano, ac mox mari Germanico; à Septentrionibus mari glaciali; ab Oriente sinu Albo, sinu Botnico, mari Codano & Vistula *Hermunduri.*

Maraque, à meridie Danubio includebatur. Dicti Suevi à fluvio Suevo [hodie Viadrus *Oder*] mareque Balthicum dictum ab iis Suevicum. [2.] *Narisci*, Hermundurorum vicini, qui inter Bohemiæ Occidentale latus & Danubium lineamque à Mœni fontibus ad Ingolstadium ductam (ubi nunc est *die Obere Pfaltz*) tenuerunt. (3.) *Catti* in illo tractu qui nunc Hassia dicitur, infensissimi olim Romanorum hostes. (4.) *Cherusci*, quorum agros hodie Brunsvicenses & Lyneburgenses Duces tenent. Horum Dux Arminius nobilem de Quintilio Varo victoriam reportavit, tu ex annalibus Romanorum constat. (5.) *Marcomanni*, qui, antequam Duce Maroboduo cum Sedusiis & Harudibus in Bohemiam sub Augusto Cæsare migrarent, fines habuerunt inter Rhenum, Danubium, Cocharum, Nicrum & Mœnum , ubi hodie est Ducatus Wurtembergicus. (6.) *Quadi* pars Suevorum qui antiquitus inter Bojohæmum, Danubium & Maram flumen incoluerunt, dein verò in Polonia, Silesia, Austria & Hungaria sedes quæsiverunt. (7.) *Osii*, qui Moraviæ ac Silesiæ partes coluere inter oppida *Ostram* & *Osvvieczüm*, quorum hoc Vistulæ, illud Maræ fl. impositum. [8.] *Marsigni* finitimi Semnonibus, inter Viadrum & Bohemiam. [9.] *Bury*, qui inter Wartam & Viadrum sedes fixerunt. [10.] *Gothini*, Silesiæ partem inter Maræ Wartæque fluminum fontes colentes. [11.] *Lugy*, qui inter Wartam & Vistulam, Poloniæ partem tenuere ad oppidum usque Vladislaum, Vistulæ appositum.

Narisci. *Catti.* *Cherusci.* *Marcomanni.* *Quadi.* *Osii.* *Marsigni.* *Burii.* *Gothini.* *Lugii.*

VI. Quinta & ultima primaria natio priſcorum Germanorum ſunt Peucini ſive Baſtarnæ, qui quondam omnem tractum à Viſtulæ dextrâ ripa ad oſtia uſque Iſtri incoluere. Diviſi fuerunt in Burgiones, Carpianos, Armonos, Sidonas, Baronos &c. Hiſce quinque primariis Germaniæ populis Ingævonibus, Iſtævonibus, Herminonibus, Vindilis atque Baſtarnis poſſunt addi *Æſtij*, qui inter Ingævones Baſtarnaſque medij Livoniam Pruſſiamque inhabitarunt. *Æſtii.*

VII. Ex hactenus dictis apparet Germaniam olim non in unam Rempubl. & civitatem coaluiſſe, ſed ferè quot populos, totidem diverſas civitates ac Reſpubl. extitiſſe. Si formam regiminis ſpectes Reſpublicæ illæ non multùm inter ſeſe fuere diverſæ, nullam παμβασιλείαν, ſed omnes propemodum, ſi non omnino, magna tamē ex parte, populare regimen repræſentantes, quod ipſum vel ex unico Taciti *de Morib. Germ.* libello non poteſt non eſſe manifeſtum, quem etiam Nobiliſſ. Autor noſter tanquam Evāgeliſtam ſequitur. Quod verò in plerìſque veteris Germaniæ populis ſtatus popularis adeò radices egerit, ac prę reliquis rerumpubl. formis adeò placuerit, in cauſa eſt, quod omnes populi iſti pro fine & ſcopo libertatis conſervationem [quæ in Democratiis prora & puppis eſſe ſolet] ſibi unicè prefixerint, eamque ſtrenuè ac maſcule junctis viribus adverſus Romanos defenderint atque propugnarint. Etenim Tacitus diſertè memorat, quod Arſacis regno acrior

Regimen Politicum apud priſcos Germaniæ populos.

Libertas Germaniæ

fuerit Germanorum libertas. Et quamvis ſub Clodovæo Francorum Rege an. 499. in Germaniam ubi Alemanni habitarunt introducta fuerit ſervitus [Vid. *Cruſium*.p. 1. Ann. Suev. l.8.c.9.]tamen reliqui Germaniæ populi,præcipuè Saxones & Friſii ſtrenuè libertatẽ fuere tutati. Quum verò poſtea armis Francorum Germania in unum corpus fuiſſet redacta,& dein tempore Ottonis M. Ducatus atque Comitatus fierent hereditarii, libertas Germaniæ quæ olim ævo Taciti & ſequentibus temporibus magis popularis & pluribus communis extitit, ſenſim coarctata, in ſingulis provinciis Ducibus & Comitibus accrevit, & ſic ad paucos pervenit. Et ita accipienda ſunt verba Phillippi Haſſiæ Landgravii (apud *Hortleder* de cauſ. Bell. Germ. l. 4. c. 5, fol. 65.] *das die Teutſchen ein freyes, und billich das allerfreyèſte Reich auff aller VVelt haben*. Vt adeò libertas Germaniæ hodie Principibus & Statibus Imperii, qui de hodiernæ Reipub. ſtatu participant, tantum attribui in ſummo gradu poſſit. Quod verò regna Germaniæ ſubalterna ſive Principatus & Comitatus attinet, licet in iis ſtatuum Provincialium [*Landſtände*] ſit aliqua autoritas, non tamen utique tanta, ut eorum voluntas pro ratione & lege ſit. Id quod tamen in nonnullis provinciis Belgio Fæderato vicinis fallit. Apparet hinc mira Metamorphoſis libertatis Germanicæ, Principes olim ſuadendi autoritate tantum, hodie verò jubendi poteſtate præditi ſunt: Olim totus

tus populus de Republ. participabat; hodie ad paucos summa rerum pervenit. Rusticorum sanè conditio in Germania hodie planè servilis apparet, illique amplius non libertatem, sed magna pars eorum justos Dominos amplecti non gravantur, indeque hodie omnes, qui in parvis Germaniæ regnis, sive statuum territoriis, paulo liberioris animi existunt, non in pagis sed in civitatibus vel majoribus vel minoribus, in quibus adhuc umbra & imago pristinæ libertatis Germanicæ apparet, vivere gestiunt. Cæterum etiam istis columbis, adhuc in candidis tectis viventibus, non rarò retia servitutis tenduntur, præsertim ab illis temporibus ex quo juxta horribilia Italiæ secreta & Machiavelli impiam & Christianæ libertati inimicam doctrinam subditi à multis non amplius tondentur, sed deglubuntur, infelici sanè errore, qui multa Germaniæ luctuosæ mala immisit, & porrò immittet, ni felicius sidus miseris hominibus tandem aliquando affulgeat. Libertas itaque Germanica, ratione mediatè Imperio subjectorum, non amplius est facultas sibi vivendi, sed necessitas ipsis imposita alterius gratia operandi, ac vivendi; qui tamen status & conditio satis tolerabilis esset si modo aurea mediocritas illud odiosum *Nimium excedens* corrigeret. Sed de hoc argumento consulatur pluribus Illustris Dn. *Forstnerus* in not. ad Tacit.

VIII. Cæterum ut ad regimen priscorum Germaniæ populorum revertamur,

Status Germaniæ antiqua. constat ex ante dictis, quod prisci Germani inter Rhenum Danubium, Vistulam & sinum Codanum olim liberis Rebuspubl. egerint: Principes tamen plerique suos habuere, quos falso nomine sæpe Reges vocant Romani. *De minoribus rebus olim Principes consultarunt, de majoribus omnes.* [*Tacit.* de M. G. c. 16.] Adeoque ex nobili illo Historico apparet duo tum fuisse in usu conciliorum sive comitiorum genera, alterum *majus* de majoribus rebus: alterum *minus* de minoribus, & huic quidem solos *Principes* interfuisse, illi autem totum populum. Sunt autem Tacito Principes qui in singulis civitatibus jus & judicia dixerunt, pagorum vocabulo veniente id ferè quod nunc Ambactiam [ein Ampt] vicorum verò quod nunc *ein Flecken*, aut *ein Dorff* appellamus. Quos Principes olim præcipuæ fuisse nobilitatis, haud obscurè ex eodem Tacito colligere est. De majoribus verò comitiis videntur omnino accipienda illa ejusdem Taciti: *Ut turba placuit, considunt armati. Mox Rex vel Princeps audiuntur, autoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Si displicuit sententia fremitu adspernantur.* Nimirum *turbæ* voce populus notatur, cui Rex vel Principum aliquis Sententiam suam de negotio jam tum apud suos prætractato proposuit. Et ita penes Principes illos de maximis rebus προβουλία fuit, de minoribus verò integrum arbitrium. [Dn. *Conring.* Dissert. de German. Imper. civib.] *Electi autem sunt* [ut verba Taciti habent]

Senatus veterum Germanorum ut & eorũ magistratus & judicia.

in conciliis Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt: centeni singulis ex plebe comites [Centgraffen] consilium simul & auctoritas adsunt. Quod judicandi potestatem porrò concernit non illa fuit tum temporis apud Principes tantum & nobiles sive Adelingos, etsi hi judiciis præfuerint potissimum; sed ex parte & penes inferiorem plebejorum ordinem, id quod ex verbis Taciti modò adductis clarè patescit. Non fuit autem illâ ætate toti Germaniæ unum aliquod commune judicium, ut pote quæ unam rempubl. tum non obtinuerit, sed singulis populis peculiaria fuere judicia, in quibus constituendis illa forma observata quæ statui ex populari & aristocratico commixto maximé est idonea. *Cæsar* [l. 6. de B. G.] narrat aliam belli tempore aliam in pace fuisse judiciorum rationem. *Cum bellum*, inquit, *Civitas aut illatum defendit aut infert, Magistratus, qui ei bello præsint, ut vitæ necisq; habeant potestatem, deliguntur: In Pace nullus communis est magistratus* (sc. unus homo, qui toti Reip. præfuerit,) *Sed Principes regionum atq; pagorum inter suos jus dicunt.* Cui tamen, quod magistratus illius bellici jus vitæ & necis attinet, Tacitus contradicere videtur. (Vid. Dn. *Conring.* in Dissert. de Iudiciis Germ.) Iudices autem isti ad dignitatem illam pervenerunt per electionem concilij, adeoq; totius Reipubl. autoritate Principes illi judices fuere electi, ut itidem ex Tacito patet. Talis autem judicum constitutio est inter instituta

aristocratica. Namque ipsa electio per meliores instituta aristocraticum quid sapit; ac multò magis si electio fiat non ex omnibus promiscuè, sed ex paucis itidem optimatibus. Quamvis verò penes hosce electos ex primariâ nobilitate fuerint tum præcipuę judiciorum partes; tamen ex primoribus plebis nonnullos etiam Assessores datos, itidem ex loco Taciti supra citato discimus. (Dn. *Conring*. Diss. cit.)

IX. Ex hactenus allatis patet quomodo florentissima priscorum Germanorum libertas democraticè pariter ac aristocraticè fuerit temperata, quale regimen non obscurè quoque deprehenditur in verbis *Cæsaris* (l. 6. de B. G.) *Ubi quis ex Principibus in concilio se dixit ducem fore, qui sequi velint profiteantur: consurgunt ij, qui & causam & hominem probant, suumque auxilium profitentur, atque à multitudine collaudantur.* Quanquam verò populi nonnulli Germanici sub Regibus vixerint, quidam sine Regibus, illis tamen non fuere plena majestatis jura, sed omnis illorum potestas fuit haud alia, quàm olim Regum Lacedæmoniorum, qui solùm Regio gaudebant titulo, & dum vixerunt, bellicis temporibus Ducum, munia obierunt (Vid. *Cluver.* l. 38.) Eligebantur Reges in conciliis: Et quamvis in electionibus regii sanguinis habita fuerit ratio, tamen consensus Populi liber omne punctum in hoc negotio constituit. (*Bert.* l. 2. Rer. Germ. c. 1.) Disertè Tacitus: *Regibus non infinita & libera pote-*

Reges veterũ Germanorum

ſtas; ſed tantùm in conciliis ſuadendi autoritas. Eburonum, gentis Germanicæ cis Rhenanæ, Rex Ambiorix apud *Cæſarem* [l.5. de B. G.] ita loquitur: Sua eſſe imperia ejuſmodi, ut non minus haberet in ſe juris multitudo, quàm ipſe in multitudinem. Hinc *Tacit.* [l. 4. Hiſt.] ſcribit Civilem Batavum, rebellionem dum molliretur, non tantùm primores gentis Batavorum, ſed & promptiſſimos vulgi convocaſſe. De Friſiis cum dixiſſet [l. 14. Ann.] eos à Verrito & Malorige regi, adjecit: *in quantum Germani regnantur.* De Gotthonibus idem [de Mor. Germ.] *Trans Lygios Gothones regnantur, paulò jam addictius, quàm cætera Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem.* De ſolis autem Sueonibus idem ſic loquitur: *Unus imperitat nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Quo oſtendit eos à Germanico ingenio multum abeſſe. Reges autem & Principes illi jure indicendorum comitiorum gaudebant, in quibus autoritate erant præcipui, unde & vocabulum *thi Forſten*, id eſt, *die Forderiſten* originem ſumpſit. Quod ſi verò hujuſmodi Rex aut Princeps munere ſuo non rectè fungebatur, à populo poterat deponi, quod in primis democratiam ſapit. Arminius Cheruſcorum Dux cum in ſuſpicionem affectati dominatus veniret, vita privatus. Maroboduus Suevorum Rex ob ſimilem cauſam in odium populi veniens è regno tandem ejectus. Sanè apud Rugios & Lemovios olim Rex parum à privato diſtabat,

quum singulis liceret in conspectu ejus assidere, una cum illo edere, rixas ciere, & injuriosa dicta proferre. Summa autoritas fuit apud Sacerdotes, quibus permissum à populo animadvertere, vincire, verberare; illique etiam in universalibus conventibus jus coërcendi habuerunt, ut Tacitus autor est. E priscis illis Germanorum regnis nullum hodie superest nisi Sitonum in Norvvegia & Sueonum in Suedia, quæ à Caroli M. temporibus quum is Germaniam totam subigere intenderet à Germanis divortium fecisse videntur. Notabile est, quòd quum Witekindus Saxoniæ Dux à Carolo M. armis infestis peteretur, isque in subsidium palparet Danorum animos, unus è Danorum Proceribus [referente *P. Æmilio*] in hæc verba erupe-rit: *Vvitekindum velle causam suam communis gentium salutis videri, ut perditas suas res cum florentibus Danis misceat, & alienis tegatur armis, qui suis tectus non fuerit: nec eum aliter loqui debuisse, qui calamitatis socium solatiumque petat, cum remedium non inveniat. Danorum aliam causam esse: nec oportere eos aliâ re quàm miseratione exilium Vvitekindi prosequi. Scio præsentem* [*ait*] *objici prædam, sed illa hamata est: quâ qui pasti sint, mox ipsi prædæ sint. Nunquam Francia tam milite vacua est, ut non viris, equis, armis, telis sit ab externa vi munita. Citius ex terrâ edentur armati, ac lapides animabuntur, quàm juventus desit Franciæ, quæ pro patria dimicet ferro. Eam quiescentem lacessere, minime è re nostra est: &*

quanto mrjores copias eduxit Corolus, tantò magis reditus ejus, si ultro lacessimus, est extimescendus. Maneat volo, in Hispaniâ, non revocabo. Dum sanus est, nullâ unquam cupiditate Daniæ bellum inferet. Hæc nobis chara est, quia patria est. Nullum majus beneficium à superis habemus Dani quàm arma & inopiam, &c. Est vir fortis Francus, est bonus, est nobilis: ejus virtuti faveo, ut illum nostræ favere volumus. Hœc ille; ex quo patet, quod Dani tum temporis Vvitekindi causam non amplius communem reputarint. Mansisse verò hanc formam Reipub. apud priscos Germanos usitatę, etiam aliquot post seculis argumēto est, quod in universum Germanorum libertas deprędicetur. Opponitur autem libertas dominatui. Vbi autem libertas viget populi, non potest ille excludi à consiliis rerum majoris momenti. [Vid. Dn. *Conring.* Diss. de Germ. Imp. Civib.]

Hæc ita de veteribus Germanię populis eorumque regimine ad Autorem nostrum illustrandum adduxisse sufficiat: Reliqua quæ à primis Romanorum Imperatoribus usque ad tempora Francorum in Germrniâ nostra contigerint vide apud Christ. *Lehmannum* [l. 1. Chron. Spir.] Notandum verò hic venit priscos illos Germaniæ populos plerosque fœdere συμμαχικῷ adversus Romanos fuisse conjunctos, quo commune libertatis periculum communibus quoque viribus propellerent. Cæterum quomodo vitio libertatis, dum in commune satis maturè nom fuit consultum,

& ita Annibal Romanus singulos Germaniæ populos aggrediens magnam illorum partem vicerit, Autor noster egregiè notat, qui tamen in eo errat, quod universos Germaniæ populos à Romanis esse devictos existimet.

DISCVRSVS IV.

De Francorum & Franciæ potentiæ ac libertatis origine & incrementis, deque hodiernæ libertatis Germanicæ ortu & successione usque ad nostra tempora.

Ad c. I. §.3. 4. *&* 5.

I. PRæcedenti Discursu sat operosè deduximus, quomodo antiqua Germania pro varietate Populorum quoque variis Rebuspubl. fuerit distincta. Iam Autor noster exponere incipit, quomodo Franci tandem Germaniam πολυκέφαλην ad unius sceptrum redegerint, atque hac occasione de Francici populi origine agere incipit. Res autem ita se habet: Qui Annii Viterbiensis Orosio & Trithemii *Hunibaldo* fidem adhibent (inter quos *Gabriel Bucelinus* in sua Genealogicâ Germaniæ notitiâ) illi Francos à Trojanis deducunt, & asserunt quòd Antenor, Vrbis Trojanæ proditor, cum sociis suis deletâ Troja novas sedes quæsierit, atque mari se committens tandem terras circa Danubii ostia occupaverit, ejusque posteri appel-

Francorũ origo.

lati fuerint Sicambri. Tradunt illi porrò quod hæ gentes Trojâ migrantes dein ſub Duce ſuo Marcomiro in interiora Germaniæ viſcera penetrarint & ad Rhenum tandem in Vveſtphaliâ, Friſiâ, Geldriâ conſederint, ac poſtea à Duce ſuo Franco Franci appellati fuerint. Alii verò (inter quos *Cluverus* de Germaniâ antiquâ, *Rivius* & *Pontanus* de Reb. Francicis) originem Francorum aliter arceſſunt, & dicunt, quod Vbii, Mattiaci, Iuhones, Sicambri, Tencteri, Vſipetes, Marſi, Bructeri, Angrivarii, Friſii, Chauci, Cheruſci & multi alii Germanici populi inter Rhenum & Albim convenerint, adverſus Romanos, Germanicæ libertatis infenſiſſimos hoſtes, firmiſſimum fæderis vinculum icerint, atque novum nomen *thi Francken* ſive *die Francken* ſibi indiderint, quod priſca illorum linguâ homines liberos, *die Freyen*, ſignificauit. Quin etiam num *Franck* idem ſignificat quod *Frey*, & *Franciſia* libertatem, *Franciſcare* verò in libertatem vindicare ſignificat. Dn. *Martinus Zeillerus* in Manuſcripto doctiſſimi Viri ſequentia ſe legiſſe ſcribit: *Franci orti ex eâ regione, quæ inter Albim & Rhenum interjectã, Oceano alluitur. Quicquid ergo Taciti ævo Sicambri (nunc Clivij & Geldrij) Vſipetes (nunc Zutphanienſes) Anſuarij (nunc Deventrij) Chamavi [nunc Chamen oppido nomen] Friſij ad Oceanum & his contigui Chauci minores [nunc Oldenburgenſes] & majores [nunc Bremenſis Diæceſis] uſque ad Cheruſcos [nunc Brunſvicenſes] fue-*

runt, & horum mediterranei Tubantes, Tencteri & Bructeri [nunc Tuventij, Drentij, Benthemij & Monasterienses vicini] denique quicquid Vbij, Hermunduri, Narisci, Suevi ipsi tenebant, Franciæ nomen occuparunt, quod primum in paludosis illis regionibus & maritimis [ubi Holland, Seeland &c.] delituit & à libertate sumptum est. Cum enim sub laniena 30. tyrannorum & antea exteræ gentes Romanum Imperium invaderent, hi quoque Germani Francos se adoptivo libertatis nomine appellarunt. Hactenus ille. Hæc opinio de origine Francorum longe melior atque certior alterâ, quæ superius allata est. Hinc *Lehmannus* etiam [in Chron. Spir. l. 2. c. 42.] ait: *Das die Teütsche und Franckische Volcker von der Freyheit den Nahmen der freyen Francken erlangt* [Vid. pl. *Iacobi Schencken Chronick Von dem Ursprung der Francken*, *Victoris Tuartij Apolog.* pro Franco-Gallis *Reineri Reineccii* Annales Francorum.] Vt adeò non sit operæ pretium cum Gallis, Germanos Francorum generis autores superbo supercilio agnoscere fastidientibus, longius verborum certamen inire, cum de re ipsâ satis constet. Gallis enim, qui testem Livium, Cæsarem, & Tacitum pro sua contrariâ opinione adducunt, (Vid. §. 3. Aut.) probatio incumbit Historicos illos de nostrâ Francicâ gente, quæ longe post illorum tempora lacertos movit, testari, de quo tamen altissimum ac profundissimum est apud ipsos silentium. Imò Tacitus (qui Cæsare & Livio posterior est) ne

quidem de Francorum populis mentionem facit. Vt proinde cum Autore noſtro (§. 4.) nullo modo facere poſſimus, qui Hiſtoricis ante allegatis ignorantiam rerum circa populos exteros, longiſſimè remotos objicit. Conſtat enim Tacitum ſub Veſpaſiano Cæſare fuiſſe Belgij Adminiſtratorem, atque ita res Germanicas præſertim inter Rhenum & Albim in propinquo accuratè habuiſſe cognitas, qui utique ſilentio minimè præteriſſet, ſi ea ætate Gallici populi, quos in Germaniam veniſſe ſcribit, Francorum nomine inſigniti fuiſſent. Multo minus probandum eſt Dn. Autoris noſtri (§. 4. verſ. *Et ut maximè* &c.) de communione linguæ argumentum, utpote quum non rarò populi una communi patria circumſcripti moribus tamen & lingua nimium quantum differant. Hodiernam Germaniam quis adſpiciat; quam non variant in eâ mores & diverſa linguarum idiomata? in multis inſuper Germaniæ regionibus Galliæ vicinis à teneris unguiculis lingua Gallica, quamvis corruptior, incolis familiaris eſt; quis tamen hos Germanos & ad Germaniam pertinere neget? Bohemia extra dubium Germanici juris eſt, an tamen ibi lingua Germanica nativa & patria eſt? Quin ipſi Franci, quum ſub Meroveo Rege ſtabilem in Galliis ſedem figerent, Gallorumque moribus & lingua uterentur, non tamen deſierunt eſſe Franci. Quicquid de eo ſit, habemus Reges Gallorum (nempe Franciſcum II. & Henricum II.)

qui ex ſtirpe Germanicâ genus ſeſe ducere profitentur, ut Autor etiam [§. 4. in fin.] innuit; quod tamen teſtimonium ad originem, Francici populi minus congrue applicari videtur. Autor noſter tamen prudenter, quamvis tacitè innuit Regum illorum confeſſionem non propter Lazarum, ſed propter Martham, ad adipiſcendam ſcil. Germanici Regni Imperialem dignitatem, fuiſſe expreſſam. Notum enim eſt ex Sleidano, Thuano, Guicciardino & aliis quantopere Franciſcus I. aureum quaſi illud Germanici Imperii vellus expugnare allaborarit, de quo videatur *Burgoldenſ.* (p.1.Diſc. 8. ad Inſtr. Pac. n. 8.)

Francorũ incrementa & progreſſus.

II. Autor noſter porrò [§. 4.] aſſerit ante ſeculum à Chriſto nato III. vix ullam in hiſtoriis Francorum fieri mentionem, nempe ſub Valentiniano III. Recte addit tamen particulam, *vix*: quum conſtet jam tum Ciceronem (in Epiſt. ad Attic.) Francorum facere mentionem. Ex in alii veriſimiliter aſſerunt, quod Franci præſidia Romanorum conjunctis viribus oppugnantes à Iul. Cæſare domiti, à Maximino cæſi à Conſtantino victi & à Iuliano repreſſi criſtas demiſerint & ſumptum à libertate nomen ad tempus occultarint: Poſtea vero illi imperante Valentiniano I. cum Burgundionibus Gallias ingreſſii regimen peculiare ibi appetierint, iterumque ſub Valentiniano III. ſe intruſerint & denique ſub Meroværo, Childerici Regis filio, in Galliis ſedem fixerint

regnumque Francorum ſubactâ Belgica Gallia, & ea parte quæ Oceanum Gallicum & Britannicum contingit Pariſiis ſtabiliverint Quicquid ergo Galliæ Merovæus Rex cum ſuis tenuit, Francia à victore populo Germanico dici cæpit, prout *Paulus Æmylius*, rerum Gallicarum diligentiſſimus Scriptor diſertè ac graviter enarrat.

III. Poſtquam igitur Franci id eſt (Friſii, Chauci Angrivarii & reliqui Germanici populi n. 1. ante recenſiti) bonam Germaniæ partem inter Rhenum & Albim flumina poſſiderent, facilè ſeſe adverſus Romanorum inſultus in Gallia defenderunt, indieſque longius [Gothis, Suevis, ac Longobardis Italiam, Hiſpaniam, Galliam vaſtantibus] potentiæ ſuæ fines extenderunt. Quod autem potentiæ Francicæ originem concernit, res ita ſe habet: Quum primum diverſi populi Germanici ſuperius enumerati contra Romanorũ jugum ſervile quaſi conjuraſſent, Liberorumque Francorum nomen ſibi adoptaſſent, in Friſiâ, Geldria, & circa Rheni oſtia & alibi ſub Ducibus ſuis res ſuas adeò ſtabiliverunt, ut vicini Saxones ac Thuringi amicitiam ac fœdus συμμαχικον eorum expetierint. Dum itaque Romanorum inſultus in Germaniâ à tempore Iulii Cæſaris cœpti continuarentur, judieſque illi Germanicæ libertati periculum intentare non deſiſterent A. C. 279. imperante Probo Thuringi, Franci & Saxones, qui tam in Germania erant potentiſſimi, Romanos Cladibus nonnullis in-

festarunt, donec Imperator Probus cladem clade ulcisceretur, eosque rursus ultra Rhenum abigeret. Imperator tum illos fuit trans Rhenum prosecutus ac montem illum, ubi hodie *Heidelberg*, occupavit, eoque munito Germanis passim ingentia damna intulit. Anno verò 306. Franci Thuringi & reliqui Fœderati Romanos rursus è Germaniâ præcipue è Stradâ Montana (*Bergstraß*) dispulerunt, iisque jure talionis damna paria intulerunt. A.C. 319. Franci magnam Galliæ partem Romanis, Ducibus Clogio & Clodomiro eripuerunt, & quum dein inter Suevos & Thuringos capitales inimicitiæ an. 325. orirentur, Suevique Thuringis an. 326. apertum bellum indicerent, Thuringi eam regionem, Suevis conterminam (quæ dicitur *das Mayngou* quam non adeò pridem Romanis eripuerant) Francis concesserunt, quo ita Franci inter Thuringos & Suevos inter medii utriusque gentis odia metu suo compescerent. Hoc modo itaque cæperunt in ea regione quæ dicitur *das Mayngou*, Francorum Duces quorum primus fuit Genebaldus, Clodomiri Francorum Regis frater, cui illa pars à Thuringis cessâ in feudum concedebatur. an. 326. Omnis itaque ille tractus inter Rhenum, Mænum, Nicrum Fluvios & Bohemiam, à Francis Franconia dicitur, Ducesque Franconiæ Francofurti sedem habuerunt, prout latius Wilhelmus Dilichius in Chronico Hassiæ & ex parte Lehmannus exponunt. Clogio Dux Francorū dein an. 360. in Gallia

Francorum fines, Cameraco expugnato, usque ad Sequanam extendit. Post hæc Francorum felicia incrementa non amplius apud Historicos occurrunt nomina populorum Germanicorum, veluti Chaucorum, Bructerorum, Cheruscorum &c. utpote quum Francorum favorabile nomen, ab inæstimabili libertate deductum, varia ista populorum nomina absorberet. Adeò libertatis nomen dulce est, & res ipsa salutaris.

IV. Vti porrò in Physicis generatio unius est corruptio alterius; ita quoque in Politicis unius potentiæ civilis ortus ut plurimum solet alterius existere occasus. Erat jam in fatis, ut Imperium Romanum, cujus splendor, vi & armis partus, potiorem orbis terrarum partem occuparat, rursus decresceret, ejusque Majestas in aliam gentem transferretur, Franco-Germanis nimirum ad tantum decus indies adolescentibus, & tacitè quasi adspirantibus. Postquam itaque Franci Ducibus suis veluti tædio illorum affecti, abrogassent Imperiū A.C.420. Arcadio & Honorio imperantibus (Romà ad suum occasum & ruinam tendente.) *Pharamundum*, Marcomiri Ducis filium, Regē in Germania declararunt. Hujus filius Clodius, Rex secundus in Germania, primus in ubiis Rhenū trāsgressus copias in Galliam traduxit, eamque Galliæ Belgicæ partem, quæ Rheno Sequanâ & Ligeri fluviis atque Oceano definitur, occupavit, à quo tempore totus ille Galliæ tractus, qui à tem-

Regni Francorū orig. & progressus.

poribus Iulii Cæsaris sub Imperio Romano fuerat, Francico regno adhæsit. Clodio dein successit filius *Merovæus*, quem alii Merovingum appellant; is relictâ Germaniâ migravit in Galliam, Galliæque parti, à Francis subactæ, Franciæ nomen indidit. Inde linguâ & moribus Gallorum, cum quibus agebant, cæperunt uti Franci, sicut antea moribus & lingua Germanorum, cum quibus egerant, fuerunt usi. Hic Merovingus, post devictum ope Romanorum in campis Catalaunicis Attilam, Romanis eripuit Trevirensem urbem, suoque regno adjecit. Postea Childericus Merovæi filius, Moguntiam, Wormatiam, Spiram, Argentoratum, Coloniam, omnesque arces à Constantia usque ad Oceanum, quæ loca antea Romanorum præsidia agnoscebant, item partem Helvetiæ, finibus suis adjecit. Vnde Chronicon Spirense *Lehmanni* hunc primum Vrbis & agri Spirensis Regem ac Dominum vocat. *Wilhelmus Kyriander* (in Chronic. Trevir.) Scribit illis temporibus Trevirim ac Metas hereditarias portiones regni Francorum fuisse redditas. *Spangenbergius* vult hujus Regis tempore Galliam dictam fuisse *Franckenreich.* Childerici filius *Clodovæus* porrò Romanis totâ Galliâ expulsis, regnum longè lateque protulit; ac Burgundiam sibi tributariam fecit. *Theodoricus* Clodovæi filius, Hermenfrido Thuringorum Rege dolosè interempto, Thuringiæ regnum subegit. Chronicon Thuringiæ refert, *das Konigreich*

greich Thuringen dem Franckischen Konigreich gar Zugeeignet Uvorden. Uvilhelmus Dillichius (in Chron. Hafs.) narrat, quod hic Rex quoque Hassiam subegerit, ac urbem *Franckenberg* condiderit. *Theodobertus* Theodorici filius indigne tulit, quod Iustinianus Imp. Francicum & Alemannicum se scripserit, quasi is Francos & Alemannos vicerit (Vid. *Bertium* l. I. Rer. Germ. c. 15.) adeoque ipsum bello petere in animo habuit, sed morte præventus consilium hoc perficere non potuit. Post illa tempora variis testamentariis divisionibus regnum Francorum valde debilitatum, ut videre est in Chronico Spirensi Lehmanni, & in Chronico Francofurtensi Ioh. Frid. Fausten. von Aschaffenburg. A Clotario Porro III. usque ad Pipinum Reges inertiæ fuere dediti, magis voluptatis, quam Reipubl. amantes; indeque sub aulæ Principum & Majorum Domus tutela & procuratione, cæperunt res Francici regni administrari, adeoque sequentium Regum tantum nomenclatura apud historicos extat, omni vi dominandi in magistris equitum sitâ. Tandem *Carolus Martellus* Major Domus (*Grofs Hoffmeister*) rebus gestis inclytus, altiore fastigio Princeps Francorum salutatus: Et ita ad unum Marcellum summa rerum delata est. Is Regni Francorum fines, pulsis Sarracenis, promovit usque in Hispaniam. Cumque dein Gregorius III. Papa Leonem Isauricum Imp. ob iconoclasiam excommunicaret, subditosque ejus in

Carolus Martellus.

Italia juramenti fidelitatis vinculo ſolveret, Luitprandus Rex Longobardorum hac occaſione uſus, Papam Romanum in urbe Româ arcte preſſit. Pontifex itaque coactus à Carolo Martello opem & auxilium petere: Quia verò Luitprandus Rex Carolo in bello adverſus Sarracenos fidelem operam navaverat, auxilia quidem Papæ denegavit, ſummâ tamen ope anniſus, ut gliſcentes diſcordiæ tranſactione ſopirentur. Id quum feliciter ſucceſſiſſet, ab illo tempore Imperatorum autoritas in Italia indies magis magiſque decrevit, contrà verò Regum Francorum poteſtas & excellentiæ opinio mirum quantum altas radices Romæ & per totam Italiam egit.
Pipinus. Poſt Carolum filius *Pipinus*, quum frater Carolomannus in cænobium iviſſet Germaniam & Galliam primum ſub titulo Majoris Domus tenuit, & tandem à Papa impetravit, ut exauctorato atque in cænobium dejecto Rege Chilperico Regnum cum Regio titulo ipſi à ſubditis deferretur, quod factum A. C. *Carolus M.* 752. Cum Pipinus è vitâ migraſſet, *Carolus* filius, generoſus ac feliciſſimus Martis alumnus Frācici regni pomæria maximè dilatavit; Saxones, triginta tribus annis debellatos, ſibi ſubjecit, regnum Longobardicum ſive Italiæ devicto ultimo Rege Deſiderio ſceptro Francico adjunxit, Bavariæ regnum in provinciam Francorum mutavit, Hiſpaniam devictis & rejectis Sarracenis uſque ad Betin fluvium ſubjugavit, Wiltos & Sorabos, adverſus quorum impetum Marchiam Bran-

deburg. munito Helmſtadio conſtituit, compeſcuit, Pannoniam fuſis ac fugatis Hungaris à Danubio uſque ad Dravum fl. ſceptro Francico addidit, Marchiamque Auſtriam adverſus illos erexit. Hic itaque Carolus nomine & re magnus mirum quantum Francorum potentiam, exteris & vicinis formidabilem, dilatavit, adeò ut proverbium tum fuerit in Oriente vulgatum: *Francum amicum habere potes, vicinum non potes.* Sub ſceptri moderamine, tum Carolus habuit univerſam Italiam (paucis exceptis) Galliam, Longobardiam, Hiſpaniæ partem, Franconiam, Gothiam, Vaſconiam, Sabaudiam, Burgundiam, Lotharingiam, Hollandiam, Seelandiam, Brabantiam, Friſiam, Belgium, Bohemiam, Pannoniam, Thuringiam, Saxoniam, Bavariam, omnemque Germaniam prout illius hodierni fines ſunt extenſi. Dani verò, Norvvegi ac Sueci, mari tuti, hiſce tẽporibus à Germania, cum quâ antehac fuere conjuncti, divortium feciſſe ac ſeparatam regiminis rationem inſtituiſſe videntur. Sane Dani ſive Nordmanni, Caroli noſtri potentiam non immeritò ſuſpectam habentes, maritimam Germaniæ Galliæque oram ſub Caroli regimine magnâ claſſe vaſtarunt, ut propterea Carolus arma victricia in illos expedire neceſſe habuerit.

V. Ex hactenus allatis ſatis abunde conſtare arbitror, quomodo felicibus Francorum victoriis, à cælesti Numine præſtitis, univerſa Germania, quibus finibus hodie

circum ſcripta apparet, in unum aliquod Reipubl. corpus præſertim Caroli M. auſpiciis pervenerit. Cæterum hic porrò notari meretur, veriſſimum quoque in Politiis ac Regimine gentium evadere tritum illud Phyſicorum ac Naturaliſtarum brocardicum, quod ſcil: *Generatio unius ſit corruptio alterius.* Generatio ſiquidem & incrementa potentię Francicæ, fuerunt corruptio & interitus antiquæ Germanicæ libertatis ut Oriens felicitas, fortunatuſque armorum Francicorum curſus, liberam regiminis rationem priſcorum Germanorum in Occidentem demiſerit & in caſum dederit, Imò ſolida & expreſſa Germanicæ libertatis effigies, prævalente Francorum potentiâ, amiſſa, Germanicæque Reſpubl. antiquæ dum ſingulæ adverſus Romanos primum, deinde Francos pugnarant, univerſas tandem ſeſe victas deprehenderunt, ac, veluti piſces aquâ deſtituti, interceptæ & alterius Dominatui ſubjectæ, vix dein ac ne vix quidem umbrâ atque imaginibus priſtinæ libertatis uſæ fuerunt.

Libertas Germaniæ antiqua Francorum increſcente potentia paulatim ſ[...]etur.

Sic omnia verti
Cernimus, atque alias aſſumere robora gentes
Concidere has. Sic magna fuit cenſuq; viriſq;
Perque decem potuit tantum dare ſanguinis annos;
Nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas
Et pro divitiis tumulos oſtendit avorum.
Clara fuit Sparta, magnæ viguere Mycenæ:

Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Vile solum Spartae est: altae cecidere Mycenae:
Oedipodioniae quid sunt nisi fabula Thebae?
Quid Pandioniae restant nisi nomen Athenae?

VI. Quin & Carolinâ Francorum familiâ extinctâ sive ab Imperio dejectâ, quum Imperialis splendor in Ottone M. Imp. cum regno Germaniæ æternum conjungeretur, Ducatusque & Comitatus hereditarii fierent, ac illâ ratione in magno Germaniæ regno parvi Reges orirentur, insignis rursus exorta est Procerum Germanicorum ac sensim etiam urbium Germanicarum libertas quæ tamen non ad totum populum (qui eâ olim sibi gavisus, ut ex Cæsare, Tacito & aliis constat) sed ad paucos hoc modo pervenit. *Absonderlich ist der arme Bawersman dabey hingangen.* Nam rusticæ conditioni hodiernæ similes (nam Taciti ætate agricultura in Germania non viguit) ævo Taciti sine dubio jus comitiorum habuerunt; qui & *turbæ* nomine populum designat. Et quamvis ista aurea Imperii statuum libertas non semel præsertim superiori seculo sub Carolo V. Imp. & præterito tricennali bello mirum in modum afflicta fuerit, ut ex querelis Statuum apud Hortlederum & Lundorpium passim apparet; tamen hodie per Pacificationem Monasteriensem [artic. 8.] illa rursus in perpetuum stabilita (utinam ultra annum Platonicum!) apparet, quæ tamen rursus hoc incommodo quasi sacro morbo hodie affli-

Hodierna Imperii libertas.

citur, quod præſertim Galliæ Rex (cujus ad invidiam felices progreſſus nunc tota Europa metuit) illius temperium affectet. Alſatia propterea Gallo abſolutè ab Imperio ceſſa creditur, ne inpoſterum aliquid novi in Germaniâ moliri poſſit; Cæterum an ſcopum iſtum nos ſimus adſecuti, rerum & actorum publicorum gnari intra præcordia ſua bene compertum habent; ut adeò hodiernæ Germanicæ libertatis conſervationi nihil magis interſit, quam ut, mutuâ concordiâ Imperii Proceres uniti, perpetuo milite, ad fines Imperii hodiernos conſtituto, exteris omnem anſam ſe ulterius Imperii rebus immiſcendi præcludant. Priſtinæ & antiquæ univerſalis ac communis Germanicæ libertatis (quam Tacitus deſcribit) exemplar, nullibi hodie apparet niſi in Sueciæ regno ac Friſia. Ibi enim etiam ruſtici in comitiis & conventibus publicis ſeſſionem ac votum deciſivum adhuc obtinent. In parvis autem Germaniæ regnis ſive territoriis Principum Ordinum Provincialium (*Lãdſtände*) quidem adhuc aliqua eſt autoritas, ſed quæ tantum in ſuadendi, non autem jubendi & vetandi terminis conſiſtit; quæ tamen aſſertio in Principatu Orientalis Friſiæ & aliis provinciis, Hollandiæ vicinis, etiamnum perdit officium.

Probatur quod Frãcipriſcam Germanorum liber-

VII. Sed ut ad propoſitum redeam, libertas antiqua quæ ante Francorum ſurgentem potentiam in Germania viguit ac pleno quaſi gradu inceſſit, à Francis in pleriſque

populis extincta videtur. Hi enim devictis à sese in Germaniâ gentibus durissimam videntur servitutem imposuisse. Certè hanc fortunam immitem experti fuerunt Alemanni, potentissimus antea populus post victoriam Clodovæi A. C. 499. partam. (Vid. *Lehman.* l. 2. Chron. c. 20. *Crus.* p. 1. Annal. Suev. l. 8. c. 9.) Hac de re *Æmilius* florentissimus Gallicarum rerum Scriptor ita : *Cadit Alemannorum res : Alemannia fracta ingens tributum pendere jussa, leges etiam graves, magistratusque ab irato victore accepit.* Ioachimus *Vadianus*, rerum Alemannicarum peritissimus hac de re etiam in hunc modum : *Plena fuit servis & servitutibus Alemannia nostra, cujus magna pars hodie Helvetia est. Nec est, quod sciam montanus pagus aliquis Helveticus, qui rebus Francorum florentibus, durissimam illam servitutem servierit.* Eadem Clodovæi victoria pervenerunt etiam in servitutem Bajoarii, quemadmodum ex Gregorio Turonensi, Sigeberto aliisq; antiquis rerum Francicarum Scriptoribus est manifestum. Post Alemannos circa annum 544. devicti Thuringi, qui tributum pendere sunt jussi, magistratus quoque & leges ex victoris populi arbitrio acceperunt. Frisia quoque omnis à Carolo Martello & post Pipino in provinciam redacta est, quamvis libertatem illis reddiderit Carolus M. Meliori eventu Saxones ab iisdem Francis sunt victi, qui post belli exitum Francis adunati unus cum eis populus effecti, (*Eginhard.* in vit. Caroli M.) nobi-

tatem ive rint eversam.

litasque Saxonica (*die Graffen und Fursten*) non verò plebs jus civitatis Franciçę accepit. (Dn. *Conring.* Diss. de Imperii Civibus.) Cessit autem Carolo hoc pacto cum Saxonibus magistratuum omnium constitutio, omnisque Saxonia per Magistratus, à Cæsare dependentes, ut aliæ provinciæ, gubernata est. Hinc Carolus Francorum Regem & Saxoniæ Dominum se dixit. Eo igitur tempore quo Franci rerum per Germaniam omnem sunt potiti, nullus populus Germanicus libertate fuit usus, præter solos Francos, & quibus hoc relictum fuit, Saxones. Constat tamen in omnibus aliis quoque populis, Primores ad conventus publicos esse accitos, qui fortè fuerunt Franci, & alii è Francis illis præfecti. Et hac de causa passim populus Francorum dicitur convenisse, alius autem præter hunc nullus; ex omnibus tamen provinciis dicitur in unum cojisse. Duo scil. apud Francos fuere conciliorum genera; alterum commune totius populi; alterum particulare, de rebus quidem minoribus semper, interdum tamen & majoribus, sed nonnisi προβουλίας ἕνεκα, quorundam ex Principum aut primorum ordine delectorum. Non modò autem primores & proceres, sed totus Francorum populus obtinuit jus comitiorum, multitudóque habuit potestatem ea, quæ placuerunt Principibus confirmandi, vel rejiciendi, more sc. antiquo adhuc integro; quamquam libertate sua antiqua, rejiciendi nempe illa quæ Principibus placuerant, plebs nunquam usa

Francici populi libertas veteri Germanicarũ gentium succedit.

Libertas in Comitiu Francorum ætate.

legatur, omni ſcil. concilii poteſtate ferè ad hos relata. Tempore itaque Francici Imperii jus ſuffragii in comitiis publicis ferendi habuerunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Laici deinde Majores, id eſt, Duces ac Comites, uti ex Hincmaro, Thegano & aliis deducit Dn'. *Conringius* (in d. Diſſert. de Civibus Imperii.)

VIII. Notandum inprimis porrò hic eſt libertatem illam, quæ tempore Francorum & poſtea obtinuit, non leviter fuiſſe immutatam, prout Imperium Germanicum vel incrementa ſumpſit, vel membris ac particulis hinc inde attenuatum eſt. Nam Ludovici Germanici ætate ſolius Germanici propriè dicti regni Ordines libertate iſta in Comitiis uſi; poſt in idem concilium & Lotharingici regni ſtatus adſumpti ſunt. Burgundici verò regni ordines obingentes Germaniæ motus ſui juris fuiſſe videntur. Illud porrò conſtat Lotharingicum & Germanicum Regnum ita à temporibus uſque Henrici Aucupis coaluiſſe, ut iiſdem conciliis pari libertate ſint uſi utriuſque regni ordines. Poſt à tempore Henrici IV. quum perpetui ferè civiles motus, cum Cæſareæ dignitatis & auctoritatis tantùm non interitu conjuncti, flabello Pontificis Romani in Imperio exiſterent, magna quoque in iſtâ anarchiâ, in qua tum Reipubl. Imperii navis fluctuavit, libertati publicæ clades inflicta. Ex eo enim plurimi paulatim Civitate Germanicâ deſertâ, ac Comitiis neglectis maluerunt domi vivere immunes ac liberi,

Quomodo libertas Germaniæ ſe poſt Francorū Imperium habuerit uſque ad noſtra tempora.

quàm turbulentis Imperii negotiis immisceri. Illi verò qui permanſerunt in obſequio Ordines, ad eandem libertatem domeſticam adſpirarunt, & de Imperii ſtatu conſervando deſperantes, domi ſibi regna condidere, ac ita publicas Imperii res extra ſuas curas, magno ſanè publicæ libertatis & tranquillitatis detrimẽto, poſuere. Ipſa quoq; comitia magis magiſque cœperunt eſſe ſumptuoſa; quum tamen *civilis prudentiæ monitum ſit, ne qua mutatio fiat minus divitum civium, cavenda eſſe ſumptuoſa comitia, aut verò ſumptus omnes ex publico faciendos.* Cæterum Sigiſmundo Imp. & poſt Friderico, Maximiliano ac Carolo V, ingruentibus Bohemicis & Turcicis, bellis videntur Imperii Ordines magis magiſque in unum communis Reipub. coagulum cum Capite ſuo eſſe coacti, in comitiiſque publicis ſic ſatis frequenter ab Ordinibus tam Clericis quàm Laicis (qui & Francorum temporibus illo jure gaviſi) de ſummâ Reipubl. eſt conſultatum. Illud verò novum eſt, quod & urbes Germanicæ hodie libertate iſtâ publicâ Imperii in comitiis unà cum cæteris Ordinibus Clericis ac Laicis gaudeant, quæ tamen olim longè inferiore conditione fuerunt, ut patet ex *Lehmanno* (l. 4. Chron. c. 5.) Primis quidem Saxonicorum Cæſarum temporibus (poſtquam urbes in Germaniâ conditæ paulatim florere inciperent) in *multitudine*, ſic dictâ, etiam urbium fortè nonnullarum delegati fuerunt. Fuit ſanè & tum multitudini aliquis in comitiis locus, ut patet ex electio-

Libertas Vrbium.

ne Henrici Aucupis Ottonis M. (V. *Witikind.* l. 1. & 2.) & Conradi Salici (V. *Wippo* in vit. ejus.) Multitudinis tamen illius maximam partem videntur conſtituiſſe equeſtris dignitatis homines ; & ſequentibus ſeculis omne hoc videtur abolitum, ſive quod multitudinis nulla prope ratio haberetur , ſive quod ſumptuoſiora eſſent comitia , quàm ut ferendis ſumptibus ſufficeret , ſive denique quod nullum ex comitiis fructum ſperaret. Poſtea XIV. à nato Servatore ſeculo paulatim urbes iterum ad comitia accitæ, quod illâ tempeſtate & numerus earum ſat magnus eſſet, & præcipuæ opes & vires Imperii iis continerentur , & novis ſumptibus ad onera publica eſſet opus quàm maximè. Hæ liberæ urbes hodie pleno jure conciliorum quiete ac libere utuntur, & quum antea ipſis de voto in comitiis deciſivo controverſia fuiſſet mota,per Inſtr. Pac. Cæſareo-Suecicum (art. 8.) hæc lis dirempta, libertatique ac votandi autoritati liberarum Imperii urbium pleniſſimè hoc modo proviſum. Libertas itaq; publica Germaniæ (quæ Taciti ævo vulgaris extitit, Francorum verò ætate & primis Saxonicorum Imp. temporibus ad præcipuos è multitudine extenſa fuit) hodie conſtat inconcuſſa penes Imperii Principes tam ſeculares quàm Eccleſiaſticos , Comites , Barones ac Civitates Imperiales. An inæſtimabilis hujus Imperij theſauri quoque participes evaſuri ſint Nobiles Imperij immediati , dies rerum magiſter, docebit. Et quidem, quod hos

attinet, magna libertate ſub Imperij tutelâ illos florere nemo ibit inficias: Cæterum illa potius domeſticæ ac privatæ, quàm publicæ Imperij libertati, quæ in plenis comitiis coruſcat ac ſplendet maximè, hactenus ſimilior eſt.

IX. Hæc eſt illa Imperii Germanici libertas, quam Ordines ac Proceres Germaniæ hactenus maſcule fœderibus & armis propugnarunt. Hanc quum Superiori & hoc ſeculo Hiſpano-Ieſuitiſati premerent atque opprimere cogitarent, exorta ſunt in Imperio funeſta ac feralia bella civilia (Smalcaldicum nimirum, Mauritianum, Bohemicum, Saxonicum, Cæſareo Suecicum) quæ poſtquam univerſam, quam latè patet, Germaniam flebilibus modis vaſtaſſent, tandem per Numinis Cæleſtis miſericordiam Monaſterii in Weſtphalia an. 1648. pace iterum mutata ſunt, quæ, multo ære parta, ut ære perennior ſit, omnes boni Patriæ Cives, qui præſentem Reipub. ſtatum amant, votis non fictis optant. Hactenus de Francici & hodierni Germanici Imperii libertate; quæ licet paulò fuſius, quam par erat, explicata ſint, tamen Autori noſtro in ſequentibus ſæpiſſimè lucem fœnerabuntur. Iam ex diverticulo rurſus in viam.

Libertas Germaniæ hodierna æterna lege confirmata.

DISCURSUS V.

De Statu Germaniæ sub Carolo M. & Ludovico Pio, deque Origine Regni Germanici.

Ad cap. 1. §. 6. 7. 8. 9.

I. PRæcedenti Disc. de Francis, eorumque regno tandem ad Carolum M. Regem translato satis clarè ac perspicue, ut opinor, fuit actum. Autor noster nunc porrò Caroli illius regimen in Germania lustraturus primum (§. 6.) subtiliter, & acute, more suo, de Caroli illius patria inquirit, mediàque viâ incedens tutissimam hac de re opinionem amplecti videtur. Et verò, ut cramben illam sæpius coctam obiter attingam, mirum quantum desudant in eo hodierni Galli, ut Carolum hunc Gallicæ nationi vindicent. Quid non molitur Andius ille sine bono *Ioannes Bodinus*, infensissimus Germanicæ Nationis hostis? dum in suâ Historiarum Methodo (c. 7.) Carolum M. natione, linguâ & moribus Gallum fuisse scribit; cui adstipulatur Petrus Gregorius Tholosanus & alij Galli, nudis assertionibus, non rationibus innixi. Nos Germani cum Cuspiniano, Aventino, Frehero & multis aliis illum in Germania Francica natum esse contra Gallos in hodiernum usque diem rectè propugnamus. Et quamvis de loco speciali nativitatis Historici nostri inter se varient (Annales

Carolus M. an origine Germanus.

enim Fuldenſes illum in terra circa fluvium *Vnſtrut*, id eſt, Thuringia natum perhibent; Cuſpinianus, Freherus, quibus cũmuniter hodie aſſenſum præbemus, Ingelhemium, urbem in Palatinatu Rheni, terram conceptionis Caroli nominant; Aventinus & Letznerus illum Bojoariæ vindicant, ſed minus rectè, utpote quum non ſit veriſimile Carolum in eâ gente eſſe natum, quæ nondum Francicum agnoverat ſceptrum) hactenus tamen in eo omnes conſpirant, quod in Germanici ſive rectius Francici ſoli ſuperficie Carolus noſter primam Solis lucem adſpexerit. Autor noſter in tanto Germanicorum ac Gallicorum Scriptorum conflictu circa originem Caroli diſtinguit inter ejus ſtirpem & patriam, & quoad illam Germanicum ſeu Francicum; quoad hanc Gallum ſive potius Franco-Gallum ipſum fuiſſe aſſerit, quum ejus nationis quiſque cenſeatur, cujus ipſius pater eſt, & ubi ſedem fortunarum, à patre majoribuſque traditam, obtinet: Solum verò nativitatis locum diverſæ à paternâ nationi aliquem minime inſerere. Cæterùm ſinamus Autorem noſtrum abũdare ſuo ingenio; nos aſſerere haud verebimur Carolum noſtrũ & ratione ſtirpis & ratione patriæ dicendum ac habendũ eſſe certo reſpectu Germanũ. Res autem ſic ſe habet: Principio hic extra omne dubium ponẽdũ Francorum liberam gentem fuiſſe ex variis Germanicis populis combinatam (Vid. Diſc. præced. n. 1.) ac proinde non eſſe concedendum Bodino & aliis Gallis, qui Francos ve-

terum Gallorum colonos faciunt. Vnde enim hoc constat? Non sane ex iis, quæ Cæsar, Livius & Tacitus de Gallis Rhenum transgressis asserunt (Vid. Aut. noster h. c. §. 3.) Altum enim apud illos Francorum silentium. (Vid. Autor. l. c. §. 4.) Deinde ponendum & hoc, Galliam à Francis tandem plene sub Clodovæo Rege devictam ac subjugatam non amplius Galliam, sed à Victore populo Germanico Franciam appellatam, uti & in hodiernum diem Rex Galliæ se scribit Regem Franciæ & Navarræ. Vt jam ad propositam controversiam respondeamus; Si quæratur an Carolus M. origine fuerit Germanus? an verò Gallus? distinctim vel juxta ævum Carolinum vel juxta hodiernum respondere debemus. Si secundum prius, dicendum Carolum non Germanum (respectu scil. habito ad hodiernam Germaniæ faciem) sed Francicum esse tam ratione stirpis, quam ratione patriæ, utpote quum pater ejus Pipinus Franciæ (quæ olim Gallia dicta) non Germaniæ Rex fuerit, nisi fortè Carolum hoc modo, respiciendo originem primam Francorum, Franco-Germanum appellare malis. Accedit eò, quòd Ingelheimium (quæ communiter pro patriâ Caroli reputatur) tum temporis Francorum regno fuerit subjectum, Germaniaque Trans-Rhenana nondum Francis subjecta fuerit. Si itaque ex ævo Caroli respondendum non Germanus (nisi origine ultimâ) sed Francicus (non verò Gallus quum Francum non Gallum patrem habuerit Ca-

rolus Patria autem à patre & maioribus, non gente devictâ & subjugata denominetur) erit dicendus. Quod si verò quæstionem decidere velis ex habitu Germaniæ post Caroli tempora, quum Germania proprium ac peculiare regnum, cui dein Lotharingicum tempore Henrici Aucupis unitum, constituere cœpit; omnino respondendum Carolum M. ratione stirpis & ratione patriæ esse Germanum, utpote quum Franci (ex quorum prosapia Carolus) sint nationis Germanicæ, & Ingelheimium in regno Germaniæ hodierno sit situm. Potissimum autem ad quæstionem propositam respondendum juxta rerum faciem, quæ tempore nativitatis Caroli M. in regno Francorum obtinuit, & ita Carolus noster, licèt mille Mæandros hic fingant Galli, nihilominus semper Franco-Germanus (nunquam autem Franco Gallus ut Autor noster certo respectu vult) manebit. Nos itaque resolutionem Dn. Autoris nostri, qua hanc litem componit, in aliam formam & figuram vertimus, & quidem hanc: Si quæratur ad Gallos, an ad Germanos Carolus stirpis suæ originem referat? sine dubio respondendum erit, quod non sit stirpis Gallicæ, sed propter patrem Regem Franciæ & majores Regni Francorum Francicæ, sive Franco-Germanicæ. Verum si quæratur, quâ patriâ censeri debeat? Francia (quæ ab antiquo ac Romanorum tempore Gallia dicta) non Germania ipsi assignanda erit; adeoque hoc intuitu non Germanus, nec Gallus (ut Autor

noster

noſter judicat) ſed Francus non verò Franco-Germanus; multò minus (ſecus ac Autor putat) Franco-Gallus dicetur. Quod ratione ſtirpis Carolus noſter dicendus ſit Francus & ſic per conſequens Germanus, patet ex hiſtoria originis Francorum, quam Diſc. præced. attulimus. Quod verò ratione patriæ Carolus I. non ſit Gallus, patet itidem ex mutatione nominis Galliæ in Franciam. Poſtquam enim Clodovæus Rex Galliam univerſam Francis ſuis ſubjeciſſet, illique qui Francici eſſent ſanguinis in Repub. eminerent, antiqui Galli, tanquam victi, deterioris facti conditionis, ut bene Autor aſſerit, Galliæque magna pars jam ante Clodovæum à Francis victoribus dicta fuit Francia. Minus rectè itaque Autor noſter Carolum ab antiquis Gallis, qui jam à Francis redacti in deteriorem conditionem, quorum provincia bello ſubacta acceſſorii tantum inſtar habebatur, ut Autor etiam de Germanis, Francis ſubjectis, aſſerit, denominat, utpote quum à digniori & potiori ſemper denominatio juxta Philoſophorum filios fieri debeat. Et quid tandem eſt patria, niſi locus ubi quis natus, & ſedes fortunarum à patre majoribúſque tradita? Quod itaque natale ſolum Caroli noſtri attinet, ſive in Thuringia conceptus (ut Annales Fuldenſes volunt) ſive Ingelheimii (ut plurimi putant) ſive Iopillæ apud Leodium (ut vult *Petrus à Beeck* de Aquiſgrano c. 3.) natus, non utique dicendum, quod in Gallico, ſed Francico ſolo fuerit natus; Thuringia enim & Ingelhei-

mium tum non Germaniæ, ſed tanquam loca armis ſubacta Francico Regno anumerabantur. Idem] aſſerendum ſi ſedem fortunarum à patre majoribúſque Carolo traditam conſideres. Illa enim non Gallia, utpote nova Metamorphoſi Politica in Franciam transformata, majoreſque Caroli non Gallici ſed Francici ſanguinis fuerunt; Vnde patet minus recte Carolum hac ratione Franco-Gallum ab Autore appellari. Quod verò ratione patriæ Carolus non poſſit dici Germanus nec Franco-Germanus (ſcil. reſpectu ad Francorum tempora habito) inde patet, quòd Thuringia & aliæ Germaniæ portiones, quæ tunc ad Regnum Francorum pertinebant, acceſſorii duntaxat inſtar habebant, velut provinciæ bello ſubactæ, ac Franciæ (ut ſic dixerim) incorporatæ, ut proinde Carolus non ab acceſſoriis & deterioris conditionis terris (ſcil. devictis) ſed à principali victoris Franciæ regno Francicus, non verò Franco-Germanus denominari poſſit. Quod ſi verò rem ex facie modernæ Germaniæ metiri & determinare velis, quo minus Carolus noſter, Franco Germanus dici debeat, nihil obſtare videtur. Et huc ſine dubio reſpexerunt omnes, qui Imperium Romanum in Carolo ad Germanos tranſlatum eſſe dixerunt, quum tamen ſi accuratè juxta ævum Carolinum loqui velimus Imperium illud in Carolo primo ad Francos, dein in Ottone M. in Germanos vere tranſlatum dici debeat. Huc collimat Fraxineus Orator R. Gal. apud

Thuan. (l. 10.) *Imperium in Regum Franciæ familiâ primùm fundatum commune utrique genti fuit, deinde ad Germanos translatum est.*

Cæterum quum Fortunæ Regni Germanici in hac quæstione non versentur, neq; Præsenti Romano-Germanico Imperio hæc controversia,& tantum non de lanâ caprinâ quæstio, nihil quicquam fraudi esse queat, ceu etiam Peregrinus in patria Autor noster fatetur,in præsens non excutiemus ejusdem D. de Monzambano probabile & bene deductũ argumentum à Caroli M. linguâ Teutonicâ petitum. In summâ: Distinguamus in hac lite primùm inter Francicam & Gallicam stirpem; deinde inter antiquam Galliam in Franciam transmutatam; & tertio inter ævum Carolinum & modernum; & facilè omnes difficultates superabimus. Quod ipse Carolus M. Ludovicus & cæteri successores non tam Reges Gallorum, quàm Francorum se nominaverint, videre est ex Capitularibus Caroli & Ludovici, ex c. *Adrianus.* c. *In Synodo.* c. *Ego Ludovicus. Dist.* 63. Quod itidem manserit distinctio inter Francos & Gallos, id indicat Lex Caroli M. (l. 6. c. 281.) ubi subjectos suos hoc ordine enumerat: *Romanos, Francos, Alemannos, Bavaros, Longobardos, Gascones, Saxones, Thuringos, Frisones, Gallos, Burgundiones, Britones, Beneventanos, Gothos, Hispanos*; ubi Francos tanquam digniores statim post Romanos numerat; Gallos verò non nisi inter posteriores. Certum insuper est Carolum M. non fuisse Gallici

ſanguinis, nec Gallos imperaſſe, ſed Francos, qui Gallias univerſas ſibi ſubjecerant. Vniverſam ſcil. Galliam in Franciæ nomen abiiſſe non tantum Chronographi tradunt, ſed & ipſum tempus noſtrum, quo Franciam appellari videmus, manifeſtat, evidenti argumento, Francos Germanos non tam victores Gallorum, quàm extinctores fuiſſe, ut rectè judicat Dn. *Limnæus.* (in Addit. p. 28.) Tranſeamus nunc porrò ad alia.

Regimen Caroli M. II. Vindicatâ ſtirpe & patria Caroli M. videamus nunc ejus regimen. Autor noſter §. 7. aſſerit Carolum Franciæ Regnum jure hæreditario obtinuiſſe, Franciciſque Proceribus liberum jus eligendi prorſus ſevero ſtylo ſuo abjudicat. Ignoſcat Nobiliſſ. Autor, quod in caſtra ipſius, quoad hunc articulum, tranſire non poſſim, utpote quum annalium Francorum fides, quam in hiſce negotiis ſanctiſſimè colere debemus, me ad diſſenſum inducat. *Regnum Francorũ an fuerit hereditarium.* Habuit ſiquidem Regum Francorum antiquiſſimorum ſucceſſio aliquid hereditarii, vis tamen ipſa creationis in populi electione fuit. Ab antiquiſſimis ſcil. temporibus mos fuit omnium Germaniæ populorum Reges ſuos ex nobilitate ſumere (ut *Tacitus* loquitur) id eſt habita ratione generis, atque adeò ex ſanguine Regum ſibi Reges creare, quamdiu quidem pateretur ſalus Reipub. & idonei regendæ Reipub. ex regio ſtemmate ſupereſſent. Id verò inprimis de Francis probari facilè poteſt. De *Pharamundo*, primo Francorum Rege, Trithemius in com-

pendio annalium ex Hunnibaldo ſcribit: *Poſt obitum Ducis Genebaldi conveniſſe in unum Proceres & Majores natu Francorum, conſiliumque habuiſſe inter ſe maturum, utile judicantes, ut more veterum ſibi Regem conſtituerent ex Ducibus, qui bonus viſus fuerit in oculis omnium.* Idem de Sigiberto habet *Gregor. Turonenſis* Epiſcopus (l. 4. c. 51.) de Gundebaldo idem (l. 7. c. 10.) Sane Pipinus Caroli M. pater non conſtitutus à Zachariâ Papâ, ut volunt Palatini curiæ Romanæ, ſed electus à Proceribus Regni Francorum, quamvis autoritate Papæ ad id inducti. Hinc diſertè *Ado Viennenſis*, nobiliſſimus Hiſtoriographus, ad an. 750. prodit: *Papam interrogatum tantummodo, quid ſibi videretur, utrum præſtaret Regem vocari, qui poteſtate polleret, an verò illum, qui ſine regali poteſtate deliteſceret? Reſpondiſſe; Pipinum ſecundum morem Francorum in Regem electum.* Cui Viterbienſis totidem pæne verbis adſtipulatur. De Carolo & Carolomanno *Eginhardus* ita: *Franci facto ſolenniter generali conventu, ambos ſibi reges conſtituunt.* Carolomanno defuncto idem Eginhardus narrat: Carolum conſenſu omnium Francorum Regem coſtitutum, (ad: *Hincmar.* Epiſt. 1.) Idem Eginhardus & *Theganus* (in vita Ludovici Pij) de Ludovico: *Ludovicus congregatis ſolenniter de toto regno Francorum primoribus cunctorum conſilio conſors regni & Imperialis nominis heres conſtitutus.* (Vid. *Hotoman.* Franco-Gall. c. 6.) Vt proinde Autoris opinio, quæ non electionem

ſed inaugurationem Francicis Proceribus adſcribit, non adeo firmo innitatur talo, & potius ad Caroli M. poſteros applicanda videatur.

III. Præter Regnum Franciæ, cui jam ante juncta magna pars Germaniæ (nempe, præter terras Francicorum populorum inter Rhenum & Albim ad plagam Germaniæ Occidentalem, omnis ille tractus inter Rhenum, Mænum, Nicrum fluvios & Bohemiam, qui dictus das *Mayngau*, inſuper ſub Merovingo *Trier*; ſub Childerico ejus filio, *Menz*, *Worms*, *Speier*, *Straſburg*, *Coln*, &c. dein ſub aliis Regibus Thuringia, Haſſia acceſſerant Vid. Diſc. præced. n. 3. & 4.) noſter

Caroli M. res geſtæ in Germania.

Carolus nomine & re Magnus, reliquam Germaniam, armis ſubactam, ſub ſceptro ſuo rexit. Primum in Germaniâ bellum ſuſcepit cum Saxonibus: Hi jam, quum Romani in Gallia & Germaniâ Trans-Rhenanâ adhuc dominarentur, Francis erant confines, eorundemque in bellis contra Romanos ſocii fuerant; quinetiam contra Hermenfridum,

Caroli M. Bellum Saxonicum.

Thuringiæ Regem, Francis adhæſerant: poſt offenſis natis, ut fit inter vicinos, à diverſis Francorum Regibus oppugnati pacem tributo redimere coacti ſunt. Regnante itaque Carolo noſtro, bellum anceps, & atrox cum Saxonibus quaſi renatum, & per continuos 33. annos ita geſtum, ut maxima utrinque animoſitate dimicatum ſit, cæſis tam è Francorum, quàm Saxonum nobilitate plurimis. Belli prætextus vulgo creditur fuiſſe religio-

nis Christianæ propagatio; quæ si vera fuit causa impulsiva, bellum istud minimè pium ac religiosum pronunciare ausim. *Religionem* enim *imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus; fidémque suadendam non imponendam esse* Doctores Catholici atque Apostolici & cum iis Politico Theologi rectissimè juxta præcepta & doctrinam Servatoris nostri docent. Et quantum Caroli armis profectum ostendunt tot Saxonum defectiones & belli diuturnitas; donec humanitate & præmiis animis ipsorum emollitis, doctrinæ ac Sacramentorum velut officinæ, Episcopatus constituti sunt, & gens Christo potius, quàm Carolo subacta. Qui interius Caroli, generosi Martis discipuli, ingenium scrutantur, putant religionem tantum armorum prætextum, non causam suasoriam, ad arma impellentem, fuisse. Nimirum Carolus Monarchiam in nostram Germaniam inducere cogitabat; quo minus autem hoc fieret, sudes quasi ipsi in oculis fuerunt Saxones & Bavari: Hinc omnibus modis illorum regna, quæ ambitioni sepem quasi obstruxerant, sibi demolienda atque evertenda duxit: Et jam tum fuit in fatis, ut propter injustitiam & idololatriã Saxonum & Bavorum regna in Carolum religiosum, pium & verè Christianum Principem transferrentur, adeóque vicinos illos, idolorum cultores, ille duxit sibi subjugandos, ne regno suo, Christo Servatori mancipato, amplius nocerent. Quin & à Christianis Principibus commissa inter-

Causa belli in Saxones.

dum, quæ alio, quàm ambitionis, avaritiæ, commodique titulo censeri haut possunt, quicquid etiam purpurissi ac fuci tunc illeverint, quibus abstrusa & colorata, adeóque fallens fraus pro justitiâ erat. (Vid. *Burgoldens.* part. 1. ad Instr. Pac. Disc. 7. n. ult.) Quicquid ergo sit, de causa belli adversus Saxones justifica; nos hodierni Saxones omnes Deo psallimus, quòd nos per Carolum, Ministrum suum, ab idolorum cultu ad rectum de Deo sensum & verum in Deum cultum deducere voluerit. Potest ad hunc casum applicari trita juris regula: *Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licèt ille casus extiterit à quo initium capere non potuerunt* (l. 85. §. 1. de R. J.) Saxones autem tempore Caroli dividebantur in Ostphalos, Angrivarios & Westphalos, & à tribus etiam Principibus regebantur, qui tum fuere *Witikindus* Westphalorum, *Hesso* Ostphalorum, *Bruno* Angrivariorum Principes, quibus accessit quartus *Albio* Transalbinæ (id est, Holsatiæ) regionis Dux. Primarii illi tres Duces delegati quaternos subdelegatos habuerunt, de quibus ita Venerabilis Beda: *Saxones Regem non habent, sed Satrapas plurimos suæ genti præpositos, qui, ingruente belli articulo, mittunt æqualiter sortes, & quemcunque sors ostenderit, hunc tempore belli Ducem omnes sequuntur, & huic obtemperant; peracto autem bello, rursus æqualis potentiæ omnes fiunt Satrapæ.* Hi Saxones itaque postquam, periculosa belli aleâ tentatâ, diu imperio Carolino, Saxonum

Veterum Saxonum regimen.

libertati repugnanti, essent reluctati, tandem aliquando indomitum spiritum deponentes, colla Carolo submiserunt, ac Wittekindus & Albio sacro lavacro, prope Paderbornam tincti, in fide deinceps perstiterunt.

IV. Saxonibus in Germania domitis, eorumque ditionibus ad obsequium redactis, Carolus porrò victricia arma in Bojos expedivit. Boji Vindelicorum, Nariscorum, & Noricorum sedes possederunt; bonamque Rhetiæ inferioris partem. Consederunt primùm in Bohemia; postea quum imperante Augusto à Maroboduo, (*Marbot*) Marcomannorum Rege, expellerentur, secesserunt in provinciam Nariscorum, ubi hodie est Palatinus Superior: Inde Sedes suas dilatarunt ad fluvium Oenum (*Inn*) & in Vindeliciam, atque ita dicti Bajoarii, Bavari, Germ. *Bayern.* Hi dein tractu temporis fines longè latéque extenderunt. Romanis paruerunt annis 535. usque ad Anastasium I. Placuit ipsis dein regium imperium, primúsque, qui vim regiam exercuit, fuit *Adolagerius* (*Adelger*) filius Haunvvolfi *des Scheyrers*, ut Aventinus scribit, quem Bavari, postquam se à Romanorum potestate exemerant, in Regem suum post mortem Attilæ elegerunt, atque ita fundamenta Bavarici regni jecerunt. Posteri hujus Adolagerii diu regnum Bavariæ tenuerunt. Quum dein an. 739. Haunprechtus Rex vitam cum morte commutaret, ejus filius *Utel* voluit parenti in regiâ dignitate succedere: cæterum is à Carolomanno & Pi-

Boiorum sive Bavarorum antiquum regimen.

pino, Caroli Martelli filiis, prope Augustam Vindelicorum victus ac coactus, ut inposterum titulo Regis deposito Ducem se vocaret. Hujus filius Tassillo III. (*Tessel*) cum Carolo M. bella gessit, ac tandem cum filio Theodone (*Diethen den* VIII.) damnatus majestatis ac tonsus in monasterium Laversheimense (*Lorsch an der Bergstraß*) conjectus fuit. Regnum itaque Bavariæ in Germaniâ hoc modo Franciæ regno subjectum, & in provinciæ formulam redactum. Bavariâ subactâ Wilsos ad mare Balthicum habitantes, Francis molestos, Carolus invasit, Slavosque, ferro & igne domitos, imperata facere coëgit Sic itaque Carolus bonam Germaniæ partem, à majoribus jam ante Franciæ junctam, jure successionis tenuit reliquamque Germaniam victricibus armis sibi subjecit. Vt Caroli nostri res feliciter gestas in brevi tabellâ repræsentem, is paternæ virtutis æmulus, sub regni initiis belli jure Longobardorum regnum, in Italiâ capto eorum Rege Desiderio, Francico nomini subegit: Saxones sæpius rebellantes tricennali bello vicit; & quod ab initio semper egit verâ pietate imbuit: Sarracenos in Hispaniâ compescuit: Slavos, Danos & Bojarios tumultuantes in ditionem suam redegit: Hunnicum bellum felicissimè confecit: Idem denique rebus tot tantisque prospere ac feliciter gestis, tandem axioma Imperii Romani adeptus, & voluntate Pontificis Populique Romani Augustus est salutatus. Atque ita Romanum Imperium,

quod est ad Occidentem valde dilaceratum, præsertim ab eo tempore quum Cæsarum sedes Constantinopoli fuit, à Carolo Cæsare redintegratum est, ac veluti novum corpus, colorem atque speciem resumsit. *Iohannes Baptista Egnatius* nostrum Carolum tali elogio ornat: *Fuit in hoc Principe, quod incredibile multis videatur, pacis bellique par studium, insignis pietas, beneficentia singularis, humanitas quanta in superiorum Principum nullo: In rebus bellicis major ne virtus an felicitas extiterit, nescias: nullus certè ferociores gentes debellavit, nemo collatis signis sæpius dimicavit. Nemo bonarum artium studia indulgentius fovit: templa erexit: veræ religionis observator etiam in minimis extitit.* *Caroli M. encomium*

V. Tot itaque ac tantas provincias, sub Caroli unius Principatum redactas, is imperio sat absoluto rexit, Germaniaque sub Carolo portio regni Francorum fuit, ut Autor noster (§. 8.) innuit. Supra (*Disc. præced.* 4. *n.* 7.) vidimus quomodo Populi Germaniæ *Alemanni*, *Thuringi*, *Bajoarii*, à Francis devicti, auream & inæstimabilem libertatem, quâ prioribus seculis gavisi, amiserint, ac non liberi cives regni Francici, sed potius subditi facti sint. Alemannicis enim & Bajoaricis populis præfecti sunt magistratus non Alemannicæ aut Bajoaricæ, sed Francicæ prosapiæ. Insuper Thuringi tributum pendere sunt jussi, magistratus quoque & leges ex victoris populi arbitrio acceperunt. Neque enim in societatem assumpti, sed regno *Germaniæ status sub Regibus Francorū, & præcipuè sub Carolo M.*

Francico ſubjecti ſunt. *Friſii* quoque qui oram maritimam à Rheno uſque ad Viſurgim inſederunt, quorum regio à Carolo Martello, & poſt à Pipino in provinciam redacta eſt. Et quamvis Carolus M. illis libertatem reddiderit, tamen in civitatem Francorum eos minimè adſcivit. *Saxones* tempore Caroli M. Weſtphaliam omnem & Angrivariam, quicquid item eſt terrarum Salam inter, Melibocum montem, Viſurgim, Oceanum & Albim, quod ad Eidoram uſque amnem oræ eſt maritimæ, tenuerunt. Autor noſter rectè tradit, quod devictis Saxonibus à Carolo M. amplior præ reliquis libertatis quædam ſpecies fuerit relicta, dum eos in jura civitatis Francicæ adſcivit. Notatu digna hac de re ſunt verba Eginhardi in vitâ Caroli Magni: *Ea conditione à Rege propoſitâ, & ab illis ſubſcripta, tractum per tot annos bellum conſtat eſſe finitum: Ut abjecto Dæmoniorum cultu, & relictis patriis ceremoniis; Chriſtianæ fidei atque religionis Sacramenta perciperent, utque Francis adunati unus cum eis populus efficerentur.* Paulò plenius hunc contractum deſcribit Poëta ille anonymus & annalium Caroli M. autor, qui initum fuiſſe pactum cum Nobilitate Saxonum teſtatur; ubi per *Nobilitatem* intelliguntur *Furſten und Graffen*. Ex nobilibus enim apud Saxones Principes legebantur, & belli tempore Reges. Ex iiſdem Franci Saxoniâ potiti Comites deſignabant; quãvis durante bello Carolus honores magiſtra-

tusque Saxonicæ gentis alienigenis, & præsertim Scotis, mandarit, prout P. Æmilius testatur. Contractum Caroli, quem finito bello cum Saxonibus iniit, ita describit Poëta modò allegatus:

At verò censum Francorum Regibus ullum
Solvere nec penitus deberent, atque tributum
Cunctorum pariter statuit sententia concors.
Tum sub judicibus quos Rex imponeret ipsis
Legatisque suis, permissi legibus uti
Saxones patriis, & libertatis honore:
Hoc sunt postremo sociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret conditor unus
Ac semper Regi parens æqualibus uni.

Ex quibus patet solam Nobilitatem Saxonicam non verò plebem reliquumque populum Francicæ civitatis jus accepisse, ac in curam communis Reipub. concessisse. Patet hinc porrò omnem Saxoniam à Carolo postmodum partim per ordinarios magistratus, partim extra ordinem per Missos aut legatos, quod & in aliis provinciis obtinuit, fuisse gubernatam.

VI. Juncti ergo Francis Saxones, at non ut penitus subditi, sed ut unius Reipubl. cives. Unde *Witekindus* Corbejensis (l. 2.) ait: *Qui olim socii & amici erant Francorum, jam fratres & quasi una gens ex Christianâ fide, veluti modo, facta est.* Prudenter sanè Carolus M., quò ferocem Saxonum gentem eò melius ad mi[illegible]e obsequium redigeret, eorumque animos deliniret, complures Episcopatus & Abbatias per Germaniam fundavit, &

Tempore Caroli M. Germaniæ Civitas una ex Francis & Saxonibus composita.

& ita ope ſacerdotum (Vid. Autor. noſt. h. §. 8.) devictas Germaniæ gentes in officio continuit. Fundavit autem Carolus in Saxonia octo Epiſcopatus : *Oſenbruck*, *Munſter*, *Paderborn*, *Bremen*, *Verden*, *Minden*, *Naumburg*, *Merſburg* ; Et tot monaſteria quot literæ ſunt in Alphabeto. Hinc ipſe Witekindus & Albio, Saxonum, Reges indomitum ſpiritum deponentes, ac colla Carolo ſubmittentes, ſacro lavacro prope Paderbornam tincti, in fide deinceps perſtiterunt, & cæteris quoque pacis autores extiterunt. Atque inde eſt, quod Witekindo non ſolum avita bona manſerunt, ſed & Ducis Saxoniæ dignitas acceſſit, ut eſt apud *Albertum Stadenſem*, & inde reliqua inclytæ Saxoniæ Domus fundata excellentia, cum ſummâ fide Caroli poſteris inſtar hederæ, adhærens, unà cum iis ad id potentiæ faſtigium evecta eſt, ut ſimul affinitatem promeruerit, ſimul in regna illorum, & ipſum Imperii axioma ſucceſſerit. Ex hac conjunctione Francorum & Saxonum in unam civitatem porro eſt, quod, Carolinâ familiâ vel extinctâ, vel ab Imperio dejectâ, in electione Germaniæ Regum præcipuâ ratio fuerit habitâ Franconiæ & Saxoniæ Ducum, item quòd in electione Imperatorum & Regum Germaniæ maxima eorundem Ducum fuerit autoritas. Confer quæ in hanc rem affert *Burgoldenſis* (ad Inſtrum. Pac. Diſcurſ. 9. part. 1. n. 6.) Imò nonnulli Publiciſtæ non levi ratione adducti credunt, locum fixum

Saxonicæ Domus fides & excellentiæ origo.

Electionis Imperatoriæ *Francofurtum* ideo placuisse, quod *Saxenhusa* ex adverso Francofurto adjacet, quem locum Saxones durante bello Carolino ibi extruxerunt, ac muniverunt *in meinung das Sie (die Sachsen) alda hausen und bleiben Wolten*, ut loquitur Autor Chronici Francofurtensis. (add. *Burgoldens.* Discurs. cit. n. 11.) Et sanè fides & constantia in autoritate Cæsareâ propugnandâ hodiernæ Electorali Saxonicæ Domui quasi innata ac hereditaria est, ut Saxoniæ Elector sit vere Saxeus, id est, constans Cæsarique semper fidelis, in cujus rei argumentum etiam sertus rutaceus (*der Rautencranz*) insigniis Electoralibus immistus. Vt autem ad propositum revertar, Caroli M. temporibus status Reipub. Francorum & Saxonum fuit Regius, aristocratiâ Procerum Francicorum præcipuè, ut & Saxonum nonnihil temperatus, atque tum Germania nostra portio regni Francorum fuit. Hinc Carolus Francorum Regem & Saxoniæ Dominum se dixit, qui titulus (annotante idipsum Dn. *Conringio* in Diss. de Civib. Imperii) in iis literis, quibus Episcopatum Osnabrugensem condidit, legitur: *Carolus Imperator Augustus, Romanum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum & Longobardorum, nec non Dominator Saxonum.* Quod autem Procerum (ut & multitudinis) in regni negotiis magna fuerit autoritas atque potestas, vel patet ex capitulari Caroli M. (16. c. 217.) ubi ita: *De capitulis, quæ in legem noviter addita sunt, &*

postquã omnes cõsenserunt, subscriptiones & manus confirmationes suas in ipsis capitulis faciant. Apud *Theganum* Chorepiscopũ Trevirensem (lib. de gest. Ludov. I. Imp. c. 6.) de Carolo M. ita legitur: *Imperator eum intellexisset appropinquare sibi diem obitus sui, vocavit filium Ludovicum ad se cum omni exercitu. Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco positis, habuit grande colloquium cum iis Aquisgrani.* Vnde patet quinam Proceres illo ævo jus comitiorum habuerint. *Hincmarus* (l. 3. Epist. c. 35.) disertè scribit, Episcopis & Abbatibus in concilio populi sua fuisse subsellia. Quod jam antiquissimis Francorum temporibus hi Proceres in comitiis de maximis regni negotiis tractarint, clarescit ex initio Legum Alemannicarum, quod ita habet: *Lex Alemannorum, quæ temporibus Lotharii Regis cum Principibus suis, id est 33. Episcopis* (Abbatum hic non fit mentio, quòd primâ Francorum ætate id juris nondum essent adepti) 34. *Ducibus*, 72. *Comitibus, & reliquo populo constituta est.* In fine illius legis hæc habentur: *Hoc decretum est apud Regem & Principes ejus, & apud cunctum populum Christianorum, qui infra Regnum Merovingorum consistit.* Vbi populus oppositus Principibus non potest non plebem significare, cujus decreto etiam leges illæ Alemannicæ constitutæ. Notandum hic verò est, quod Carolo M. & Ludovico Pio ejus filio non Germania tantùm, sed & Gallia omnis atque Italia paruerit, atque adeò tum temporis ad concilium generale

rale ex omnibus illis locis ordines sunt vocati. Plura de Regimine Francorum Carolina ætate Vid *Discurs. praced.* n. 7. Caroli M. autem ætate, Germaniam, in complures provincias divisam, præfecti originis plerique (exceptâ Saxoniâ vid. n. 5. præced. h. Disc. Vid. tamen *Burgoldens.* ad nstr. Pac. Disc. 20. part. 1. n. 14.) Francicæ sub nomine Comitum & Marchionum administrabant, ut Autor noster §.8. rectè docet. Ita Carolus M. ad tuendos Imperii limites Marchionatum Badensem ad defendendum Rhenum, Marchionatum Austriacū sive Marchiam Orientalem adversus Hunnos; Misnensem contra Bohemos, Brandeburgensem verò adversus Wilsos & Sorabos aliasque Venedicas aut Slavonicas gentes instituit. Venedi enim non paruerunt integre Francis, nec in Societatem Reipub. recepti sunt, sed tributum solummodo penderunt *Eginharti*, rerum illarum peritissimi, luculentum hac de re est testimonium: *Omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Vistulam fluvios, Oceanumque & Danubium positæ &c. ita perdomuit* (Carolus) *ut tributarias eas fecerit. Inter quas ferè præcipuè sunt Welatabi, Sorabi, Aboriti, Boëmanni: cum iis namque conflixit, cæteras verò quarum longè major est numerus in deditionem accepit.* Sorabi tum inter Salam & Albim: Welatabi autem & Aboriti in Mecklenburgico solo consederunt. Præter Marchiones Carolini Francorum Regni, in complures provincias divisi, Præfecti fuerunt Duces & Comites. Ita

Marchionum in Germania origo.

Carolus Saxoniam armis devictam, quum antea ab uno Principe regeretur, in plura dominia (scil. Comitatus & Baronias) divisit (Vid. Dn. *Myleri* Archolog. c. 6. n. 10.) quod Politicum arcanum (nempe *Divide & impera*) etiam in Regno Bavariæ subjugato, ob rebellionem scilicet evitandam, adhibuit. (Vid. plenius Dn. *Conring.* in Diss. de Ducib. & Comitib.) Nimirum Frãci Reges Regnum suum Ducum nomine & Comitum operâ moderabantur, qui in illâ quidem ætate non suam, ceu propriam, sed publicam regni ditionem administrabant, ut egregiè docet *Vadianus* (lib. 1. de Colleg. & Monast. Germ. *Lehman.* l. 2. Chron. c. 16. 17. & seqq.) Etenim milites strenuos Carolus ad dies vitæ, provinciis in Ducatus erectis, præposuit, ut nomine Imperatoris Ducatus regerent, eique ubi opus esset, cum exercitu tempore belli adessent. Hinc Dux Germanicè dicitur *ein Herzog* quasi *ein Herr des Zoges:* Porrò ætate Caroli erat consuetum, ut ad singulas civitates, diæceses, districtus sive Pagos (Germ. *Govv*) mitteretur Comes (Germ. *Grave*, quæ vox judicem denotat) qui erat Episcopi Advocatus & Paganorum (*die in dem Govv Wohneten*) defensor & judex. Hi Duces & Comites à Regibus præficiebantur gentibus civitatibusque, ac, quum videretur, dimittebantur. Deinde inveteravit consuetudo, ut non, nisi sceleris convicti, abire imperio non cogerentur, ut testis est P. *Æmilius* (lib. 1.) & *Lehman.* (l. 2. Chron. c. 17.) In hoc mo-

Magistratus regni Francici sub Carolo M.

mentaneo & perſonali [ut ſic dixerim] Ducum & Comitum regimine Carolus illum ſolæciſmum contra Monarchiæ principia admiſiſſe creditur, quòd anſam dederit, ut Ducum & Comitum munera facta fuerint hereditaria, quemadmodum obſervare eſt in exemplo Comitum de Waldeck & de Gleichen apud Dn. *Myler* (in Archol. c. 8. n. 2.) Quomodo noſter Autor propterea Carolum & Succeſſores ſugillet apparebit infra. Porrò quoque in regimine Caroli noſtri notant, quòd Epiſcopis & Clericis, plus, quàm civile eſt, indulſerit, quum potius cogitare debuiſſet, uno illicito dato plura ſolere ſequi, Clericóſque ambitioſos digiti latitudine conceſſâ palmum & plus ultra amplecti. Ita in Carolo noſtro & Patre illius Pipino prudentes rerum civilium notant, quòd ſuperſtitioſo zelo Epiſcopo Romano & Sacerdotibus plus nimio indulſerint, ipſiſque inſtrumenta ambitionis atque luxuriæ addiderint. Exempla hæc, tenui tramite minimè circumſcripta, latiſſimè evagandi viam ſibi docente experientia, fecere. Sanè tempore Caroli M. Epiſcopi in Germaniâ aliive Clerici circa bonorum ac honorum aucupia multùm fuerunt ſolliciti, populumque ſedulo quintum Evangelium de Eccleſiaſtica prærogativa, quantopere ſcil. ſimus iis devincti, qui viam adipiſcendæ ſalutis æternæ inculcarent, docuerunt. Et quamvis Carolus ipſis urbes, arces ac territoria minimè conceſſerit; tamen pecuniam, mobilia, quandóque etiam

Errores Politici Caroli M.

prædia ab ipso obtinuerunt. Nimirum alma mater Religio sensim Clericis peperit divitias; cæterùm hæc monstrosa filia, ac viperinus veluti partus, ipsam matrem tandem necavit. Nam Imperatores multi, non probè attendentes, quòd Ecclesia sit in Republica, non verò Respublica in Ecclesia, dū in evehendis Sacerdotibus Politicam cynosuram susq; déque habent, nimiâ indulgentiâ in Clericos sibi tandem jugum illud Ecclesiasticum Romani Antichristi fabricarunt, quod etiam nunc cum aliis Principibus, qui Papam veluti serpentem ac viperam adhuc in sinu suo fovent, ferre atque sustinere coguntur. Sanè Carolus noster eo ipso, quòd non parum in extollendis Sacerdotibus, quorum subsidio religioso Saxonum ferocem gentem sibi devinxerat, occupatus fuit, offensionis ac scandali primum lapidem posuit, quem dum successores intactum reliquerunt, & in cautum non perhorruerunt imo omnibus modis statuminarunt; Imperii corpori pillulæ maximè perniciosæ sunt propinatæ, quas quum concoquere neque vellet neque posset, sæpe multum & diu Respublica (corporis illius anima) inter vitam & mortem anceps atque dubia pendere necessum habuit. Sinit ac maneant in pace manes Caroli nostri; sepulchrum tamen ejus rosæ & lilia minimè spargunt, quod Ecclesiasticos, in Harpyas dein degenerantes, extra Politicos terminos atque cancellos collocare satægerit. Non certe decebat, Richardo Episcopo Her-

bipolitano secularem concedere dignitatem; (Vid. *Cranz.* in Metrop. Proæm. & l. 1. c. 9.) contra τὸ πρέπον Politicum itidem erat, Abbati Campidonensi tradere Comitatum cum omnimoda territoriali jurisdictione. (V. *Brusch.* de orig. Monast. l. 4. c. 21.) Nata ex hac politicâ prodigalitate postea cantilena, Papæ-Discipulis quidem grata, ast in opprobrium & dedecus Imperatoriæ Majestatis desinens, nempe: *Herbipolis & Campidona sola, judicat ense & stola.* Sed utinam in hisce solis error ille jus fecisset! (V. *Burgoldens.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 20. n. 8.) Sed quum satis de regimine Caroli dictum sit, manum de tabula. [Vid. pl. Dn. *Boecler.* in Carolo M.]

VII. Quâ conditione sub Carolo M. fuit nostra Germania, eadem etiam sub Ludovico Pio gavisa est, nisi quod hic paternis nonnullis vestigiis, iter minimè rectum exprimentibus, insistens, errores paternos circa Magistratus ac Sacerdotes in immensum auxerit, auctoritatemque & potentiam præfectorum in majus promoverit, ut rectè etiam Autor noster [§. 8. h.] animadvertit. Huic rei, non adeò boni exempli, tenuis trames sub regimine Caroli paterno erat datus, qui postea exlege & latissimè evagandi licentiâ quâ datâ portâ ultra civiles terminos luxuriari incæpit. Filii enim Ducum & Comitum in magnis illis magistratibus patribus surrogati, tantáque liberalitate erga sacrum ordinem usus Ludovicus, ut Episcopos, qui prop-

Status Franciæ ac Germaniæ sub Ludovico Pio.

ter animarum regimen Principes cœli ſunt Principes regni effecerit (*Helmold.* 1. Chron. Sclav. c. 4.) De hoc Ludovico quidam tale tulit judicium, quod fuerit nimium pius, id eſt, ſuperſtitioni indulgens, & propterea Politicas literas cum verâ pietate offenderit: *Er hette nichts mehr gekont als gar zu fromm ſein*; quod nocet magnis imperiis. Tres filios ſibi diſcordes vidit, neque ſatis coërcuit: perpetuum poſteris exemplum futurus Principis ſcil. qui nimiâ lenitate vivus & videns ſe Remque Publicam peſſundare, quàm jure ſuo impigre uti maluit. Motibus illis ipſe anſam dederat, dum præcipiti & incauto in ſanguinem affectu Lotharium Imperij conſortem, Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Germaniæ Reges declaraſſet. Diviſâ quippe auctoritate Imperatoriâ, animi ſimul populorum diſtracti ſunt, & hinc ſemina turbarum, toti Imperio fatalium. Faſtus tum & luxus inſuper Epiſcoporũ fuit maximus, quem quum corrigere Imperator anniteretur, atq; id ægre ferrent Epiſcopi conſpirarunt contra Imperatorem, & crudelitate immani filios Imperatoris contra Patrem concitarunt, quos etiam permoverunt, ut contra eum, qui ipſos genuerat, arma ſumerent. Imò in deteſtabili ac pernitioſo Compendii concilio, in quo Epiſcopi & præcipui conjurati convenerant, condemnatus fuit Imperator, Supremus Princeps & Dominus illorum, & coactus arma & cingulum militare deponere, Imperiali dignitate ſe abdicare, ac cucullam habitumque Mona-

Epiſcoporum Frãcorũ faſtus ſub Ludovico Pio.

chorum induere. Hoc facinus Papam Gregorium IV. cum suis Ecclesiasticis concitasse annales commemorant. O falsitatis & malitiæ plena hypocrisis Sacerdotum! (Vid. pl. *Gaguin.* l. 4. c. 2. Dn. *Boecler.* in Ludovico Pio.) Quis verò status Franciæ ac Germaniæ fuerit sub Ludovico Pio, & quanta Episcoporum ac Præfectorum tum in negotiis regni fuerit autoritas, potest perspici ex iis, quæ ex Adelhardi, propinqui Caroli M. libello *de Ordine Palatij* recitat *Hincmarus* Archiepiscopus Rhemensis, in aulicis regni negotiis ætate Ludovici Pii ejusque filiorum versatissimus, (l. 3. Epist. c. 29.) his verbis: *Consuetudo tunc temporis trita erat, ut non sæpius, sed bis in anno, placita duo tenerentur. Unum quando ordinabatur status totius regni ad anni vertentis spatium:* (loquitur hic de communi totius populi concilio) *quod ordinatum nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toti regno incumbebat, mutabat. In quo placito generalitas universorum Majorum,* (addendum *Minorum*) *tam Clericorum quam Laicorum conveniebat. Seniores* (id est: Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Duces ac Comites) *propter consilium ordinandum: Minores propter idem consilium suscipiendum, & interdum pariter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententiâ confirmandum.* Et cap. 30. *Cæterum propter dona generaliter danda aliud placitum* (loquitur hic de particulari concilio quorundam ex Principum aut Primorum ordine delecto-

Status Fräciæ ac Germaniæ sub Ludovico pio & successoribus.

rum) *à Senioribus tantum & præcipuis consiliariis habebatur, in quo jam futuri anni status tractari incipiebatur*,&c. Vnde 1. patet omnem populum Francicum tum jus comitiorum obtinuisse 2. Seniorum , id est , Procerum & primorum regni, majorem autoritatem fuisse quàm Minorum, id est, multitudinis sive plebis. Illorum autoritas elucebat in consilio ordinando ; horum in eodem consilio suscipiendo, ceu ex verbis Hincmari patet. Interdū tamen (ut ex iisdem Hincmari verbis adductis apparet) multitudo pariter cum majoribus tractavit res illas maximas , & habuit potestatem ea quæ placuerant Primoribus, confirmandi , & quidem ex proprio consilio, non ex mandato. (add. l. 1. *Capitular. Ludovici* sub init. & c. 22. & 24.) Tanta autem fuit pręPlebe Procerum , Francici Imperii temporibus, autoritas , ut omnis ferè comitiorum potestas ferè penes illos solos fuerit. Vnde *Hincmarus* (l. 1. Epist. c. 10.) *De generalibus Ecclesiæ ac regni negotiis , sine generali Primorum regni consensu & consilio secretum dare consilium nefas : etiam consensum deliberare non volo* , prout refert Dn. *Conring.* in Diss. de Civib. Imp.

Ingens mu[illegible] Fran[illegible] & [illegible] Lu[illegible] Pij filij.

VIII. Mortuo Ludovico Pio, postquam ingentibus prœliis filii sese mutuo & Rempub. omnem misere afflixissent, pace tandem constitutâ , tres fratres superstites , totidem in partes omne Francorum Imperium divisere, quæ præcipua causa fuit convulsæ potentiæ prostratæque familiæ Francicæ , ut

Autor noster (§. 9.) rectè judicat. Adeò etiam hoc respectu verus evadit vulgatus versiculus, cum micâ salis tamen intellectus:

Unio Divina est, divisio Dæmone nata.

Nam hoc modo Imperium Francicum, quod sub uno inconcussum ac stabile manere poterat, in plures particulas scissum, quàm maximè debilitatum, & tantum non ad extremam tabem pervenit. In hoc verò erciscundæ familiæ negotio *Carolo* Ludovici Pij filio obvenit Francia Latina sive Occidentalis (quæ hodie dicitur *Franckreich*) Arari, Rhodano, Scaldi, Mosâ, Oceano Britannico ac Pyrenæo saltu conclusa: Franciam verò Teutonicam, (ita enim Autores Franciam divisam distinguerunt) sive Orientalem, id est, Germaniam ultra Rhenum cum utraque Pannoniâ Ludovicus, alter Pij filius; Reliquas autem opes, id est, Galliam Belgicam, quæ Austrasia dicebatur, cum Burgundiâ, Provinciâ sive Galliâ Narbonensi, Italiâ, Româ & titulo Cæsareo, *Lotharius* filius tertius, quartus verò Pipinus Aquitaniam crevere. Ab eo tempore avulsa fuit à reliquo corpore Imperii Francici Germania, huicque partitioni originē ac jura propria debet Regnū Germaniæ, uti tum quidē ac diu postea audiit, antequam Romani Imperii cognomentum ibi invalescéret. Huic porrò divisioni originem itidem debet Occidentale Francorum Regnum, quod nunc absolutè Francicum dicitur (vid. Dn. *Conring.* de Finib. Imper. l. 1. c. 2. & 3. Dn. *Boecler.* in Ludovico I. & Lothario I.)

Origo Regni Germanici.

Hac divisione à reliquo corpore Imperii Francici Germania nostra avulsa in Ludovico Rege proprium regnum, Germanicum dictum, constituit. Huic autem Ludovico cesserunt (præter Austriam, Bavariam, Alemanniam & Franconiam) Frisia, Saxonia, Venedorum potior terra, & urbes ad Rhenum; postea cum hoc Germaniæ regno coaluit & illa portio, quæ cis Alpes ad Lotharium ex eadem divisione devenerat, & olim regnum Austrasiæ dicebatur, à Lothario verò regni Lotharingici appellationem sortita, veteremque Galliam Belgicam inter Rhodanum, Ararim, Mosam, Oceanum & Rhenum exæquabat (conf. Autor. h. §. 9. Vid. supra *Disc. 2. de Finib. German.* ubi de Lotharingiâ agitur.) Et quamvis Ludovico, Germaniæ Rege primo, mortuo inter Carolomannum, Ludovicum & Carolum tres Ludovici filios, Germanicum regnum pari omnium dignitate juribusque divisum; (*Otto Frising. l. 6. c. 6.*) tamen, cum Carolomannus & Ludovicus nullam legitimam sobolem relinquerent, Carolum, fratrem tertium, qui crassus dicebatur, heredem habuere, atque ita unita rursus Germania postea indivisa mansit, ex lege fortè, etsi non extet, aut tamen consuetudine, quæ facile invalescere potuit, quum Carolo Crasso nulli; Arnolpho unicus Ludovicus, & huic iterum ut & Conrado I. nulli masculi liberi essent. (*Burgoldens.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 5. n. 7.) Otto M. deinde Regno Germaniæ adjecit Italiam

Regni Germanici incrementa.

& æterno fœdere, cum Romanis inito, Imperii Romani Occidentalis dignitatem. Porrò Conradus III. Imp. Burgundiæ ſive Arelatenſe regnũ cum Germanico & Lotharingico conjunxit. Quomodo verò poſt fatale Friderici II. Imp. interregnum Regnum Germaniæ iterum decreverit ſupra Diſcurſ, 2. latiſſimè expoſitum.

IX. Autor noſter porrò (§.9.) rectè aſſerit quod inter exitialia bella, quibus Caroli M. poſteri inter ſeſe colliſi, Procerum Germaniæ potentia magna incrementa ſumpſerit. Nam primum, quod Epiſcopos attinet, in illos, lapſis Francorum rebus, ita largæ factæ ſunt Imperatorum donationes, ut oppida etiam & vici ipſis concederentur, & tandem quoque Ducatus ipſis permitterentur (Vid. *Vadian.* l. 2. de Colleg. & Monaſt. fol. 94. *Burgoldenſ.* ad Inſtr. Pac. p. 1. Diſc. 20. n. 8.) In Duces verò & Comites ſub Ludovico II. III. & Carolo Craſſo, etiam, benevolâ Imperatorum largitione, hereditariæ provinciarum atque pagorum dignitates conferri filiiſque Ducum & Comitum patribus ferè ſurrogari cæperunt. (Vid. *Hincmar.* Epiſt. 3. *Lehman.* l. 2. Chron. c. 16. & 44.) Cumque ex coalitione plurium Comitatuum voluntate poſterorum Caroli M. aliquot Ducatus inſtituti, qui magna terrarum ſpatia amplectebantur; Ducatibus illis præfecti, data occaſione utendum rati, proprias ſtabiliverunt opes, præſertim quum Imperatorum Francicorum autoritas magis magiſque

Status Germaniæ poſt Ludovicum Pium Imp.

vileſcere inciperet, inteſtinis diſcordiis convulſà potentià. Hac ætate itaque quum Procerum Germaniæ, id eſt, Epiſcoporum, Abbatum, Ducum atque Comitum potentia indies gliſceret, atque in majus excreſceret, facile cernere eſt, eorum quoque autoritatem in comitiis majores quoque vires acquiſiviſſe. Et quidem Ludovici Germanici ætate ſolius Germanici propriè dicti regni Ordines comitia conſtituerunt, quum Carolus Calvus Franciæ Rex in injuriam Ludovici Germanici Imperatoriam dignitatem occuparet; poſtea in idem Germanici Regni concilium Lotharingici ſtatus quoque adſumpti ſunt. Imò Caroli Craſſi Imperatoris temporibus, tanta erant Proceres autoritate, ut, quum is Triburias Tranſalpinos Proceres convocaſſet, & in illo conventu ad eos de Repub. retuliſſet, hac occaſione oblatâ Germaniæ Proceres illum accuſarent, quod ſive ætatis (erat enim adoleſcens) ſive naturæ vitio tractandis rebus parum conſilii atque nervorum haberet, tumque ipſi communi conſilio regnum abrogatum, & in Arnulphum collatum. Quæ tamen dejectio Caroli ex Imperii throno occaſionem dedit varias invadendi Imperii partes, & nova regna per Italiam, Burgundiam & alibi conſtituendi; neque hæc depoſitio Caroli aliter excuſari poteſt, quam quod Ordinibus fas fuerit, omnibus modis cavere, ne quid reſpubl. aliquid detrimenti capiat ab ignavis Regibus, qualis communi opinione tum habitus fuit ille Ca-

rolus. Autor noster porrò (§. 9.) annotat, quod exitialibus bellis civilibus cum Carolinis posteris tandem stirps Caroli à regno Francorum dejecta sit, & , quod Germani ex suæ nationis Proceribus Reges elegerint, nec amplius cum Francis communi Imperio usi fuerint. Historiam hujus rei vid. apud *Burgoldens.* p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 9. in tot. Iurene, an injuria jus constituendi Imperatorem post tempora Ludovici Germanici sibi asseruerint Germaniæ nostræ Proceres, inter Germanorum & Gallorum Publicistas controvertitur. Et licet hæc lis Domitiana & planè inutilis sit, tamen Germanorum nostrorum jus firmissimo ac solido fundamento inniti nemo, nisi rerum illius ætatis ignarus, inficias ire poterit. Nam Imperatoria dignitas, Ludovico Germanico post obitum Ludovici Pii Imperatoris potiori successionis jure debita, à Galliæ sive rectius Franciæ Rege Carolo Calvo (qui Neroni quam Trajano similior) intercepta, postea quoque aliter, Pontificum maximè perfidiâ, detenta fuit, Regesque Germaniæ Hungaricis & quibusdam civilibus bellis implicati, competentiam Imperatoriæ dignitatis tum sibi vindicare haut potuerunt ; donec tandem felicissimis Ottonis M. armis jus illud Germaniæ nostræ rursus vindicaretur, atque in perpetuum transcriberetur.

X. Ex iis quæ hactenus Discursibus 3. 4. & 5. ad Autorem nostrum illustrandum in medium attulimus patet ab antiquissimis usque

temporibus in nullo populo Germanico (nisi Suecones fortaſſis excipias de quibus vid. Tacit.) fuiſſe infinitam Regibus poteſtatem. Francorum itidem Reges neque belli & pacis, neque ferendarum legum; neque indiscendorum tributorum, nec vitæ & necis, primariorum ſubditorum plenum jus habuiſſe; ſed quicquid horum eſt ad ſummam Reip. regendæ poteſtatem pertinens, non niſi de Ordinum conſenſu potuiſſe in comitiis decerni; quod ipſum plenius ex annalibus Francorum liquido apparet. Libertas itaque Germaniæ Procerum ab antiquo viguit ac floruit, quæ hodienum quoque viget ac floret. Sed de his hactenus.

DISCURSUS VI.

De Origine Progreſſu & diminutione Romani Imperii, item de Tranſlatione Imperii Romani Occidentalis primum ad Francos, dein ad Germanos, & de hodierno Germanorum Imperio Romano.

Ad cap. I. §. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

I. DE tranſlatione Imperii Romani Dn. Autor noſter §. 10. & ſeq. h. c. erudite diſſerit, nempe quod Romani longè latéque, nobiliſſima Orbis terrarum parte perdomitâ, remoto dein Carthaginis mutuo metu, bellis civilibus, nullum triumphum

habentibus inter ſe collidi, atque ita in exitiū libertatis ſuæ domigraſſari cœperint. Notabiles de bello civili inter Cæſarem, Pompejum & Craſſum ſunt *Petronij*, puriſſimæ ſanè impuritatis Pœtæ, verſus:

Tres tulerat fortuna Duces, quos obruit omnes
Armorum ſtrue diverſà feralis Enyo:
Craſſum Parthus habet: Lybico jacet æquore Magnus;
Iulius ingratam perfudit ſanguine Romam:
Ac quaſi non poſſet tot tellus ferre ſepulchra,
Diviſit cineres: hos gloria reddit honores.

Et quidem ſi ſtatum libertatis Reip. Romanæ poſt Carthaginis excidium inſpèctemus, haud alius quàm corruptiſſimus offertur; in quo non jus, non leges, non pax valebant, ſed ſtudia infeſtiſſima nunc ſurgentium, nunc ſuccumbentium factionum; per quas, armato in ſuum exitium populo, Mariana quidem Cinnanaque rabies intra urbem præluſerat, ut Syllana tempeſtas latius detonaret. Cauſa mali eadem, quæ omnium, nimia atque luxurians felicitas (*Vellej. Paterc.* l. 2. in pr. *Flor.* l. 4. c. 2.) Signanter quoque *Florus* (l. 3. c. 12.) *Quæ res* (inquit) *alia furores civiles peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit: mox Aſiatica Pergameni Regis hereditas. Illæ opes atque divitiæ afflixere ſeculi mores: merſamque vitiis ſuis, quaſi ſentinâ rempub. peſſumdedere. Unde enim Pop. Romanus à Tribunis agros & cibaria flagitaret, niſi per famem, quam luxu fecerat? Hinc ergo Graccha-*

na & prima & secunda, & illa tertia Apulejana seditio. Unde regnaret judiciariis legibus divulsus à Senatu eques, nisi ex avaritia ut vectigalia Reipub. atque ipsa judicia in quæstu haberentur? Hæc Florus. Appositè quoque *Salustius* (B. C. cap. 11.) *Qui laborem* (ait) *pericula, dubias atque asperas res facilè toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miseriæque fuere. Igitur primò pecuniæ, deinde Imperii cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, cæterasque artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, falsos fieri subegit aliud clausum in pectore, aliud promptum in linguâ habere amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare; magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Hæc primo paullatim crescere, interdum vindicari: Post ubi contagio, quasi pestilentia, invasit; civitas immutata; imperium ex justissimo atque optimo, crudele intolerandumque factum.* Hæc Crispus Romanâ primus in Historia. Egregie quoque hac de re *Lucanus* (l. 1. B. civ.)

Hæ Ducibus causæ suberant: sed publica belli
Semina, quæ populos semper mersere potentes.
Namque ut opes nimias mundo Fortuna subacto
Intulit, & rebus mores cessere secundis?
Prædaque & hostiles luxum suasere rapinæ:
Non auro tectisvé modus, mensásque priores
Aspernata

Aspernata fames : cultus gestare decoros
Vix nuribus : rapuere mares, fœcunda virorum
Paupertas fugitur : totoque arcessitur orbe,
Quo gens quæque perit.
Hinc usura vorax, avidumque in tempore fœnus,
Et concussa fides, & multis utile bellum.

Aliam causam affert *Machiavellus* (l. 3. Hist. Floren.) Ex gravibus & natura insitis inimicitiis, quæ inter Nobiles plebemque conspiciuntur, quę inde potissimum originem trahunt, quòd illi quidem imperare, hi verò minimè obedire satagunt, omnes calamitates scaturiunt, quæ Respublicas utplurimum agitare solent : siquidem ex horum diversitate humorum, omnes res cæteras, quæ publicum statum alioquin corrumpunt, nutriri animadvertimus, hinc Roma in dissidia secessit, hinc etiam Florentia (si modo magnis componere parva liceat) distracta divisaque fuit. Hæc ille. *Salustius quoque* (B. C. cap. 33.) in hunc modum : *Sæpe ipsa plebs aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum armata, à Patribus secessit.* Inde certè provenere omnia dissidia : inde originem traxit contentio cum Decemviris, inde plebis secessiones : inde Tribunorum cum Patribus contentiones, inde Marii & Syllæ certamina, hoc pro ordine Nobilium, illo verò pro Populo stante : & denique Cæsaris & Pompeji certamina, Cæsare, juxta Syllæ vaticinium, multos

Marios complectente, & Pompejo æquiori erga optimates (vid. Dn. *Scheock.* l. 1. de Sedit. c. 4.) Et præcipuè poſt lectos Tribunos plebis & plebe admiſsâ in ſocietatem honorum, certamina perpetua inter plebem & patritios tantum non quotidiana fuerunt. Sic enim P. Mucius Conſul, Scipione Naſicâ auctore, cum Tiberio Graccho Tribuno pl. quietum ſtatum civitatis lege agrariâ convellente, atque Tribunitiis rogationibus popularem auram aucupante, adjuvantibus reliquis optimatibus decertavit: Sic cum C. Graccho, Tiberii fratre, eadem moliente L. Opimius; cum L. Saturninio C. Marius; cum M. Druſo L. Philippus; cum P. Sulpitio L. Sylla; cum Cinna Octavius; cum Carbone iterum Sylla; M. Cicero cum Catilina; M. Bibulus cum C. Cæſare contenderunt. In hoc itaque rerum Romanarum ſtatu dum aliis odio eſt nimia quorundam potentia, alii partam retinere, alii parem comparare ſtudent, aliis Procerum, aliis populi, aliis militum ſibi ſtudia conciliantibus facilè tandem pauci, cæteris majores, Cæſar, Craſſus, Pompeius, de invadenda Reip. fluctuantis anarchia convenere. Hoc dein triumvirali Oligarchico Statu peſſimo (quam Ariſtoteles tyrannidem multorum capitum vocat) exiſtente, fato ſocialis potentiæ, rarò ſempiternæ, iſta paucorum dominatio, æmulatione exortâ poſt decennium iterum periit. Mortuo enim Craſſo, Pompejo ſuſpectæ Cæſaris opes, & Cæſari Pompejana dignitas

grauis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Inde fax belli civilis. Quo Superior Cæsar perpetui Dictatoris nomine omnia mox sub potestatem accepit. Ita multorum in Repub. Rom. de Imperio certamen in oligarchiam sive paucorum potentiam; hæc verò facile dein in unius, qui aut melior cæteris, aut viribus major, dominationem conversa. Per omnes itaque tracta Imperiorum formas atque exercita Roma, Regum, optimatum, & (cum Tribuni plebis, flabra illa seditionum, prævalerent) populi etiam dominationem, pressa Ordinum continuis dissensionibus, postquam paucorum potentiæ se per annos jam plures sensisset obnoxiam, tandem ineluctabili fatorum vi urgente (Vid. Dn. *Forstner* ad Ann. Tacit. p. 31.) veterisque Reipub. instituta moribus hominum haud diutius ferentibus, unius Principis arbitrio rerum summam submisit, & ita discordantis Reipub. non aliud remedium fuit, nisi ut ab uno regeretur. (Vid. *Tacit.* l. 1. Ann. c. 1. §. 3. & ibi Dn. *Boecler.* *Boxhorn.* Diss. 14. de Imper. Rom.) Ergo ex laceratis usque adeò veteris Reipub. visceribus, augustissima illa Cæsarum Monarchia, famosissimumque illud Imperium Romanum est enatum; cæptum quidem & fundatum à Divo Iulio Cæsare & Imperatore, sed iterum pugionibus Bruti & Cassii in Cæsaris persona quasi confossum & accisum; revocatum tamen à C. Octaviano Augusto, & dein à successoribus auctum, ita ut Iulius Imperii

Corruptus Reipubl. Romanæ status.

illius fundator, Augustus verò, qui solidum illius Monarchiæ ædificium absolvit, ejusdem Architectus dici queat; Vnde *Tacitus* (l. 1. Ann.) testatur, quod Augustus cuncta discordiis, civilibus fessa nomine Principis sub imperium acceperit. Neque id injuria, utpote quum nihil magis expediat discordanti Reip. quam unius absolutissimus principatus. Et jam tum eo redegerat Pompejus Populum Romanum, ut salvus esse non posset, nisi beneficio servitutis. (*Seneca* l. 5. de Benef. c. 16. & l. 2. de Benef. c. 20.) Cujus rei rationem in judicio de prælii Philippensis eventu exponit *Dio* [l. 47. Hist.] hunc in modum: *Non potest fieri ut Reip. populari ad tantam imperii amplitudinem & potentiam provectæ, civilis moderatio duret. Itaque futurum erat, ut aliis super alia certaminibus impliciti, vel ad extremam servitutem vel ad interitum Romani redigerentur.* (add. Illust. Dn. *Forstner* ad l. 1. An. Tacit. p. 2. 3. & *Boecler* ibid. ad c. 9. n. 6.) Mutationes Reipub. Romanæ in brevi quasi tabellâ nobis Vir Clarissimus Dn. *Martinus Schoockius* Gröningæ olim mihi familiaris, ita depingit: *A Bruti temporibus* (ejectis scil. Regibus) *quis status Romæ fuit sub consulibus primum plebs suspicionum plena, nomen, domos, imperia consulum exagitabat: Patres plebem bellicis laboribus exhauriebant sumptibusque: Plebs oppressa ære alieno plerumque vinculis adstricta moliebatur seditiones, faciebat secessiones, donec obtineret suos Tribunos. Hi lege agrariâ & de connubiis opes*

Patrum & auctoritatem subvertebant. Patres contra faciebant Decemviros. Plebs Consules plebejos ac Tribunos militares. Durabantque hæc difficilia, usque dum exorirentur Gracchi & Sullæ & Marii, & Pompeji, Iuliique, qui imperium inquietissimé se habens sub Consulibus corrigerent, & potestate regiâ in tranquillitatem pristinam reducerent. Et nisi subinde gravia intervenissent bella, metusque ab exteris, qui malè cohærentes istas inter se Reipub. partes nonnunquam ad concordiam impellerent, nunquam tanto tempore potestas illa consularis duravisset. Tam misera fuit libertas illa, quâ Romani tantopere gloriantur, ut domi non haberi posset, nisi per injurias exterorum. Vt verò post diuturna certamina plebis & nobilium, Romana Respub. venit in potestatem Iulii Cæsaris, sic post illum serviit. Hactenus Schoockius.

II. Octavius itaque Cæsar Augustus, Iulio succedens, non solum togæ, sed & quam maximè belli artibus Monarchiæ suæ fastigium confirmavit. (Vid. *Tacit.* l. 1. Ann. ibique Dn. *Forstner.* & Dn. *Boecler.*) Hic enim Romanæ Monarchiæ non conditor (ut Autor putat) sed Autor & amplificator (quippe Iulius fundamentum & primum, quod dicitur, lapidem posuit, Augustus parietes, Tiberius verò tectum hujus ædificii Politici absolvit, & ita fundatam, atque auctam Monarchiam omnibus numeris stabilivit) hic, inquam Augustus, uti ope militari imperium quæsierat, ita per eosdem,

Origo & progressus Imperii Romani.

ut verissimè Autor innuit, idem sibi servandũ esse facilè perspexit; utpote quum *imperium iis artibus soleat haut difficulter retineri, quibus ab initio partum est.* Laudat in eo genere Augusti solertiam *Tacitus*, qui (l. 1. Ann.) disertè scribit, quod militem donis, populum annona placarit. Et quid amplius desideres in Imperio, militari, (prævalente tamen) & togatæ autoritati multitudinis innixo, quam si milites inaurentur, & panis ac justitia in foro abundet? Augustus noster porrò, legiones & leges, duo mundi magna brachia esse cernens, rempubl. ita composuit, ne quem novi status pœniteret; & hoc quidem peregit non uno ictu, atque præcipiti ac sonorâ festinatione, sed paulatim, ut ita minimo sonitu Orbis ille Reip. convolveretur atque concuteretur. Quod provincias extra Italiam spectat, earum alias, easque pacatas, populo, quasi in illius patrimonio essent, transcripsit; alias vero easque impacatas (validiores vocat Suetonius) sibi retinuit, atque hac ratione inermem imbellemque efficiebat, & ad se solum arma milites que, præcipuam imperii vim, cum armatis provinciis transferebat. Verendum siquidem erat, ne tandem se ludibrio haberi Senatus intelligeret, reprimendarumque ejus molitionum consilia agitaret. Vt itaque vana sine viribus esset ira, & populus, si vel maximè vellet, præsentem rerum statum corrigere non posset, omnem illi potentiam tempestiviter incidendum rectè statuit, ut prudenter monet Dn. *Schmidelius* (ad Diss. 15. Boxhorn. de Imper. Rom. p. 505.)

Et hoc est Politicas scire literas! Legiones autem & auxilia in provinciis ita distribuit, ut ad tutelã claustrorum imperii, prę sertim ad Rhenum in Germania, nihil desideraretur. Quod posterioribus tẽporibus à Constantino M. & aliis neglectum, interitum ac ruinam totalẽ Imperii Romani Occidentalis secum traxit. *Magnum* quippe *imperij corpus magna animãdum est mente, multisq; tuendum est manibus*, ut ait, Tacitus ille Belgii, *Famianus Strada* (de Bell. Bel. sub init.) De neglecti hujus muniminis detrimento præclarè Dn. Monzambani noster civis (Italus scilicet!) *Onuphrius Panvinius* (lib. 3. de Imper. Romano) cujus verba infra h. Disc. n. 5. adducentur. Sed redeundo ad Imperii Romani Auctorem Augustum ille posteris reliquit Imperium Mari, Oceano aut amnibus longinquis septum: legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa: jus apud cives; urbem ipsam magnifico ornatu, quo sociorum erga se venerationem, & hostibus consternationẽ incuteret. *Causa ruinæ Imperij Romani.*

III. Post Augustum Romanum Imperium solidè jam extructum, mansit aliquamdiu in successoribus integrum, maximéq; sub Trajano Imperatore ad absolutæ felicitatis cumulum fuit perductũ, uti pluribus ex Plinii Iunioris Panegyrico cõstat. Rectè verò Autor noster (§.10.) notat præcipuum hujus Romani Imperii arcanum curatissimis simulacris involvedum, & à vulgi militaris intelligentia submovendum, in eo fuisse situm: *Penes militem scilicet esse Imperatores solio admo-* *Vis Imperij Romani in manu militum.* *Romani Imperij arcanum.*

vere, & deturbare. Hoc arcanum poſtquam evulgatum fuit, miléſque Romanus, præcipuè Prætorianus, exiſtimavit in ſuâ poteſtate eſſe, Imperatores Romano Orbi dare, miſera pariter Imperii & Imperatorum conditio extitit, ut accuratè Autor (l. c.) exponit. Conſtat enim ex annalibus rerum Romanarum milites non rarò levi de cauſâ eos, quibus Imperium detulerant, non modò deſtituiſſe, ſed per tumultum quoque occidiſſe, offerendo utplurimum Imperium illi, à quo concitatus fuerat, & donativum expectabat, ut quidam non minus ſcitè quàm verè Imperium hiſce temporibus *Tubam militum* appellet, idque cum *pilâ* inter manus militum datâ & acceptâ comparet. Ita *Pertinaci*, viro cæteroquin & Imperatori bono, factio præparata eſt per Lætum præfectum Prætorio, & eos, quos pertinacis ſanctimonia offenderat. Ad Pertinacem verò trecenti armati è caſtris ad Imperatorias ædes venere, cuneo facto: tantum autem omnium aulicorum in Pertinacem odium erat, ut ad facinus milites hortarentur. A Tanſio tandem ei haſta in pectus objecta; quo facto togâ caput operuit, atque à cæteris confoſſus eſt. Caput interfecti conto fixum, ac tota urbe circumvectum in caſtra milites pertulerunt. Nimirum neglexit, aut ſcire noluit hic Imperator D. Auguſti literas Politico-militares. Arcana regni ratio Auguſti erat militem omnibus modis donis placare atque ærario militum conſtituto, illum ſibi fidum & obnoxium retinere: Con-

Factio milita is Romanorum Imperatorum verè violenta de [illegible] in [illegible] Imperatores.

tra Pertinax lucri cupiditatis, & avaritiæ suspicione non caruit; ideoque minus armatus, militibusque gratus & acceptus fuit. Post Pertinacem *Caracalla* in Mesopotamia consilio Macrini Præfecti Prætorio, à Centurione Martiali pugione est confossus, post quem *Macrinus* à militibus Imperator dictus, sed ab iisdem in latrinâ occisus. Ælius Lampridius sub initium vitæ Alexandri Severi: *Milites* (dicit) *jam insuevrant sibi Imperatores & tumultuario judicio facere, & item facilè mutare, afferentes nonnunquam ad defensionem, se idcirco fecisse, quòd nescissent Senatum Principem appellasse, nam & Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum, & Avidium Cassium, & antea Lucium Vindicem, & L. Antonium, & ipsum Severum, quum Senatus jam Iulianum dixisset Principem, Imperatores fecerant: atque ista res bella civilia severat, quibus necesse fuit militem, contra hostem paratum, parricidialiter perire.* Triginta Tyrannos *Trebellius Pollio* (in vit. Claudii) ob leves mutationes eleganter vocat *tumultuarios Imperatores ac regulos.* (Vid. Dn. *Schroock.* l. 1. de Sedit. c. 41.) Quin & *Alexander magnâ cum laude Severus* militibus gratus: *Milites*, dicebat, *se magis servare, quàm seipsum, quod salus publica in his esset*; Ab iisdem tamen est occisus, & post illum ab exercitu Imperator factus *Maximinus Trax*; Verum quum propter crudelitatem milites iratiores sibi redderet, medio die, cum in obsidione Aquilejæ in tentorio cum filio quiesceret, ab iisdem

ambo interfecti, addita voce: *Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum. Pupienum* & *Albinum* oderant milites, quòd auctoritate Senatus ad Imperium evecti essent, cujus acclamationibus, statim ab initio factis, non parum irritati fuerant: *Sapienter electi Principes sic agunt; per imperitos electi Principes sic pereunt.* Itaque ut militum animi semel odio imbuti refrenari nequeunt; sic non desierunt prius occasiones quærere utriusque interficiendi, quod etiam tandem factum. Quem exitum illi sibi ipsis jam inde ab initio ominari visi erant. Nam Maximus cum & sibi & Albino judicio Senatus Imperium deferretur, Balbino (teste *Herodiano*) dixisse fertur: *Quid tu Balbine & ego merebimur, cum hanc tam immanem beluam* (sic verò Maximinum vocabat) *exitio dederimus?* Cumque Balbinus dixisset: *Senatus Populique Romani & orbis terrarum amorem ferventissimum:* Subjecit Maximus: *Vereor ne militum odium sentiamus & mortem.* Interemptis Pupieno & Balbino *Gordianus* Cæsar à militibus Augustus est appellatus; Sed huic *Philippus Arabs* milites infestos reddidit, cumque Philippus & Duces exercitus corrupisset, tantùm effecit, ut palam Philippus ad Imperium posceretur. Primùm igitur Philippus à militibus jussus est, ut quasi tutor Gordiani pariter cum eo imperaret. Cæterùm quum favore militum fretus Philippus se superbissimè gereret, ac Gordianus apud milites de eo conquestus nihil efficeret; saltem ut æquale inter eos im-

perium esset petiit, nec impetravit. Petiit dehinc ut loco Cæsaris haberetur, neque id obtinuit. Petiit porrò ut Præfecti loco esset Philippo, sed & hoc negatum est. Vltimæ preces fuerunt, ut eum Philippus pro Duce haberet, & vivere pateretur. Ad quod quidem pene consenserat Philippus, sed cum favorem populi Romani in Gordianum perpenderet, metueretque fieri posse, ut factione militum Imperium aliquando Gordiano redderetur; cum recentes in Gordianum iræ militum famis causâ vehementes essent, clamantem in conspectum duci, ac spoliari & occidi jussit; quod etiam mox impletum est. Verum & hic Philippus, per quod peccavit, ipse punitus, & à militibus Veronæ cæsus est, medio capite supra ordines dentium præciso. Post illum *Decius* Imperator ab Illyricano exercitu dictus. *Gallus* deinde Cæsar factus à legione unâ & militum reliquiis, quæ integræ Scytharum fide remanserant. Hoc cum filio Vibio Volusiano cæso, *Æmilius Æmilianus* à militibus electus, & pariter ab iisdem interfectus. Post hunc *Valerianus* jam valde senex ab exercitu factus Imperator; quo à Persis capto substitutus filius *Gallienus*, luxuriæ atque socordiæ deditus; Hinc quum in contemptum veniret, exorti sunt sub eo 30. *tyranni*, qui omnes ad Imperium adspirarunt; Cæterum hi omnes erant à militibus per tumultum contra Gallienum constituti, inter quos unus *Regillianus* Illyriæ Dux Grammatico militum joco Imperator factus. Nam eum milites qui- *Grammatico joco*

militum Imperator Rom. electus.

dam cum eo cœnarent (ut refert *Trebellius Pollio*) astitit Valerianus Tribunus, qui diceret *Regilliani nomen unde credimus dictum?* Alius continuo subjecit: *Credimus quod à regno.* Tum is qui aderat Scholasticus (quem verè appellare posses Scolasticam vulpeculam, *einen Schulfuchs*) cœpit Grammaticè declinare & dicere.: *Rex, Regis, Regi, inde Regillianus:* Idem ferè est ac si diceres: *In ix, ut talpa,* ut hodierni Latini res inconvenientes describere solent. Militaris tamen turba, Nominali isto vate & Phantastâ audito, ut est hominum genus pronum ad ea, quæ cogitant, dixit: *Ergo potest Rex esse?* item alius: *Ergo potest nos regere?* item alius: *Deus tibi Regis nomen imposuit.* En consequentiæ fraudem, ac consectarium sine sequela! Perinde enim est ac si à baculo, in angulo stante, ad pluviam argumentari velis. Sanè milites isti Philosophorum regulâ: *A posse ad esse non valet consequentia*; item: *argumentum ab etymologia non currit quatuor pedibus*; planè ignorarunt. Quid multa? Grammatica in hisce Imperii turbis vicit Politicam, & quum aliâ die mane processissent, Imperator salutatus est Regillianus. Ita quod aliis vel audacia vel judicium detulit, huic jocus militaris. Cæterùm & hic à militibus interemptus. Interfecto porrò *Aureliano* fraude Scribę & errore militum, quæri in exercitu cæptum est, quis fieri deberet ex omnibus Princeps? Tum odio præsentium exercitus, qui raptim alioquin Imperatorem creare solitus erat, literas ad Senatum misit, petens, ut ex suo ordine Prin-

Nomen interdum in omen & rem ipsam abit.

Fallacia consequentiæ commissa in Electione Romani Imperatoris.

Grammatica vincit Politicam.

cipem legerent. Verum Senatus sciens, Principes à se lectos militibus non placere, rem ad milites retulit. Re per sex menses inter Senatum & exercitum disceptatâ, Senatus *Tacitum* Imperatorem designavit; Consul tamen cum de eligendo Imperatore ad Senatum retulisset, addidit hanc clausulam: *Aut accipiet eum exercitus, quem elegeritis, aut, si repudiaverit, alterum faciet.* Receptus tamen est ab exercitu, cui & stipendium & donativum ex more promisit. Tantum tum gaudium Senatus fuit, quod eligendi Principis curâ ad Senatum rediisset, ut & supplicationes decernerentur, & Hecatombe promitteretur, & ut Senatores ad suos & externos scriberent, gratulantes sibi invicem, quòd Respubl. in antiquum statum restituta esse videretur. Literæ etiam ad Provincias missæ sunt, quæ hoc significarent omnibus: *Senatum Principes legere, à Senatu leges petendas Reges Barbaros Senatui supplicaturos, pacem ac bellum Senatu auctore tractantes.* Cæterùm hæc lætitia publica brevi in *La Mi* (ut Germani nostri loquuntur) abiit, dum Tacitus insidiis militaribus sexto Imperii mense interemptus est, similéque fatum illius frater *Florianus* expertus. Postea cum ad exercitus in Oriente nuncius venisset de Taciti obitu, animus fuit militibus prævenire Italicos exercitus, ne iterum Senatus Principem daret. Electus itaque ab exercitu *Probus*, quam electionem Senatus acclamatione suâ comprobavit. Verum & hic exitum antecessoribus

Mutati Status brevegaudium.

communem ſortitus, & quum per Illyricum iter faceret, per inſidias à militibus ſuis interemptus eſt. Cauſæ occidendi ejus fuerunt dicta in milites, blanditiis Imperatorum ſuorum adſuetos, ſevera & gravia: *Annonam gratuitam militem comedere non debere:* Item: *Brevi milites neceſſarios non habebimus.* Ipſe Probus ab exercitu electus milites ita allocutus: *Non vobis expedit milites: non mecum bene agitis. Ego enim vobis blandiri non poſſum.* Extincto Probo, Caro, Numeriano exercitus *Diocletianum* Auguſtum appellavit, qui Carinum, præliis ſecum concertantem, & tandem ab exercitu deſertum, vicit & proſtravit. Quomodo Mauritius Imp. cum familia ſua à militibus trucidatus ſit, annales rerum geſtarum luculenter exponunt. Conſtantinæ Auguſtæ, conjugi ejus tale Epitaphium poſitum:

Hic ſita ſum Regũ, dolor heu, miſeranda duorũ:
Uxor Mauritij, filia Tyberij.
Quæ, partu monſtrante meo, fœcunda, probavi
Multorum eſſe etiam poſſe bonum imperium.
Militis huc furor, & populi levis ira, maritum
Me ſobolémque meam ſanguinolenta tulit.
Heu mihi, quod gemitis Nioben? ego mortua ſpiro,
Aſpera continuis ſaxa rigo lachrymis.
Cladibus haud Hecubæ certent Iocaſtaq; noſtris,
Nam levior dolor eſt: caſus uterque parens.
Sæve, quid infantes perimis vitiique dolique
Ignaros? ætas quid dedit illa mali?
Nõ tibi Roma meis jam præbeo frõtibus umbram,
Turbine Threicio ſtirpitus interij.

IV. Ex hactenus adductis satis clarescit, quòd Imperium Romanum durante militari in constituendis Imperatoribus licentia vagâ, in turbido & nimium vacillanti statu fuerit, atque ex libidine avari aut turbidi vulgi sæpe pessimos homines cervicibus suis imponi senserit, sæpe optimos Rectores immani scelere sibi immature eripi luxerit, ut prudenter Autor noster animadvertit, qui etiam ex militari hac eligendi licentiâ, in qua spiritus & anima quasi Monarchiæ Romanæ tum pependit, causam & rationem affert, quare Imperatores, à perpetuo Romano exercitu delecti, firmam successionis spem ad posteros suos transmittere non potuerint, utpote quum precarius semper spiritus inter venales fuerit trahendus. Imò Florianus, Taciti Imperatoris germanus frater, quum post ejus mortem suo arbitrio, quasi hereditario jure Imperium arriperet, vix duobus mensibus Imperium tenuit, & Tharsi à militibus occisus est. Adeò absolutæ licentiæ illud Symbolum: *Mori præstat, quam precario Imperatorem esse*, in militari hac Romanâ Monarchiâ locum [illegible] non potuit. Nimirum avaritia, ut omnium ferè militum, ita & Romanorum, præcipuè hoc regni & imperii statu (ubi eis constituendi Imperatores erat pe[illegible]) animos occupaverat, ad omniaque erant venales, & parati turbas dare, in gratiam illius, à quo pecunia corrupti erant, ut verissimum sit illud Poëtæ & Historici *Lucani* (l. 5. Pharſ. verſ. 246.)

Militaris Romani Imperii miser status.

præmia miles

Dum majora petit, damnat causamq; ducemq;

Et scelere imbutos etiamnum venditat enses.

Vel unicum illud Philippi Arabis exemplum supra (n. 3. h. Disc.) adductum inspice, & vera, quæ scripsi, deprehendes. Aliud exemplum de Antonini filio sub Macrino vid. ap. *Herodian.* l. 5. c. 4. Avaritia, mater illa & radix omnium malorum, quid in Rerumpubl. conversione possit, vide supra h. Discurs. n. 1.

Causæ decrescentis Imperij Romani.

IV. Quum nullum violentum diuturnum esse soleat; ita quoque Monarchia illa Romana vi ac licentiæ militari innixa, ad diuturnitatem minimè idonea fuit. Autor noster præclarè (§. 10.) notat, quod ruinam ejusmodi militaris ac quasi Martii Imperii insigniter promoverint Constantinus M. & Theodosius Imperatores. Ille, quòd fixâ Byzantii sede, legiones validissimas à ripâ Rheni & Danubii dimoverit in Orientem: Hic, quòd inter filios Arcadiũ & Honorium (quos ignavissimæ indolis Autor vocat) Imperium diviserit. Prudenter sanè acutissimus noster Italus hasce genuinas ac veras convulsi Imperii Romani causas hic annotat. Et quidem quòd Constantinum attinet, magnopere laudandus, quod decreverit urbem sui nominis ædificare, & ita monumentum, ære perennius, post mortem suam relinquere. Quod Augustus urbem Romam instinctu Mæcenatis magnificè ornarit, & è lateritiâ quasi marmoream reddiderit, hanc rationem

rationem *Dio Cassius* (l. 52.) reddit: *Dum in multos imperium obtineamus, decuerit nos per omnia antestare. Augebunt nimirum & ista* (urbis honestamenta) *sociorum erga nos venerationem, & hostibus consternationem incutient.* (add. Dn. *Forstner* ad l. 3. Ann. Tacit. in fin.) Minime itaque reprehendendus noster Cõstantinus quod Byzantium, (urbem Thraciæ, in angustissimo freto Propontidis positam, & binâ vice sub Severo Pertinace sc. *ac* Gallieno eversam atque deletam) instaurare, firmiter munire, multis ornamentis exornare, ac de suo nomine Constantinopolin (Turcæ hodie Stampoldam vocant) appellare voluerit. Pleraque autem ornamenta ex tota Asia, Europâ & Africâ ad ejus dedicationem advehi curavit, unde illud Hieronymi est: *Constantinum nudasse urbes, ut Constantinopolin ornaret.* Lege quoque sanxit urbem hanc Novam Romam habendam, deductis illuc multis antiquorum Romanorum familiis. Cæterum hoc meritò in Constantino nostro arguimus, quòd Imperii sedem in hanc Novam Romam transferre occæperit. Cogitare etenim debebat omnem mutationem in Politicis haberi periculosam, & non raro aliquid monstri ali à subditis quando Domini tam longè absunt, quò pertinet Germanorum nostrorum proverbium: *Wen die Kaze nicht zu Hause ist, so tanzen die Mause auf den Bancken.* Et quis ignorat; *Columbas latius, quam par est sibi evagandi licentiam facere, si accipiter non in propinquo*

Solœcismi Politici Constantini M.

Aula Regum [illegible] Princip[illegible] immobiles.

habitat; *Wen der Habicht nicht uf dem Heck-ſizet*. Proinde nihil magis è re Reip. erit, quàm ſi aulæ Regum & Principum ſint ita fixæ & immobiles uti Polus in cœlo; & Principem aliàs in umbilico regni ſui debere conſiſtere *Piccartus* (in Obſerv. Hiſt. Pol.) præclarè annotat. Sanè hæc mutatio ſedis Imperatoriæ magnam in Imperium quoque mutationem induxit, quâ Italiæ & totius Occidentis Status plurimum languefactus eſt, Epiſcopuſque Romanus (*der Romiſche Pfaff*,) ob abſentiam legitimi Imperatoris & Domini ſui, poſtea, ingruentibus in Italiam Barbaris, ſenſim ea peregerit, quæ plus quàm Apoſtolica ſunt. Inſignem quoque Solęciſmum Politicum Conſtantinus Imp. in eo commiſit, quòd, Politicas Auguſti literas negligens, legiones validiſſimas ad Rhenum & Danubium, in quibus quaſi murus aheneus Imperii Romani verſus Germaniam conſiſtebat, inde in Orientem revocarit. Auguſtus certè Imperator, ejuſque ſucceſſores, facilè ſubodorati ſunt Imperii ſui ruinam à Germanis populis poſſe proficiſci, unde omni ſtudio & opera eos quàm longiſſimè à limitibus ſuis remotos voluerunt, tot legionibus hinc inde oppoſitis, ut Cæſaris aliquot loca expendens probè conſignavit *Stephanus Paſquierius* (lib. 1. des Recherches de la France. ch. 10.) Hoc ipſum quum non probè ſecum expenderet noſter Conſtantinus, legionibuſque Rhenum & Danubium nudaret, quid mirum, ſi dein è Germaniâ Cis-Rhenanâ, va-

ginâ illâ bellicosarum gentium, Gothi, Vandali aliique populi à Romanis toties lacessiti, & invasi, exierint, qui, Alpibus superatis injurias, à Romanis ipsis à tempore Iulii Cæsaris illatas, tam strenuè atque masculè ultum irent? Cogitare debuisset Constantinus magnum Imperii corpus multis manibus, præsertim in limitibus atque claustris, esse tuendum. Facit huc testimonium *Onuphrij Panvinij* (lib. 3. Descrip. Imper. Rom.) ubi sic inter alia: *Exposui præcipuam Imperij casus causam fuisse, novam illam, quam Constantinus Imp. fecit, imperij constitutionem, quâ auctore Zozimo, Rheni & Danubii ripas XV. legionum præsidio spoliavit, &, quod unum firmissimum ac stabile erat, quum in duo divisisset, infirmum & imbecille reddidit.* Carolus Sigonius (in Præfat. de destruct. Imper. Occid.) ita hac de re: *Româ sede Occidentalis Imperii relictâ, Constantinus alterum Orientali domicilium struxit, & proprios utrique magistratus adjunxit. Quâ divisione invectâ res Romæ, ad id temporis usque validæ & magnificæ, quasi infirmiores ac deteriores effectæ, primum occultè labi, deinde apertè præcipitari cœperunt, quousque ad extremum potentiâ hostium corruerunt. Hostes verò fuere Scythæ atque Germani, qui ultra Imperij limites Istrum Rhenumque flumina constituti, atque in varias gentes populosque divisi, quotidianis agrorum incursionibus, atque assiduis bellorum contentionibus Imperium misere primùm lacerarunt, deinde funditus everterunt, adeò ut, si elementa*

omnia in hujus universitatis exitium conspirassent, neque facilius, neque pernitiosius, neque miserabilius tantam tamque opibus firmam Imperii molem dissipatura videantur, quàm cum Principibus temere sævientibus ac Barbaris atrociter irrumpentibus, ipsę provinciæ clade etiam apud posteros lachrymabili pervastatæ sunt: donec vetere demum sublato in Occidente Imperio novas Barbarorum dominationes, & nova regnorum domicilia receperunt. Hæc Sigonius. Porrò quoque Constantinus malè Imperio in eo consuluit, quòd inter filios totum in partes diviserit, atque illud ipsam etiam causam convulsæ Francorum potentiæ dedisse jam supra (Disc. 5. n. 8.) diximus. Constantino autem natu maximo Galliæ, Hispaniæ & Alpes Cottiæ, Britanniæ item & Hiberniæ obvenerunt: Constanti Italia & Aphrica cum Insulis, Illyricum & Græcia: Constantio Oriens & Thracia. Constantinus autem non contentus suis provinciis, novamque divisionem à fratribus exigens, post longas quærimonias bellum civile movit, in quo ipse cæsus, ejusque provincias omnes invasit frater Constans, contra quem dein insurrexit Magnentius, qui percussoribus immissis Constantem trucidavit, tandemque summa rerum ad unum Constantium, Gallo patruele & collegâ obtruncato, rediit. Sed satis de Constantino. In Theodosio I. Imp. porrò notat errorem Politicum Autor noster, dum inter filios Imperium divisit. Hic etenim Imp. postremus Romanum Imperium

Theodosii Imp. error Politicus.

in Occidente & Oriente integrum tenuit; Eclipſin tamen rationis in eo paſſus, quod, rebus omnibus feliciter geſtis, duos filios conſortes Imperii fecit, Arcadium Orienti, Honorium Occidenti præficiens. Sic enim pro uno duo regna extitere, nulli alio uſui, quàm ut divulſus Orienti Occidens barbaris eo facilius ſuccumberet ut Autor (§. 10.) prudenter judicat. Nam poſt obitum Theodoſii ſub Honorii Occidentali regimine Gothi ſub Alarico Rege Italiam ingredientes ipſam Romam tandem cepere, & ita, captâ ſede Imperii Occidentalis, Occidentali Imperio colophonem impoſuerunt, Romamque Gothico ſuo regno adjecerunt. Sub Honorii itaque regimine in Occidente videmus præcipuè fructus Solæciſmi illius Politici, quem Conſtantinus M. in removēdis legionibus à Rheni & Danubii ripis commiſit, atque hoc modo Barbaris late patentem portam quâ finibus & latibulis ſuis vagarentur, pandit. Alaricus ille Gothorum Rex, qui antea apud Theodoſium ductor exercitus contra Eugenium fuerat, mirabilemque ac conturbatum Imperii ſtatum tum temporis quum videret, in Italiam ingreſſus, ſedem ab Honorio expetiit, cui etiam Galliam adverſus Francos defendendam conceſſit. Cæterum quid ſit? Alaricus terras promiſſas cum occupare intendit, Gothi, die Paſchatis nihil tale ſuſpicantes, à Stiliconis militibus adorti, qui tamen victi tandem ac proſtrati. Hinc Gothi, in rabiem furoris acti, Romam

Error adversus Gothos commissus.

Desidia Honorii Imperiũ Occidentis ad occasum deducit.

contenderunt cuncta igne ferroque vastantes: Vrbs ipsa per biennium obsessa, capta est. A. C. 41. Durante obsidione quos errores commiserit Honorius ita describit *Procopius: Obsederat*, inquit, *Alaricus Romam jam biennio, nec Honorius qui Ravennæ desidebat, aut ferre suppetias poterat, aut audebat. Nam cum nihil minus, quam de urbis salute sollicitus esset, Stilicone interfecto ducem exercitui minimè præfecerat, qui rem adversus Gothos administraret.* Et post: *Cum nunciatum Honorio esset Ravennæ, Romam perditam: credidit ille de catello, vel, ut alii narrant, de pugnaci Gallo, cui nomen indiderat Romæ, significatum esse: admiratumq́, vehementer tam subito periisse eum, qui cum paulò ante festivissimè luserat. Adeò socordis ingenii Princeps fuit, nec quicquam omnino paternæ avitæque virtututis retulit.* Hæc Procopius. Adeò verum sæpenumero evadit illud: *Heroum filii noxæ.* Forsan hic Imperator credidit sibi victoriam adversus Gothos è cælo devolaturam; quum tamen Sapientissimus Regum dicat: *Equo ad pugnam parato, victoriam à cælesti Numine præstari.* Officium sanè est imperare, non Regem esse, ut prudenter inculcat Stoicorum Princeps Seneca. Nec minus sapienter ille: *Ad clavum sedeo; & tu ad somnum me vocas?* Scitè quidam, Regem, Politicas literas ignorantem, coronatum appellat asinum. Certè hic Honorius ignavi prorsus fuit ingenii, & adeò negligens in gubernatione, ut literas multas ipsius nomine edendas, ne quidem

relectas à ſeſe, ſubſcriberet, & in ſummo Reipub. diſcrimine voluptates ſuas tantum quæreret. Talis autem quum eſſet Honorius quid mirum, Si Roma, orbis & urbium Regina, Barbaris ceſſerit? quid porrò mirum ſi Stilico, perfidiæ & doli mali pleniſſimus, ea agitarit, quæ plus quam civilia ſunt? *Es iſt der Bock alhier zum Gartner und der Wolff zum Schaffhirten gemacht.* Hic enim cum tutor conſtitutus eſſet Imperii Occidentis, immemor beneficiorum à Theodoſio I. in ſe collatorum, immemor etiam affinitatis cum Honorio, regnum tamen Eucherio filio affectans, ingentia Imperio intulit mala. Nam, quia ex gente Vandalicâ, Gothis inimica, oriundus erat, Suevos, Alanos, Burgundos & populares ſuos Vandalos, magnâ ſpe prædæ, ad Gallias hoſtiliter invadendas occultè ſollicitavit, ſperans fore, ut aut Honorius bello ſuccumberet, aut filius in regni conſortium veniret. Poſtea Gothos ex inſidiis opprimens (ut ſuperius dictum) reliquiis eorum occaſionem præbuit, ut, duce Alarico, tandem Romam, Imperii Occidentalis caput, invaderent. Et quamvis Stilico patefactis pernicioſis conſiliis juſſu Honorii cum filio Eucherio occiſus ſit; tamen Imperium occidentis Barbaris prædæ expoſitum, & valde dilaceratum, Gothis Italiam, Hiſpanias verò & Gallias, Vandalis, Suevis & Alanis (adſumptis in ſocietatem belli Francis & Burgundis) rapinis & incendiis vaſtantibus, ac Imperio eripientibus. Honorio

Stiliconis perfidia consilia plus quã centum millia armatorum Imperio Occidentis nocent.

Decrementa Occidentalis Imperii ſub Honorio.

Decremẽtum Imperii Occidentis sub Valentiniano III.

mortuo ipsi in Occidente successit Valentinianus III. ultimus Imperatorum Occidentis, sub quo quicquid de Imperio in Occidente reliquum fuit, id per Barbararum gentium infusionem avulsum, proprios ferè Reges sibi sumpsit. Vandali, Alani, hoc tempore in Hispania consistentes, dissidiis & factionibus Romanorum Ducum in Africa, Aëtii scil. & Bonifacii, invitati, mare trajicientes, & acciti à Bonifacio, Africæ partem sub Genserico Rege subjugarunt, & tandem, captâ Carthagine, quæ 580. annis Romanis paruerat, Regnum Vandalicum condiderunt, Vandalique postea in Aphrica relicti fœdus cum Valentiniano inierunt, qui pacem cum eis fecit necessariam magis, quam utilem. WestGothi quoque, quibus Honorius, coactus suâ voluntate, Galliam Aquitanicam inhabitandam concesserat, regni sui pomœria latius in Gallia dilatarunt, acceptisque utrinque cladibus Romani tandem cum iis contra transactionum communem regulam, quâ unum datur, alterum retinetur, omnibus datis, quæ armis occuparant, pacem fecerunt. Calamitosissimis etenim hisce temporibus nullum jus apud Barbaros occurrebat, illeque qui gladium tenebat in manibus, optimè de finibus disputabat. In Britannia porrò cum Scotorum & Pictorum rapinæ & impetus indies continuarentur, neque Aëtius, Præfectus Galliæ, contra viciniores hostes occupatus, auxilia, iterum & sæpius flagi-

Vandali.

Uvest Gothi.

Anglo Saxones.

tata, Britannis præstare posset, illi Angelorum Saxonicam gentem, tum ad Rheni ostia hærentem, ad patriæ suæ defensionem invitarunt. Hi quum specie amicitiæ in Britanniam trajecissent, hostesque feliciter repulissent, postea armis in Britones conversis sub prætextu, quod stipendia non apparerent, revera pulchritudine insulæ ad sceleratum habendi amorem allecti, totam ferè insulam sui juris fecerunt, atque etiamnum cum Scotis, interjectis limitibus, illi insulæ imperant. Hoc modo Britanni veteres, cupientes vitare Scyllam in Charybdin inciderunt, ac simul cum patria & nomen (Britanniâ in Angliam Politicè transformatâ) amiserunt. Quomodo porrò Galliam & Italiam Attila sub Valentiniano III. Imperatore afflixerit Historici latè tradunt.

Politica reminiscentia de excidio Imperii Occidentalis.

V. Ex iis, quæ paulò fusius ad Autorem nostrum illustrandum adduximus, ruinam & excidium occidentalis Imperii, & qua occasione illud contigerit, satis clare constare arbitror. Scilicet (ut brevibus hoc iterum commemorem) pleraque illius Imperii jam Honorii & Valentiniani III. Cæsarum ætate à Germanicis gentibus, hactenus Danubio & Rheno seclusis, sunt occupata, & ita illâ tempestate non totis quinquaginta annis perierunt Romanis pæne mille annorum labores, quos acquirendis iis insumpserant. Ita sanè Hispania Vandalis, West-Gothis ac Suevis: Gallia Francis ac Burgundis: Britannia Pictis, Scotis, Saxonibus Anglis:

Vindelicium ac Noricum, ut & Rhætiæ potissima, Bajoariis atque Alemannis: Pannonia post alios Hunnis ac demum Hungaris cesserunt. Ne ipsam quidem Italiam in ditione sua Populus Romanus retinuit. Hanc enim West-Gothi & Vandali incursionibus suis sub Honorio & Valentiniano III. summè debilitarunt, eamque dein Heruli, mox Ost-Gothi insederunt. Sed quæ causa tanti Imperii Occidentalis excidii? Tanti mali causas Constantino M. alii, qui humanâ & Politicâ ratione hasce mutationes rimantur, adscribunt (Vid. supra h. Disc. n. 4.) Alii socordiæ successorum Theodosii. Noster Autor (§. 10. h.) in utrorumque castra transit, qui præterea in ea opinione esse videtur (in verb. §. 10. *non deteriore jure* &c.) quòd per tale Occidentalis Imperii excidium Romanorum malè parta, malè quoque tandem sint dilapsa; quum non soleat esse diuturna ejusmodi possessio, in quam gladio & vi violentâ inducimur, ut Magistri rerum civilium pluribus in civilis prudentiæ libellis ostendunt. Quod verò Romani, qui Reip. suæ bellum pro scopo præfixerunt, sæpissime injustis causis bella gesserint, atque ita diversarum provinciarum dominia acquisierint, habemus confitentes ipsosmet Romanos. Cypri occupatæ iniquitatem improbant summopere *Cicero* (Orat. pro domo sua) & *Ammianus Marcellinus* (l. 14. Hist.) De Corintho excisâ idem *Cicero* (l. 3. de offic.): *utilitatis specie in Repub. sæpissime peccatur, ut*

Romani sæpe injustis bellis sibi regiones acquisiverunt.

in Corinthi deturbatione nostri. Carneades Philosophus (ut ex Cicerone refert *Lactant.* l. 5. Instit. c. 17.) ita: *Si justitia sit observanda Romanis ad casas redeundum esse*: Galgacus apud Tacitum ait, quod raptores Orbis Romanos ob nimiam avaritiam nec Oriens nec Occidens satiet. (Vid. pl. *Artur. Duck.* l. 1. de Autor. Iur. Civ. in domin. Princ. Christ.) Quid igitur mirum, si bello acquisita, bello quoque amissa sint, & de male quæsitis sera posteritas gaudere non potuerit? Potissimam & principem hujus notabilis conversionis causam, ego fatali cuidam supremi Numinis indignationi adscribo. Percenseat quis à principio conditi Imperii Romani usque ad Arcadium & Honorium plerorumque Imperatorum impietatem, improbitatem, tyrannidem, crudelitatem, persecutiones in Christianos, dein, fundato Christiano Imperio, impias hæreses, Apostasias, adulteria ac omnis generis vitia, & mirabitur, quare nõ citius Imperii illius prora & puppis interierit? quum propter injustitiam Deus O. M. regnum de gente in gentem transferat. Cæterum lento gradu ad vindictam sui divina quidem procedit ira; sed tarditatem supplicii gravitate pænæ compensat. Id quod tandem præcipuè Valentiniani III. temporibus in Occidentis Imperio re ipsa deprehendere est. Brevi siquidem spatio, videlicet intra annos 44. bis capta Roma, primum sub Honorio à Rege Gothico Alarico, altera vice à Rege Vandalico Genserico post mor-

tem Valentiniani III. qui adulteriis & magiâ contaminatus, scelerum & ipse,& Imperium Occidentis pœnas dedit. Sic justus est Deus,& justa sunt judicia ejus, ut ipse Mauritius Imperator, quum mox gladius militaris in cervicem ejus esset stringendus, ultimo elogio confirmavit. Ipse Attila, quum durante regimine Valentiniani III. Galliam & Italiam & aliàs provincias miserandum in modum affligeret, & omnia longè lateque vastaret, à quodam Galliæ Episcopo, cui nomen Lupus, non sine causa ita salutatus; *Salvum te advenisse gaudeo, quem judico flagellum esse Domini, & Dei mei, missum ad castigandos populos.* Quod olim Assyrii & Babylonii Reges fuerunt Israëlitis, id hodie Turcæ sunt Christianis. Cæterum summum Numen rursus expiatum, flagella ista tandem in ignem conjicit. Dicant ergo alii, quicquid libet, ac conferant convulsi occidentis Imperii causam cum Autore in Constantinum, Theodosium & alios, ego sanè statuo ineluctabilem esse fatorum vim, & cujuscunque Imperatoris ac Regis Imperium & Regnum mutaturus est Deus, ejus consilia corrumpere solet, manumque injectantibus fatis sensus imperantium hebetari solent, ut, quod accidit, meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Vt vel hinc appareat esse Fatum & Numen & sanctam Dei immortalis curam quæ per causas medias, variè connexas, omnia temperat, & propter injustitiam regna de gente in gentem trans-

Attila flagellum Dei.

fert. Deus ſiquidem eſt, qui transfert & ſtabilit Imperia. (add. Illuſtr. Dn. *Forſtner.* ad l. 3. Annal. Tacit.) Certè, quoties hujuſmodi Regnorum ac Rerumpubl. viciſſitudines adſpicio, & intra præcordia mea tacitus perpendo, toties cogitationum hanc ſummam facio; quòd nihil ſtabile & fidum fluxa norit mortalitas, & quòd admiranda Numinis ſapientia in cõverſionibus Rerump. cunctis ob oculos ponat, nulli ſcilicet permanentem in hoc mundo civitatem eſſe. Nunc rurſus ad propoſitum.

Imperium Occidentis reſolvitur in varia regna.

VI. Quum itaque (uti dictum) Imperium Occidentis à Barbaris hinc inde diripitur atque corrumpitur, varia rurſus ex eo generata ſunt regna. Ita ſub Valentiniano III. ex direptis Imperii illius provinciis exortum eſt. (1.) *Regnum Francicum* ſub primo Francorum Rege Pharamundo circa A. C. 420. (Vid. quæ ſupra Diſc. 4. & 5. de Francis tradidimus.) (2.) *Regnum Anglicum* conditum ab Anglo-Saxonibus, qui à Virigerno Britannorum Rege contra Pictos & Scotos conducti ingreſſi ſunt Britanniam an. 449. (ut ſcribit Beda) & fertilitate Inſulæ capti ibi conſederunt, atque ita etiam illam partem Romano Imperio ſubtraxerunt. (3.) *Regnum Burgundicum*, quod Burgundiones, populi Germaniæ, ea parte Galliæ, quæ adhuc hodie Burgundiæ nomine inſignitur, fundarunt. (4.) *Regnum Alemannorum* ab Alemannis, ubi nunc eſt Suevia & Helvetia, conſtitutum. (5.) *Regnum Bojorum* à Bojis in Bavaria & Nori-

co fixum atque locatum. (6.) *Regnum Ost-Gothorum* in Pannonia. Nam Gothi Pannoniæ hoc regnum tenuerunt ante Attilam Hunor. R, cujus potentia oppressi sunt. Cæterùm post ejus mortem Gothi rursus præ Attilæ filiis rerum potiti sunt & ita retinuerunt regnum in Pannonia per annos circiter 100. donec Theodoricus Rex ex Pannonia Italiam dein intraret, & à Zenone Imp. Orient. contra Odoacrum mitteretur. Hinc postea Hunni & Avares tempore Iustiniani redierunt, & effusi sunt in ea loca, quæ hodie Walachiæ & Bulgariæ nomine veniunt, & in vicinam Pannoniam. Duo hi populi sc. Hunni & Avares mixti, Hungari dein dici cæperunt usque ad nostra tempora. (7.) *West-Gothorum* in Hispania. [8.] *Vandalorum* in Africa. Hæc regna omnia circa idem ferè tempus cœperunt. Imperii Occidentalis destructionem *Carolus Sigonius* libris 20. descripsit, qui ita concludit: *Posthæc ipso prorsus extincto Imperio, res Romana in multa regna est distributa, Francorum & Burgundionum in Gallia, Gothorum in Hispania, Anglorum & Scotorum in Britannia, Longobardorum ac Normannorum in Italia* &c. *Otto Frisingensis* [l. 4. c. 31.] ita de excidio Occidentalis Imperii: *Exclamare contra rerum mutabilium miserias tempore & loco exigente cogimur. Ecce enim regnum illud maximum ac potentissimum, & quod solo nomine gentes terrebat ante, orbem terrarum concutiebat, jam paulatim decrescendo, & sub prima eruptione, quæ sub Alarico facta*

est, dehonoratum, postmodum in conculcationem Barbaris patuit: misera urbs non solùm capta, sed jure victoris in potestatem ac imperium peregrinorum lachrymabiliter subacta invenitur.

VII. Post Valentinianum III. ultimum, Occidentis Imperatorem, aliquot minorum gentium extiterunt in Italia Reguli sive potius Tyranni qui mutuis laniensis & insidiis interierunt, neque diu regnarunt. Inter eos verò, qui Romæ præfuerunt à morte Valentiniani, fuit quidam Augustulus, quem *Odoacer* Herulorum, Rugiorum & Thuringorum, in Italiam transeuntium, Rex, ad Imperii abdicationem coëgit. Et hic finis fuit Imperatorum Italicorum. Odoacer autem Romam ingressus, primus se Regem Vrbis Romæ & Italiæ nominavit. Sed hic victus & tandem interfectus à Theodorico Ost-Gothorum Rege, atque ita in Theodorico regnum Gothorum in Italia propagatum, Italiaque ab Imperio planè avulsa Gothici juris facta fuit. De Theodorico, qui pulso Odoacro Ostro-Gothorum in Italia regnum instituit, *Iornandes* (de regnor. Success.) in hæc verba: *Cum Odoacer regnum Italiæ occupasset, Zenon Imperator, cernens jam gentes patriam illam possidere, maluit Theodorico, ac si proprio jam clienti, eam committi, quàm illi quem non noverat, Secumque ita deliberans ad partes eum Italiæ mittens, Romanum illi Populum Senatumque commendat: evansque Rex gentium & Consul Romanus Theodoricus in Italiam petit.*

Status in Occidente post Valētinianum III.

Origo Regni italici eiusque progressus sub Ost-Gothi.

Idem (l. 1. de reb. Geticis.) Theodoricum inducit à Zenone petentem donari sibi Italiam: *Expedit namque ut ego, si vicero, vobis donantibus regnum illud possideam:* Item: *Ego enim si vicero, vestróque munere possidebo.* Paulus Diaconus (Hist. Miscell. l. 5. c. 7. scribit Theodoricum Romæ consensu Zenonis Augusti regnasse. Idem Iornandes refert Iustinianum bello suo Gothico non aliam causam prætexuisse, quam Amalesunthæ, quæ fidei ejus se commiserat, indignam necem. [l. de Reg. succes. 113.& de Reb. Goth. c. 60.] Vid. Dn. *Conring.* de Germ. Imp. Rom. c. 5. Sic regnum Italiæ à Rugiis & Herulis in Odoacro cœptum, ab Ost-Gothis postea continuatum. Ost-Gothorum ea in Italia vis fuit, ut ipsâ Vrbe Româ cum omnibus Italiæ partibus occupata, conditoque novo quoddam Italiæ regno, Imperii Romani nomen per ipsam Italiam penitus aboleverint, ejusque insignia sustulerint. Neque verò Reges illi Ostro Gothici alio titulo, quàm Italiæ Regum usi sunt; imò ab insignibus etiam Romanis prorsus abstinuerunt, ut ex ejus ævi Scriptoribus notum. Hinc *Iornandes* Gothus [l. de regnor. Succ.] ubi de Odoacro & Augustulo: *Sic Hesperium regnum Romanique populi Principatum, quod DCCIX. U. C. anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit: Gothorum dehinc Regibus Romam tenentibus.* Et sic Imperium Romanum, quod in Augusto maximum erat, in Augustulo in Occidente dimi-

diminutum & ad alios translatum. Gothi itaque Italiam ab A. C. 476. usque ad an. 511. quiete tenuerunt, quo tempore Iustinianus per fortissimum & maximè strenuum Ducem Bellisarium cæpit Gothis rursus Italiam eripere, atque Romano Imperio, cujus vis & majestas in Oriente supererat, restituere. Neque tamen Gothis excisis Italia Romanis integre reddita est. Licèt enim Narses, Dux Iustiniani, devicto Tejâ ultimo Gothorum Rege, & reliquiis Gothorum ex Italiâ pulsis, Italiam rexerit tanquam Proconsul seu Præses annis sedecim; deinde tamen Longobardi, Germanica gens, [quæ fatalibus gentium migrationibus ex patriâ suâ, ubi hodie Magdeburgum & Halberstadium est, in Pannoniam secessit] à Narsete, quem Iustini II. Imp. vxor Sophia Contumeliâ affecerat, in Italiam vocati, illam fædè lacerarunt, eamq; pulsis Cæsarum præsidiis, pæne omnem sui juris fecerunt, exceptâ Roma ejusque pomæriis, Vrbe Venetiarum, Pentapoli, & Exarchatu Ravennatensi, quas Imperii Occidentalis reliquias Greci Imperatores missis Exarchis [id est Principibus præcipuis, Germ. *Erzherzog*] adhuc sub Imperio suo continebant, ut Autor noster [§. 11. h. cap. in pr.] quoque innuit. Sedes illorum fuit Ravennæ, primusque à Iustino II. Imp. missus fuit Longinus, homo impurus atque sceleratus. Hi Exarchi quum Longobardos in se irritarent, magnas vastationes & clades Italiæ intulerunt, atque sic tandem illæ reliquiæ, paulo

m

ante enumeratæ, etiam Longobardis, præter duas urbes Romam & Venetias, cesserunt, quæ duæ urbes Longobardici Regni temporibus, Romani Imperii nomen retinuerunt; reliqua verò omnia Longobardici Regni titulo venerunt [Vid. Dn. *Conring.* de Germ. Imp. Rom. c. 4.]

Papa concitat ingentem mutationem in Italia.

VIII. Hujus miserrimi Italiæ status, & Græcorum Longobardorumque imperii; quasi inter sacrum & saxum penduli, cæpit quoque Pontifices tædere, quos Exarchi illi sibi vehementer reddiderant infestos, imò ad Longobardorum increscentem, ac sibi valde molestam potentiam etiam Pontifices inhorruerunt. Causa quare Papæ Græcorum Imperium non amplius lætis oculis adspicere potuerint Autor (§. 11.) affert, scilicet Exarchorum libidinem, & quod nonnulli Græcorum Imp. in statuas sævierant, quam postremam Autor noster jocose ac falsè hic traducit. Cæterum hoc altius nunc repetendum. Quum Italia, uti dictum, inter miserum Exarchorum & Longobardorum regimen quasi dubia fluctuaret, Exarchique illi relictâ Româ, toties vastatâ & dirutâ, Ravennæ residerent, hique tanquam Vicarii Imperatorum, eâ essent auctoritate, ut Pontifex Romæ creatus, ab Exarchis confirmaretur; Pontifices, qui in turbatis aquis piscationem fructuosam esse norant, paulatim potentiâ se efferre, Exarchos illos superbo supercilio adspicere, eorumque autoritatem labefactare. Etsi verò ne tum quidem Ponti-

fices ſibi poteſtatem in cives Romanos arrogabant, quæ penes Senatum Vrbis erat; tamen propter reverentiam ordinis ſacri, multa ad eos negotia etiam Politica delata ſunt, quæ ſuis conſiliis direxerunt. Et quamquam initio non tam ſuæ, quàm Vrbis Romæ potentiam reſtituere conati ſunt; tamen quum ad potentiam eam uſurpandam paulatim aſſuefierent, guſtatâ ejus dulcedine id agere cœperunt, ut non tam Vrbis quàm ſuam potentiam augerent & præcipuè eas Vrbes, quæ non procul Româ aberant, ſibi vindicarent. Prout itaque in rem ſuam interpretabantur Pontifices modò Exarchos illos in auxilium adſciverunt, modò oppugnarunt, ſemperque ex publicis calamitatibus appoſitiſſimè commoda ſua promovere, & non pauca ad ſacrum molendinum ſuum trahere cæperunt. Nam illas juris & æquitatis naturalis pleniſſimas regulas: *Ex alienis incommodis & jactura, proprium commodum quærere nefas eſt*; Item: *Nemo cum damno alterius debet fieri locupletior*; in ſanctæ ſedis conſiſtorio non audiebantur; ſed è contrario Iulij Cæſaris funeſta ſententia: *Si violandum eſt jus, regni gratia violandum eſt; in aliis pietatem colas*; itemque Tiridatis barbarum illud judicium: *Sua quæque retinere privatæ domus; de alienis certare regia* [Pontificia] *laus eſt*: in Pontificis auribus gratiſſimum ſonum edebant. Vt minimè falſi ſint noſtrates quando ex ungue Leonem ita deſcribunt:

Accipe, cape, rape, ſunt tria verba placentia Papæ.

Neque verò Pontifices eam ob cauſam obedientiæ legitimæ, Cæſari debitæ, vincula laxare debebant, quod Exarchi illi non rarò ſceleribus & libidinibus indulgentes integerrimæ vitæ minimè extiterint: Etenim conſectarium ſine ſequela eſt: Miniſtri Imperatorum, Regum & Principum ſunt luxuriæ & libidinibus dediti, ergo antiſtites ſacrorum & ſacerdotes ab obedientia illorum ſeſe eximere debent: Imò Sacerdotum tum partes in eo ſunt, ut pro ſacris roſtris ex Verbo Dei vitia illa taxent, &, ut in viam redeant, diligenter, modeſtè tamen, illos admoneant. Fac Longinum, primum exarchum, fuiſſe adulterum, qui per miniſtros ſceleratos vi & fraudibus alienas conjuges & nobilium filias ad ſe traxerit, uti de eo perhibent; alii ſimilia, imò majora, patrarint; tamen inde non ſequitur: Ergo quadrata rotundis ſunt mutanda, legitimique ac ſummi magiſtratus obedientiæ nos debemus ſubtrahere. Vbi hoc ſcriptum? Cæterum latet hic anguis in herba: Statim enim ac divitiis & delitiis affluere cœperunt Epiſcopi Romani ſanctitas & pietas, pedetentim valere juſſæ, evanuerunt. Poſtea verò, feliciter in turbatis aquis piſcati, ac fraudibus & totis viribus in vacuam Imperatoris ſedem immiſſi, Primatum captarunt, quem tandem à Phoca Imp. ſævo Bonifacius III. Papa impetravit, atque ita initium ſumpſit tyrannis hierarchiæ Romanæ. Huic tamen ſuperbiæ adhuc Georgius M. anteceſſor Bonifacii III. vehementer oblucta-

, quando (l. 6. Epist. 130.) ita scribit:
confidenter dico : Quicumque universalem
rdotem se vocat , vel vocari desiderat , in
ione suâ Antichristum præcurrit. Noster
tor (§. 11. h.) Pontificis Romani exem-
onem ab Imperio Græcorum tam urbane
ducit , ut elegantiori modo fieri vix po-
rit. Sane Dn. de Monzambano noster
hanc (solum ob causam , quod Pontificis
Sacerdotum ambitionem in toto libello
adeò scite perstringit, apud Evangelicos
nes immortalem nominis gloriam per
nem seculorum memoriam jure meri-
uc hactenus consecutus est , & adhuc in
rum consequetur.

X. Postquam itaque Pontifices Romani
natum inter omnes Episcopos à Phocâ
. impetrarunt , ac plerique tum temporis
es essent , & ab omni liberali disciplina
ui, Papæ plus solito temporalibus negotiis
mplicare , transferréque imperium de
te in gentem , prout occasio postulabat,
erunt. . . . Hinc Agatho jugo Imperatoris
isso Ravennatum Patriarcham sibi subdi-
Anteà enim Ravennæ Antistiti Valen-
nus III. lancum donavit pallium, quo tum
s utebatur Imperator , ex quo altercatio
ennatium antistitum orta , Romano
copo æquari poscentium ; quæ contentio
a postea fuit , cum Exarchatus translatus
Ravennam , donec tandem Constanti-
oli tenente Imperium Constantino IV.
hiepiscopus Ravennas se Romano Epis-

Occasiones translati à Græcis ad Francos Imperii.

copo ſubjecit, uti ante dictum. Gregorius porrò III. Leonem Imperatorem, Dominum ſuum excommunicavit, & nihil non tentavit, ut omnes ſubditos ab obedientia illius retraheret, ut latius apud Hiſtoricos videre eſt. Nimirum tædebat illum fictitium Chriſti Vicarium, qui fraudibus ac dolis ſacræ per orbem poteſtatis ſummam ad ſe traxerat, mancipium amplius eſſe Græcorum, & quidem talium, qui naſo erant truncati, ut Iuſtinianus II, oculis privati, ut Conſtantinus Irenæ filius, aliiſque vitiis corporis affecti, quum tamen is, qui ſanctæ ſedi Romanæ (*Heiliger Stuhl Knacke nicht*) præeſt ſit Dei in terris vicarius. Sed ubi hoc ſcriptum? Reſpondetur: In *quinto Evangelio Gregorii VII. de omnipotentia Papæ.* Omnes ſiquidem Monarchiæ defecerunt, & non reſtat alia niſi Antichriſti, qui ſacra profanis miſcens in caſtello S. Angeli, adjuvantibus Antijeſuitis, totum Chriſtianum orbem miſere hodie convolvit. Sacerrimo atque nefario propoſito, fundandi illud horribile Pap-Imperium, Pontificibus Romanis pulcherrima occaſio oblata, quod Imperatores Græci, in Oriente novam Romam ſuam colentes, longè remoti, veterem Imperii ſedem levi brachio tantum fulcirent, vitam turpem ac luxurioſam domi viverent, ac ſe ipſos proſtituendo, in contemptum adducerent. Regum quoq; ad exemplum ſeſe in Italia cõpoſuerunt Exarchi, qui à Longobardis, indies increſcente eorum potentiâ, tantum non ad

Pontificũ machinationes ad fundandã Hieromonarchiam

Occaſiones quibus Pontifices temporalem poteſtatem fundarũt.

incitas redigebantur: Præterea bellum cum ſacris imaginibus ſive Iconomachia ab Imperatoribus Græcis ſuſcepta, animos Italorum à legitimis dominis alienarat, in Pontifices verò, propenſiſſimos reddiderat. Imperatorum ſumma ratio erat, per ſolam animi puritatem, vitamque honeſtè exactam, Numen reddi poſſe amicum atque propitium; adeoq; idololatriam iſtam ad Autorem ſuum in tartaream voraginem eſſe relegandam cenſuerunt: Contra Pontifices ſtatuas illas, ad imbuendam Superficiariis pietatis ritibus rudem ac ſimplicem plebeculam, utiliſſimum inſtrumentum judicabant, eaque viâ & ratione vulgarem turbam, quæ externis iſtis illecebris mirum quantum devinciri ac deliniri ſolet, futuræ Hierarchiæ ſuæ eò facilius ſubjici, ac ſub eâ retineri poſſe arbitrabantur. Ergo quum longè remotus Græcorum Imperator, ob ingruentem Sarracenorum vim, non metueretur, ejuſque majeſtas in Italiâ veluti fulgur ex pelvi eſſet, Exarchi verò in controverſia finium regundorum adeò ſuccumberent, ut ægre ſe intra Ravennæ mænia defenderint, atque vim vi contraria repulerint, imò tandem victricibus Longobardorum armis ſuccubuerint; Pontificum conatibus nihil aliud deerat, quam ut conſultis tandem facta jungerent, atque ita tandem Eccleſiaſticum pariter ac ſeculare imperium in ſua, velut Vice Dei, perſona ſimul unirent. Etenim fortaſſis futurum credebant, majorem ſplendorem acceſſurum Eccleſiæ, ſi ea-

ſtello S. Angeli Romæ præſideret ſummus Præſul qui alterâ manu claves Petri, alterâ verò gladium Pauli teneret, brachioque ſeculari & eccleſiaſtico Eccleſiæ gremium conſtringeret, juxta illud : *Ecce duo gladii: Paſce oves meas.* Quò minus verò quæſtuoſiſſima illa piſcatio in turbidis illius ævi aquis procedere feliciter nondum poſſet in cauſa erant Longobardi, qui intentioni Pontificum obicem ponentes, illos variis modis vexabant. Hos itaque ut Papæ attererent, dici non poteſt, quibus dolis Francos ineſcatos adverſus Longobardos incitarint atque armaverint, præcipuè Agatho, ejuſque artes imitatus Zacharias Papa. Incredibile dictu eſt, quos palpos Francis hic Pontifex obtruſerit, adeò ut nullus unquam Proteus tam varias figuras induere, aut in tot vultus ſeſe transformare potuerit. Longobardos, quos antea Eccleſiæ patronos vocaverat, nunc à Satana procreatos, & hominum appellatione indignos pronunciat. Dum verò hoc tempore Aiſtulphus Longobardorum Rex Ravennam, Exarchorum ſedem, occuparet, & oppidis quibuſdam Pontifici ademptis, Exarchatui Græcorum, qui unà cum regno Longobardico ſub Iuſtino II. cœperat, finem imponeret; cumque is porrò à Romanis annuum tributum peteret, atque ita Annibal Longobardicus Romanis portis appropinquaret; Stephanus II. Rom. Pontifex quum ſolus Romæ imminenti Longobardorum potentiæ par non eſſet, Pipinum Fran-

corum Regem accersivit, qui bina vice Italiam ingressus Aistulpho Ravennam & alias urbes, eripuit, omnemque Exarchatum ac Pentapolin Ecclesiæ Romanę dono dedit. Disertè annales Francorum: *Pipinus redditam sibi Ravennam & Pentapolin & omnem Exarchatum ad Ravennam pertinentem ad S. Petrum tradidit.* Fictas & ad Pipinum hac de re missas literas Papæ sub S. Petri nomine ex latebris Vaticanæ Bibliothecæ deprompsit & ad an. 755. annalibus suis inseruit Baronius. Carolomannus frater Pipino hoc tamen graviter dissuasit, ut videre est apud *Anastas.* (in vit. Stephani III.) & in annal. Francor. ad an. 753. In regione Exarchatus tum fuerunt urbes præcipui nominis: Ravenna, Faventia, Cæsena, Forum Livii, Forum populi, Bononia, Rhegium, Parma, Placentia. Sic itaque omnis hæc Regio Pontificis fidei à Pipino permissa, secutaque deditio ovium, sic enim Papa appellat, id est Civitatum Exarchatus Ravennatensis, quas Pontifex deglubere volebat; quamvis Constantinopolitanus Cæsar antea rogasset, ut eam sibi restitueret, quòd esset Imperii, non Ecclesiæ Romanæ. *Radulphus de Columna* [in Tr. de Translat. Imper.] contendit Fråcos expiandi peculatus gratia, civitates Exarchatus, ut liberales viderentur de alieno, Pontifici donasse. Mihi historiam illam legenti, cùm Imperator Græcorum Constantinus, tum etiam Pipinus, Francorum Rex, insignes errores commisisse videntur. Cæsar propterea,

Incrementum sedis Papalis.

Error Græci Imperatoris, Pontifices provehit in majus

quòd Stephano, opem & auxilium imploranti suppetias non tulerit. Fertur Cæsar ita rescripsisse Papæ: *Habetis arma secularia, & nervos belli, Imperatori ereptos, defendite vos ipsos.* Hanc repulsam passus Papa, Pipino, qui autoritate Zachariæ Papæ in Regem Francorum unctus erat, Italiam prodidit, qui optatissimam hanc potiundæ Italiæ occasionem ambabus, quod dicitur, manibus amplexus est. Dici non potest, quantopere tum Pontifex Pipino missis legatis B. Petri & Virginis Mariæ tutelam prolixe fuerit pollicitus: B. Petro pereunti esse succurrendum, alioquin nihil fidem salvificam ipsi profuturam, literis significabat. *Lehmannus* in Chronico Spirensi verba epistolæ Papalis ita refert: *Ich bitte ihr Wollet eüch des Apostels Petri Sach lassen zu herzen raichen, und Was ihr dem Portner des Himmels zuverehren zugesaget, ihm auch Würcklich zugestatten eüch bearbeiten, bedencket Wie ein starcker anmahner derselbige sey, und lasset eüch keine beredung noch gaben von euerer zusag zuruck halten, damit ihr nicht in evvige traurigkeit fallet und verdamptbleibet im kunfftigen: Ich beschvvere eüch bey Gott dem Allmechtigen; durch die hochgeehrte Iungfrau die Mutter Maria: durch alle Himlische Heerscharen: durch das jungste Gericht, Vvas ihr dem Heiligen Petro Zugesagt, das irh dieselbigen Stat und orter geliefert zuvverden verschaffet: dan darumb hat eüch Gott durch meine Demuth, vermittelst des H. Apostels Petri zum konig gesalbet, das die kirch*

durch euch erhohet Werde &c. Adverte orbis terrarum! tacete priora ſecula! obſtupeſce rerum natura! Tantumne religioſa ſuperſtitio civili orbi malorum concitare poteſt? ut hac ratione Crypto-Paganiſmus puram Chriſtianam religionem tandem fermentaret atq; obſcænam redderet? Cæterum quid factum eſt? Pipinum hæ faſcinationes & incantamenta Papalia facilè fervidum reddebant, ut illum, cujus anteceſſoris auxilio Regiam Francorum coronam, Chilperici tonſurâ approbatâ, erat indeptus, à Longobardorum inſultibus liberaret. (Vid. Autor. §. 11. in fin. h. ubi egregia habet.) Quamvis autem Conſtantinus Cæſar Exarchatum, tredecim, ac Pentapolin 16. Vrbes complectentem, à Pipino victore ſibi atque Imperio reddi poſtulaverit; tamen hic de alieno liberalitatem in Pontificem, terras illas valde ligurientem, exercuit, eique ditiones illas, ut S. Petro poſſidendas, conceſſit, atque ſcribam iſtas donationes referre in tabulas juſſit, ut narrat Sigonius. Inſignis ſanè ſolæciſmus Eccleſiaſticus, quem meritò viri prudentes & civilium rerum gnari in Pipino notant. Hac ratione enim, Pontificibus in myſtico Eccleſiæ corpore ſe pro Capite, ſine Servatoris tamen ſuffragio, gerentibus, acceſſerunt alæ, quarum beneficio ſeculare imperium, toties affectatum, complexi, ſenſim ea agitare cæperunt, quæ plus quam civilia ſunt. Tradunt vulgo Pipinum à Papa in eo eſſe deceptum, quòd Pontifex obtenderit, quaſi jam

Error Politicus Pipini.

Constantinus M. ditiones illas sedi Romanæ transcripserit, ac proinde Pipinum putasse, se hac occasione Pontificibus restituere, quod antea ad ipsos pertinebat. Falsa autem persuasione inductum Pipinum ne redderet Reip. Imperii Ravennatensem Exarchatum, utut Imp. Græcorum Constantinus id enixè petierit, docet nos *Anastasius* (in vit. Steph. III.) Cæterum ponamus fictitiam illam Constantinianam donationem revera factam fuisse, tamen Pipinum attendere omnino oportebat, militem, & quasi Imperatorem Christianæ Ecclesiæ, non seculo sed soli trinuni Deo servire, atque ejusmodi pernitiosam prodigalitatem, contra jura divina & humana factam, ac in Reipub. & Ecclesiæ detrimentum redundantem, minimè tractu temporis convalescere ac proinde revocari debere. Imò ex monumentis rerum gestarum constat, Pontifices ante tempora Pipini ne oppidulum quidem proprio jure & dominio possedisse, sed omnia incrementa unicè Francicorum Regum incivili prodigalitati debere. Qui interius hoc Pipini factum rimantur, dicunt illum ideo Papæ tam unctum Patrimonium concessisse, ut postea ansa sibi & posteris daretur, Longobardorum regnum, quos novam potentiam Papæ minimè ferre posse sciebat, invadendi ubique subjiciendi. Hanc Pipini primam donationem Pontificibus factam Canonistæ plus quam Diabolicâ malitiâ transformarunt in donationem Constantini M, eamque tot fabulis exornarunt, ut Ba-

tramyriomachia Homeri longè meliorem fidem mereatur. In ſumma, Pipinus beneficium regiæ Francicæ coronæ, quam inſtinctu Papæ erat aſſecutus, ſtultâ hac liberalitate ſuâ mirum quantum compenſavit erroremque hunc etiam hodie Pontificum ſectatores pro jure allegant, quum tamen & Pontifex & qui ab ipſo pendent, probè ſecum expendere deberent tritam juris regulam, *Quod ab initio vitioſum eſt, id tractu temporis convaleſcere non poteſt. Hundert Iahr Vnrecht iſt Kein Iahr, ja Keine Viertelſtunde Recht.* De Hoc Pipini lamentabili errore Politico, & incrementis Romanæ ſedis quidam veriſſimum tulit judicium: Phocas *hat das Pabſthumb gepflanzet*; Pipinus *hat es begoſſen*; *Der Teuffel hat das gedeyen darzugegeben.* Sed rurſus ad rem. Aiſtulphus quum rebus humanis eſſet exemptus in regno Lōgobardorum ſucceſſit Deſiderius, qui Faventiam & Ferrariæ Ducatum Papæ dediſſe gratis ſcribitur. Tantùm verò abfuit, ut acquieverit Pontifex Stephanus, ut omnia, quæ olim Græci tenuerant; expeteret, per B. Petrum minatus gravia, ni faceret Deſiderius. Conſtantinus Papa dein quum & Imperatoriam Majeſtatem, ut par erat, coleret, & ſuperſtitioni mediocriter addictus eſſet, loco motus cum ignominiâ & eluſcatus, alapiſque cæſus, Eccleſia ejectus eſt. Deſiderius poſtea, quum contra pacis conditiones, Pipino promiſſas, occupaſſet Ravennam, & alia vicina oppida, ipſamque Ro-

mam peteret eum exercitu, Papa Hadrianus accersivit adversus illum Carolum Francorũ Regem, qui tandem fusum fugatumque Desiderium, in Franciam abduxit, & ita Italiæ sive Longobardorum regnum sibi subjecit. Carolus deinde triumphans infelici errore non solum Patris donationes Pontifici petenti confirmavit, verum etiam Spoletano Ducatu & Benevento additis amplificavit: Vnde Patritiatus honore mactatus, & constitutum est solenni Concilij sententiâ, ut electio & confirmatio Pontificis penes Carolum esset. (Vid. c. Hadrianus 22. Dist. 63.) Narrat etiam *Nicolaus Gillius*, autor annalium Gallicorum & Ludovici XII. Secretarius, Pipinum Caroli Patrem non se subjecisse Papæ, sed contrà Papam Regi se juramento obstrinxisse. Carolus autem in suâ potestate retinuit regnum Longobardorum, & Francicos præsides ei præfecit, sicut & postea sequentes Imperat. Germanici à tempore Ottonis M. Longobardiam gubernarunt, tanquam provinciam Romano-Germanici Imperii. In memoriam etiam Longobardici regni, multis seculis Imperatores, in Reges Longobardorum coronati sunt ab Episcopo Mediolanensi, quæ tamen coronatio hodie non amplius frequentatur.

Caroli M. error.

X. Postquam igitur Carolus M. regnum Longobardorum sibi subjecisset, Orientales Cæsares, quum Carolo Cæsareus titulus an. 800. deferretur, non nisi exiguam Italiæ par-

Romani Imperij reliquiæ tempore Caroli M.

tem, Beneventanum ſcil. Ducatum & Calabriæ ultima, in ſua poteſtate habuerunt [*Conring.* c. 4. de Germ. Imp. Rom.] Longobardiæ verò regnum, victricibus armis ſubjugatum ſibi tranſcripſit Carolus, unde & Francorum ac Longobardorum Rex audiit. Tempore itaque Caroli Romanum Imperium limitibus valde anguſtatis fuit circumſcriptum. Carolus verò, quum rebus omnibus bello feliciter geſtis, potentiæ magnitudine in Occidente facilè omnibus caliginem induceret, & tamen Irene Imperatrix (quæ ut ſola imperaret, filium Conſtantinum oculis privari curarat) Exarchatum & priſtinum Imperii decus in Italia omnibus modis rurſus ſibi vindicare anniteretur, Pōtifici, veluti primario Vrbis Civi, & FacTotum veluti conſtituenti, ac Romanis conſultius viſum, quaſi præ foribus Imperatorem quærere, cujus firmiſſimo præſidio ac patrocinio ſuffulti, ſe & ſua adverſus omnem hoſtilem vim defendere atque tueri poſſent, utpote quum experientia ſatis compertum haberent, caducum quaſi Græcorum Imperatorum parietem res labantes Romanæ urbis & Imperii Romani reliquias minimè ſtatuminare atque in æquabili ſtatu conſervare poſſe. Quum itaque Romanus Pontifex videret, ſe exuviis Exarchatus, & Longobardorum ex parte opibus, non mediocriter à Francorum Regibus eſſe ditatum, gratum etiam ſe erga Carolum, jam Romanæ Vrbis Patritium, præbere allaboravit, populóque Romano autor extitit, ut in illum *Trāſlatio Imperii Romani*

in Carolum M. veluti Imperii reliquiarum Candidatum Imperatoriam dignitatem unâ omnium voce conferrent cujus etiam molimina in tantum prævaluerunt, ut Carolum tertia vice Romam proficiſcentem A. C. 800. in feſto Nativitatis Domini in Vaticanâ Baſilicâ, finitis ſacris, unanimiter Imperatorem renunciarent. Poſtquam enim Carolus, ad confeſſionem progreſſus, ſolennem Dei obſecrationem perfeciſſet, Pontifex chlamydem Auguſtalem & coronam auream, quam de induſtriâ comparaverat, ei impoſuit, quibus ceremoniis atque ſolennibus ritibus finitis, univerſus Populus Romanus trinâ vice clariſſimâ ac maximâ voce acclamavit: *Carolo Auguſto à Deo coronato, Magno & Piiſſimo Imperatori Romanorum, vita & victoria.* (Vid. *Anaſtaſ.* in vit. Leonis.) Ita dignitatis Imperatoriæ titulum, cum in Auguſtulo, ultimo Occidentis Imperatore, ante trecentos ferè annos ſub regno Gothorum in Italiâ defeciſſet, in eodem Occidente Pontifex renovavit, ut haberet Eccleſia Romana adverſus infideles, hæreticos ac ſeditioſos etiam inter cætera tutorem, cujus officium repudiaſſe jampridem Imperator Orientis videretur. Juramentum, quod Carolus præſtitit, in antiquiſſimo Commentario, qui Ordo Romanus dicitur, tale refertur: *In nomine Chriſti ſpondeo atque polliceor ego N. Imperator coram Deo & B. Petro Apoſtolo, me Protectorem ac defenſorem fore hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio,* *prout*

prout sciero poteroque. His actis Carolus abjecto Patritii titulo, Imperatorem se Romanum atque Augustum scripsit. Praeerat tum Imperio Orientis Irene, uti dictum, quae foedus pacis cum Carolo sanxit, atque in thalamum ejus venire desideravit, ut hac ratione Oriens cum Occidente conjungeretur. Hoc cum Nicephorus Patritius animadverteret, Imperium ab Irene quam in insulam quasi deportarat, in se transtulit. Carolus quũ videret, transactionem cum Irene initam in nervum ita abire novam Imperialem dignitatem nondum certam atque tutam arbitrabatur, utpote quum Romam nondum sui juris esse, ac proinde se alteri donare posse minimè crederet. Pontifex quoque tum temporis nihil nisi solâ oratione & persuasione apud cives Romanos pollebat; & primus Bonifacius IX. tanti animi consiliique fuisse scribitur, ut urbis vim omnem in Pontifices transtulerit. Nicephorus insuper Romanorum factum indignè ferebat, quem cum Carolus humanitate modestiáque delinivisset, missis utrinque legatis amicitia stabilita & utriusque Imperii limites constituti. [Vid. *Aventin.* l. 4. Annal. Boj.] Transactione itaque Caroli cum Irene, & dein Nicephori demum Imperatoria dignitas in Occidente plenissimè stabilita est, non verò declaratione Pontificis & Populi Romani, in quos jura competentia Imperatores Graeci nondum dereliquerant, ceu ex actis Constantini (tempore Pipini) & Nicephori (tempo-

Jure Transactionis Imperatoria dignitas in Occidente stabilita.

re Caroli M.) constat. Sagacissimus itaque Carolus, quum in die Natalis Domini præter spem à Romanis Imperator renunciatus esset, dixit: *Si hoc scivisset, se templum noluisse ingredi.* Rectè itaque *Bechererus* in Chronico Thuringiæ & alii aiunt: *Das das Kaiserthumb durch eine Vergleichung in Teutschland gebracht*; quibus etiam Autor noster (§. 12. h.) accedere videtur, qui ait Romanos non fuisse sui juris ac proinde Carolum, ante transactionem cum Græcis, Imperatorium titulum dubium adhuc reputasse. Cum Nicephoro Carolus A. 802. primum pactum faciendæ pacis in Christo (ut *Regino* loquitur) suscepit testibus *Annab. Francic.* & *Adone Viennensi* ac dein an. 810. plenissimè confecit testibus iisdem Annalibus An. 812. Nicephoro in prælio contra Bulgaros trucidato, pax & transactio, cum ipso cæpta, à Michaële, Nicephori successore, confirmata fuit. Leo insuper Imp. ut testantur iidem Annales An. 813. cum eodem Carolo pacem perpetuam, hoc modo composuit, ut alter alterius frater semper nominaretur, alterque ab altero juvaretur, Græcus autem Imperator Orientem, Carolus cum suis successoribus Romam cum toto Occidente teneret. (*Dresser.* de Vrbib. German. p. 82.) Testatur *Eginhardus* Carolum *totam Italiam tenuisse ab Augustâ Prætoria usque in Calabriam inferiorem, in quâ Græcorum ac Beneventanorum constat esse confinia. Histriam quoque Liburniam & Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, ob*

amicitiam & junctum cum eo fœdus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit. Firmum autem amicitiæ fœdus inter utrumque Imperatorem tandem coiisse testatur idem *Eginhartus*: *Imperatores etiam Constantinopolitani* (inquit) *Nicephorus, Michaël & Leo ultro amicitiam & societatem ejus expetentes complures ad eum misere Legatos; cum quibus tamen propter susceptum à se Imperatoris nomen, & ob hoc eis, quasi qui Imperium eis eripere vellet, valde suspectum, fœdus firmissimum statuit, ut nulla inter partes ejuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis & Græcis suspecta Francorum potentia.* Quò facit illud, quod in Annalibus Francorum habetur, Legatos Michaëlis Carolum dixisse Imperatorem & βασιλέα, referente Dn. Conringio in lib. de German. Imper. Rom. Ex quibus patet Constantinopolitanos Imp. conventionibus hisce factis ultro cessisse jure suo in Imperii Occidentalis reliquias id quod etiam necessitas illorum temporum omnino flagitasse videtur, deficientibus viribus, & quod Francos habere amicos expediret, ne Calabriâ & aliis Italiæ reliquiis à Carolo exuerentur, ceu Autor noster (§. 12.) bene animadvertit.

XI. Pontificii, interque eos *Bellarminus* (de Translat. Imperii) quæ Lojolitica ipsius impudentia est, scribere non veretur, Papam Romanum Imperium in Carolum transtulisse, illudque à sede Papali dependere, cui ta-

An Papa R[illegible]anus Imperium

in Carol. M. transtulerit. men dudum satisfecit Clariss. *Arnisæus* (de Translat. Imper. advers. Bellarmin.) Si autem quæratur: *An Papa Imperium in Carolum M. transtulerit?* facilis ex tritâ regulâ juris responsio est, quâ dicitur, quòd *nemo plus possit juris in alium transferre, quàm ipse habuit.* Atqui Imperii jus omne non erat penes Papam, sed penes Orientis Imperatores, nec quicquam Papa, præter illa recens à Pipino & Carolo M. concessa, possidebat, instar clientis sub patronis & defensoribus Francis, cum nec Romanis ipsis quicquam superesset præter tertium lapidem. Ad inaugurationem quod attinet, nihil aliud illa erat, quàm nuda ceremonia. Si accuratè ad propositam quæstionem respondere velimus, dicendum etiam Pontificem, si illum tanquam primarium Vrbis Romanæ civem & membrum Populi Romani consideremus, non quidem solum, sed cum aliis civibus Romanis Imperii Romani fragmenta in Carolum transtulisse. Coronæ verò impositio, quam Populi consensu Papa peregit, Imperatorem non effecit, sed factum declaravit. Et videtur Leo Papa in inaugurando Carolo per illegitimos tramites Patriarcham Constantinopolitanum, à quo, non à Papa, Imperatores diademate redimiri voluerunt, æmulari voluisse. Quum verò actus illegitimi jure minimè subsistant; omnia sanè infecta in nervum erupissent, nisi Imperatorum Constantinopolitanorum confirmatio justa & legitima accessisset; Absque illâ si mansisset noster Carolus, juris alieni

usurpati reus peragi omnino potuisset. Postquam igitur multis transactionibus antegressis, Michaël, Nicephori successor, Romanorum voluntatem approbavit, & Carolum Imperatorem appellavit, tum demum Græcorum ratihabitione subsecutâ, Carolus Romanæ sedis aliorumque per totam Italiam Ecclesiasticorum res constituit, cui etiam Papa tanquam domino & magistratui submissa adoratione se subjecit. Primas itaque partes in hac translatione Deo concedimus, sive permittendo, sive cooperando eas obiisse dicatur; secundæ debentur Populo & Pontifici Romano: tertiæ ipsi Carolo & transactioni cum Græcis initæ. (Dn. *Limnæ* in addit. ad l. 1. c. 5. p. 18.) *Michaël Coccinius* Tubingensis causam translationis Imperii breviter ita complectitur: *Romani*, inquit, *Gothorum & Vandalorum direptionibus obnoxii, & reliqui Italiæ populi Visigothorum, Hunnorum & Longobardorum incursionibus expositi, perspicientes Græcorum avaritiam simul & ignaviam, ac è regione Germanorum fortitudinem, industriam & justitiam, Imperium de Græcis transtulerunt ad Germanos in Caroli M. personam.*

XII. Quærit non immeritò noster Autor (§. 12.) *quid Carolus titulo Isto Imperatorio acceperit*? Et verò facilè ex superioribus patet Carolum hoc ipso non accepisse aliquod jus in illas provincias, quæ olim ante tempora Honorii & Valentiniani III. Occidentali Imperio subfuerunt. Nam ut forte *Quid Carolus M. titulo Imperatorio acceperit*

non justo titulo primum Galliam Burgundi & Franci Hispaniam West-gothi, Suevi Vandali; Pannoniam, Vindelicium & Noricum Hunni Bajoarii & Alemanni; Britanniam Saxones & Angli tenuerint; longâ tamen & quietâ possessione trecentorum quinquaginta circiter annorum jam seculi IX. initio, quo tempore ad Carolum M. Cæsareum nomen delatum est, omnes hasce gentes usucepisse provincias occupatas dicendum est; ut jam in præsens nihil addam de populorum Germanicorum justa armorum, adversus Romanos, infensissimos ac perpetuos hostes susceptorum, causâ, quâ subnixi victoriæ jure illa rectè Romanis eripere, sibique acquirere potuerunt. Britannia porrò ultro à Romanis derelicta; Gallia verò West-Gothis inhabitanda concessa est. Omnes verò reliquas provincias Romani pro derelictis habuere, quum tanto temporis spatio neque verbis neque factis illas repetierint, quin potius ex annalibus constat Romanos cum Francis ac Wisigothis, qui Galliam maximam partem jam occuparant, fœdus contra Attilam iniisse. De Longobardis, Pannoniam incolentibus, *Paulus Diaconus* (Hist. Longob. l. II. c. I.) ita: *Omni tempore, quo Longobardi possederunt Pannonias, Romanæ Reip. adversus æmulos adjutores fuerunt.* Vnde colligitur jam tum provincias illas novis illis dominis atque occupatoribus Romanos quasi ultro concessisse. Quod Italiam attinet, de illa inter

Longobardos & Cæsares Populumque Romanum perpetua pæne fuerunt bella, sed & pax cum iis, tanquam Italiæ, possessoribus, haud semel est inita, quasi certamen fuerit tantum de finibus, non autem de regno integro. (Vid. Dn. *Conring.* de German. Imp. Rom. c. 5.) Postea quoque quum Pipinus & Carolus M. adversus Longobardos victores existerent, Romani nihil sibi, quasi per vim à Longobardis ereptum, reddi petierunt, præter vicina quædam castra, Exarchatum Ravennæ & Æmiliæ nonnulla oppida. (Vid. *Anastasius* in vitâ Stephani Papæ) Porrò etiam ipse Carolus M. destructo Longobardorum regno, neutiquam illam potiorem Italiæ partem vel, Populo Romano, vel ejus Pontifici, vel Cæsari Constantinopolitano concessit, neque quisquam restitutionem à Carolo flagitavit. Imò Carolus statim à capto Desiderio, ultimo Longobardorum Rege, se ipsum Regem Longobardorum appellavit, (*Baron.* ad an. 785.) regnumque illud gladio acquisitum, suæ potestati subjecit, & possedit illud jam pœne triginta annos, quando Cæsar dictus est. Vnde liquet tum temporis neque Romanos, neque Pontificem quicquam juris amplius in illud Longobardicum regnum sibi tribuisse, neque Carolum Romani aut Populi aut Cæsaris jus aliquod in Provincias illas Italiæ agnovisse Ad Romanum itaque Imperium Occidentale ea tempestate non modo non Transalpinum, sed ne Cisalpinum, quid per-

tinuit, si excipias pauca ante memorata, adeoque Carolus titulo Romani Imperatoris minimè jus in omnes terras, quæ olim ad Occidentis Imperium pertinuerunt, accepisse videri potest. (Vid. Dn. *Conring.* de German. Imp. Rom. c. 5.) Etenim tempore Caroli M. dudum desierat Roma esse sedes antiqui Imperii Romani, facta primum permissu Zenonis Imperatoris juris Gothici, quod ipsum quum postea Longobardi quoque vindicarent, Pipinus & Carolus M. à Pontifice & Romanis in Italiam acciti, Romam ejusque pomæria ab insultibus illorum liberarunt. Etiamsi verò post tempora Leonis Isauri, inductâ iconomachiâ, Romanorum animi planè à Græcis Imperatoribus (res Italicas postea parum aut nihil curantibus, imò implorantibus Romanis auxilia contra Longobardos non submittentibus) alienati, & ad Pontifices quos tamen ut duces & primarios cives non ut dominos sequebantur, traducti, atque ita paulatim possessionem vel quasi exemptionis ab Imperio Orientali meditarentur; seque liberos pro arbitrio, quem vellent Cæsarem eligere posse crederent, tamen si jus potius, quam vim facti intueri velimus, Roma jure potestatis Græcorum Imperatorum nondum verè fuit soluta, ac proinde, quum sui juris non fuerit, Carolo M. sese donare non potuit, ut Autor noster rectè asserit. Nemo enim plus juris in alium transferre potest, quam ipse habuit. Hinc etiam Carolus

postquam A. C. 800. in ipsis feriis Natalitiis renunciatus esset Romanorum Imperator, credidit per hunc solennem actum nondum sibi jus plene in Romanos & reliquias Imperii Romani quæsitum; Græcis Imperatoribus expresse contra hæc acta & actitata protestationem, qua jus protestantis semper conservatur, interponentibus. Hinc prudentissimus Carolus transactione demum cum Græcis inita, firmissimum fundamentum Imperii Romano-Francici posuit, ipsumque jus in re, sc. in reliquias veteris Imperii Romani, posteris suis quæsivit. Quæritur hic non inconcinne: *quorumnam in potestate fuerint ante Imperium Carolinum Occidentalis Imperij reliquiæ*, Resp. Fuerunt illæ in potestate Cæsarum Orientalium usque ad rebellionem solennem adversum Imperatorem Leonem Isaurum. Hic enim quum idololatriæ sacrarum imaginum vehementer se opponeret, Gregorius II. Papa excommunicationis fulmen in Cæsarem vibrans, icto cum Francis fœdere tributa Romanæ Vrbis & Italiæ inhibuit teste Zonarâ & Theophane. Post rebellionem illam populi isti, facto magis, quàm jure nullum alium dominum voluere agnoscere, ne Papam quidem, quum sibi tum proposuerint alium Imperatorem creare (*Paul. Warnefrid.* l. 5. Hist. Longobard. c. 49. *Anastas.* in vit. Gregor. II.) Ex eodem Anastasio constat Romanos sibi tum Duces elegisse, quorum electionem continuarunt usque ad Stephanum III. Pa-

In quorum potestate fuerint reliquiæ Imperij Romani ante Carolum M.

pam. Quum verò collapsa Græcorum Imperatorum in Italia auctoritate, Longobardi reliquas ditiones Orientalium Cæsarum passim attenuarent, atque decerperent, Papa primum à Luitprando Rege nonnullas urbes dono accepit, ab eodemque Zacharias Papa Ravennam cum vicinis urbibus, sibi donari petiit, quamquam frustra, teste Anastasio. Quod Zacharias impetrare non potuit, successor ejus Stephanus feliciter à Pipino Rege Francorum consecutus est, ut supra dictum. (Vid. *Annastas.* in vit. Stephan. III.) Desiderius dein, Longobardorum Rex ultimus, eidem Stephano tradidit Faventiam cum castro Tiberiaco & universum Ducatum Ferrariæ, ut ex eodem Anastasio constat. Ita Papæ, novo & summè iniquo exemplo id agentes, ut reliquiæ Imperii non Reipub. sed sibi donarentur, scopum suum à victoribus in Italia Pipino & Carolo M. tandem obtinuerunt, venenumque hoc modo Ecclesiæ infusum, quod mysticæ ac spiritualis illius Reipubl. corpus sequentibus seculis miserabiliter afflixit. Quantum verò potestatis Papa in urbe Roma ante Caroli M. tempora habuerit valde obscurum est, & ex annalibus non adeò liquidò patet. Narrat quidem *Anastasius* (in vit. Sthephan. IV.) Populum Romanum Constantino Papæ juramentum præstitisse; verum, quousque illud vinculum sese extenderit, non liquet. Verisimile autem est Papas, quum in reliqua titulo donationis acqui-

Origo patrimonij D. Petri.

ſita, poteſtatem Cæſarum non amplius agnoſcerent, ſenſim etiam urbis Romæ dominium affectare cæpiſſe, præſertim quum viderent, ſub velo Piſcatoris S. Petri cuncta feliciter procedere, & abjectum vulgus magis vatibus ſacriſque mitris, quam legitimis dominis ſuis parere velle. Adeò verum eſt illud, quod Argentorati prope portam, quæ à molendinis nomen habet, muro inſcriptum: *Gottes Barmherzius keit, Der Pfaffen geizigkeit.* (Hoc lemma ad præſentem Ardromachen quadrat) *Der Bauren Bosheit, Spricht Keiner ausbey meinem Eydt.* Ex hactenus dictis, ſatis patet, quid ſentiendum de reliquiis veteris Imperii Romani, item, quod pleraque Occidentalis Imperi Carolus M. ante indeptum Imperatorium titulum, proprio & ſuo jure poſſederit, ditioneſque priſtini Occidentalis Imperii vel jure belli, ceſſionibus, aut per derelictionem in aliorum poteſtatem pervenerint. In ſumma: Ante inaugurationem Imperatoriam Caroli M. neque in Hiſpania, neque in Galliis, neque in Germania, neque in Pannonia quidquam Romanæ amplius fuit ditionis; imò ne in Italia quidem quid fuit reliquum, quod ſibi arrogarent Imp. Græco-Romani, præter urbem ipſam Romam, Exarchatum Ravennatenſem, & ſi quæ alia oppida Pipinus aut Carolus, Longobardis erepta, Romano Pontifici, inconſulto & præcipiti religionis ſive potius ſuperſtitionis fervore, donaverant.

XIII. Inquirendum nunc erit, *quid juris*

Quid jure Carolus M. Imperatorio titulo acceperit?

Carolus M. titulo Imperatorio, à Romanis collato, & à Græcis Imperatoribus confirmato, (V. ſupra h. Diſc. n. 10.) *fuerit conſecutus*? Et verò ex ante dictis manifeſtum eſt, per titulum iſtum Carolo M. neque poſſeſſionem neque jus aliquod in provincias Occidentalis Imperij veteris, quæ tempore Caroli non amplius fuerunt in ditione Populi Romani, eſſe conceſſum aut potuiſſe concedi. Igitur (verba ſunt *Conringii*) aut inani titùlo eſt affectus Carolus, aut ſi quid accepit, accepit illa quæ in Italia extra Longobardicū regnum reliqua erant, hactenus verò fuerant quaſi in Patrimonio Pontificis. Poſterius omnino verū eſt, licet id Autor noſter (§. 12. verſ. *ergo vix* &c.) implicitè non agnoſcere videatur, forſan ideo ne perſonato in ſuâ facie Italo larva detraheretur, qui omnia inclemétius in Papam dicta aliàs cenſuræ Sanctæ ſedis ſubmittit. Nos aſſertionem noſtram, Dn. *Conringium*, de patriâ noſtrâ bene meritum, ſequentes, ita probamus: Quum primâ in Italiam contra Longobardos expeditione feliciter finitâ, Carolus alteram adverſus Beneventanum Principem ſuſcepiſſet, illumque profligans Romā liberaſſet, duos novos titulos loco præmii retulit, à Pontifice Advocatus Ecclesię, à populo verò Romano Patritius urbis Romæ dictus, quo poſteriore titulo Carolus ipſam Exarchalem atque Principis poteſtatem & quaſi expectantiam ad Imperium accepiſſe videtur. Hinc Carolus cum Adrianum Pontificem Romæ conveniſſet, exceptus

Caroli Patritius dignitas, & poteſtas quam Romæ, ante acceptam dignitatem Imperatoriā exercuit.

eſt ritibus Exarchorum aut Patritiorum Romanorum, ut ſcribit *Anaſtaſius* (in vit. Hadriani) Tertiam deinde expeditionem in Italiam Carolus, quum adhuc Patritius & veluti Imperii Candidatus eſſet, ſuſcepit in gratiam Leonis III. Papæ, qui in tumultu, à Ioanne excitato, exutus erat Pontificalibus, & verberibus cæſus. Memorant annales Francorum ad an. 796. *Leonem, Hadriani ſucceſſorem, per Legatos claves confeſſionis S. Petri ac vexillum Romanæ vrbis cum aliis muneribus Regi miſiſſe, ac rogaviſſe vt aliquem de ſuis Optimatibus Romam mitteret, qui Populum Rom. ad ſuam ſidem atque ſubjectionem firmaret. Miſſus* tum fuit Engelbertus iiſdem Annalibus atteſtantibus. Legati Papæ Carolum tum Paderbornæ convenerunt. Ex hoc verò patet, Populum Romanum ante Carolinam inaugurationem in fide Pontificis non fuiſſe. Vtut verò Pontifices poſt Iconomachiam, à Græcis Imperatoribus ſuſceptam, ſenſim quoad per Longobardos licuit, ſeſe in civilibus etiam attollere, atque in Romanos etiam dominatum ſibi parare non obſcure moliti ſint; tamen cum Caroli formidabilem potentiam in Italia dein conſpicerent, criſtas illas Politicas (quas Sacerdotes, humilitatem ſinceram Servatoris ſibi ob oculos ponentes, minimè erigere debent) demiſerunt, atque eâ, quâ par eſt, reverentiâ potentiſſimum noſtrum Carolum, Germaniæ Romulum ac veluti Lycurgum, proſecuti ſunt. *Sigebertus Gemblacenſis* narrat Hadrianum Papam pro

Papa tempore Caroli M. ſerverunt uti ſiro.

acceptis beneficiis Carolo haud parum potestatis reddidiſſe. (Vide etiam. cap. 22. Diſt. 65.) Conſtat porrò & Carolum, nondum Imperatorem, ſed adhuc Patritium, cauſæ Leonis Papæ & conjuratorum examen inſtituiſſe an. 800. teſte *Annaſtaſio* & Autore *Annalium Franciæ*, unde clariſſimè perſpicitur, Caroli Patritii in Romanos & ipſum Papam poteſtas, Exarchali planè ſimilis. Leo etiam, ne quis ex legem jam tum fuiſſe ſomniet Pontificem, adulterii accuſatus, ſumpto Evangelii libro ſeſe de criminibus objectis Carolo purgavit. De cognatis Adriani, teſte *Eutropio* ſupplicium ſumptum, condemnatis 300. Romanis proceribus. Hinc Leo, ut gratiam referret Carolo, conſenſu Populi, vel, (ut *Platina* loquitur) Populi Romani decreto Carolum renunciavit Imperatorem, ut ſupra (n. 10.) dictum. Ius verò Caroli in Petrinum patrimonium (quod calliditate ac fraudibus Papalibus ita vocatum) inde colligere eſt, quòd, teſtibus annalibus Francicis, anno illo 800. quo Romam ivit in cauſâ Leonis cum exercitu Ravennam atque Anconam adierit; minimè id facturus niſi urbes illas ſuæ ditionis eſſe contuiſſet. (v. Dn. *Conring.* de Germ. Imp. Rom. c. 6.) Per ſubſequentem autem Imperatorium titulum Carolo noſtro collatum eſt jus omne in urbem Romam, Pontificem, Exarchatum Ravennæ & alia oppida quædam: extra Longobardici regni fines poſita. Vrbem Romam dominio Carolino indubiè

Poteſtas Francicis Imperatoribus per Imperatorium titulum collata.

fuisse subjectam patet ex *Zonarâ* (l. 3. in vit. Constantini & Irenes.) Ex annalibus etiam Francicis liquidò constat, jurisdictionem ac merum mixtumque imperium urbis fuisse tum penes Carolum. Habuit itidem Carolus Romanos in censu (Vid. *Capitul. Francor.* l. 6. c. 81.) ac Roma (teste *Eginhardo*) habitâ fuit pari cum aliis regni Carolini metropolitanis urbibus conditione. Quin & in testamento Carolino apud Eginhardum inter urbes Metropolitanas ejus primo loco numerantur: *Roma*, *Ravenna*. Vnde patet S. Petri Patrimonium, cujus primaria civitas erat Ravenna, quoque in dominio Carolino fuisse. Et quis credat Romam inferiore fuisse conditione, quam Ravennam? Imò si Pontifices Carolo subjecti, ut mox dicetur, etiam res & bona eorum; quum accessorium sequatur naturam sui principalis. Ipsum Pontificem Carolo fuisse subjectum patet ex causa Leonis, cujus modò mentionem fecimus: Liquet id etiam ex adoratione, qua more Antiquorum Principum, Carolum jamjam coronatum, excepit Leo (*Annal. Franc.* ad an. 801. qui etiam testantur de subsequente Caroli *ordinatione Romanæ urbis & Pontificis.*

Continuatio Imperatoriæ potestatis in posteris Caroli M.

XIV. Ludovici Pii Imp. integram jurisdictionem in Romam perspicere manifesto licet ex negotio eorum, qui Theodoricum Primicerium ac Leonem Nomenclatorem occiderunt (Vid. *Annal. Franc.* ad an. 820. & 824.) Leges à Lothario (qui à

Patre Pio Romam missus erat) Romano Populo tum promulgatas recitat Sigonius, & ex illo Baronius. Quin ut pater Carolus testamento Romam Metropolitanis civitatibus annumeravit, ut par Romanorum conditio esset (teste *Eginhardo*, *Chronic. Saxon.* & *Erfurtens.*) quibus proinde jus dixit, ac leges, quæ inde Carolinæ dictæ, tulit, sontibusque pœnam irrogavit: ita de Ludovico filio Theganus Chor Episcopus Trevirensis refert: *Statutum juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris Romam mitterentur, qui judiciariam exercentes potestatem, justitiam omni populo facerent, & tempore quo Imperatori visum foret, æquâ lance penderent, & secundum hoc statutum missi Romam delegati ad judicandum Papam Paschalem, cui nonnulli imputabant, quod homicidium perpetravisset* (Vid. *Thegan.* c. 16. 17. 18. *Baron.* ad an. 816.) Ludovicum in ipsum Leonem IV. apud se delatum, inquisivisse, huncque Cæsari se coactum purgare, testantur *Annales Franc.* ad an. 815. Iidem ad an. 817. narrant Stephanum Leonis successorem Legatos misisse Cæsari pro consecratione suâ, sequente anno 816. Paschalem post completum solenniter suam & munera & excusatoriam Imperatori misisse epistolam: aliâ legatione, quod præcessoribus suis factum erat, etiam secum fieri ac firmari rogasse: Confirmationem scil. ille petiit. Gregorius Papa an. 827. non prius ordinatus est, (verba sunt Annalium) quam legatus Imperatoris

Romam veniret, & electionem Populi examinaret. Eſt ergo merum Pontificiorum figmentum, quando ex c. *Ego Ludovicus* Diſt. 63. deducere volunt: Ludovicum Romæ curam omnem ita abjeciſſe, ut liberum fecerit Romanis Epiſcopum, quem vellent, ſuo arbitrio ſibi eligere. Nam fraude Bibliothecariorum Pontificum Rom. illud capitulum effictum. Obiter hic notandum ad Imperatoriam poteſtatem, à Carolo partam, conſervandam, apprimè utile fuiſſe, ſi Imperatores ſedem ſuam Romam poſtliminio quaſi reduxiſſent. Nam quantum abſentia Imperatorum Imperio nocuerit, Pontificiſque machinationibus vires addiderit, ſequentium ſeculorum res geſtæ ſatis docent. Poſt Ludovici obitum etiam *Lotharius* ſervavit eadem jura contra refractarios Romanos cives. Hinc cum in Sergio II. conſtituendo multa contra fas commiſiſſent per filium Ludovicum & malè eos mulctavit, & ſacramento novo ſibi obſtrinxit. (Vid. *Anaſtaſ.* in vit. Sergii.) Quomodo ab eodem Imperatore animadverſum ſit in Danielem Magiſtrum militum, læſæ majeſtatis accuſatum, narrat idem *Anaſtaſ.* (in vit. Leon. IV. Non alia fuit ratio Romanæ Reipub. Cæſare Ludovico II. imò hunc jura ſuâ majore curâ tutatum prolixè narrat *Autor appendicis Europianæ.* Benedictus III. ne quidem ordinatus eſt, niſi conſenſu Ludovici II. Cæſaris impetrato. Cum Carolus Calvus dein à Ioanne VIII. Papâ Imperator

inunctus esset Clerus ipsi dixit: *Nos unanimiter vos Protectorem, Dominum & defensorem omnium nostrum eligimus, cui & libenter toto cordis affectu subdi-gandemus.* Propagatum deinde jus illud in reliquos Caroli M. posteros & successores; donec Berengario & Widone ducibus regnum Italię defecit, Roma verò Theodoræ cessit. Ille motus à Carolo Calvo prosęminatus, ita Arnolphum Imp. irretivit, ut, licèt Romam per vim expugnarit, tamen contra Longobardos successu caruerit. Et habuere hi exinde nunc indigenas, nunc Burgundicos Reges. Arnolphus in Italiam profectus Formosum Pontificem ab adversariis liberavit, Romaque captâ in seditionis autores animadvertit. Romæ primum ab Arnolphi morte omnia Theodora potuit, post eam Marozia filia & Albericus nepos Marchio Thusciæ. Non verò impune tulissent Romani, nisi Ludovicum IV. Arnolfi filium, Conradum I. & Henricum Aucupem partim Hungarica, partim domestica bella in Germaniâ detinuissent. De Conrado pronunciat *Luitprandus* (l. 2. c. 7.) nisi mors obstitisset, futurum fuisse, ut nomen ejus multis mundi nationibus imperaret. (Vid. *Luitprand.* lib. 2.) Tempore Ludovici III. Cæsaris, quum Populus Rom. in eligendis Pontificibus in factiones scinderetur, lanienas mutuas in Pontificibus illa ætas detestata est; ac postea, accisis Francorum viribus, & ob Normannorum ac Hungarorum incursiones, Imp. jus

Imperatoris potestas Romæ [illegible] & peritur

competens in Romam, Papam ac patrimonium D. Petri non rarò nutauit, & quum turbæ in regno Longobardorum non cessarent, Romani Episcopi Longobardorum gentem, quam antea fœtidam, à Diabolo procreatam, idignam vitâ, nedum Imperio pronunciarant, ad summum rerum fastigium evehere conati sunt, exclusis Francis, quos Christianissimos non sine suo commodo vocarant. *Sigonius* (l. 5. de Regn. Ital.) testatur, quòd post obitum Caroli Crassi in Italia Pontifices deliberarint, de eligendo in posterum aliquo Italiæ Rege cum Imperatorio titulo. Omnium ferè Italorum tum una vox fuit, ex ipsis Italis oportere unum aliquem in Imperatorem eligi, quum Imperatores ex Caroli M. familia degenerent ab avitâ virtute & fortitudine, Saraceni verò per Italiam & Ecclesiam, Imperatoris viribus imminutis, grassarentur. Huc accedebat, quòd Carolus Crassus Imp. stirpe mascula carebat, & bello implicatus, Ecclesiæ & Italiæ rationibus præsens servire non poterat. Hinc, Italis instigantibus, Adrianus III. Pont. duo decreta condidit: Alterum pro Ecclesiæ Romanæ libertate, ut Pontifex designatus consecrari sine præsentiâ Regis aut Legatorum ejus posset: alterum pro Italiæ dignitate, ut, moriente Carolo Crasso Imp. sine liberis, Regnum Italicis Principibus unà cum titulo & jure Imperii traderetur. (Vid. pl. *Limnæ* addit. ad l. 1. c. 5. p. 13.) Cæterum ut Francorum priores virtute suâ

Arcana monitio Papæ.

Imperij Italici origo post Carolum M.

Imperium acquiſiverunt, & ſtabiliverunt; ita poſteriores ignaviâ ſua paſſim occaſiones Papis errandi dederunt, ut *Platina* loquitur; vel verius, per hypocriſis & ſuperſtitionum larvam decepti, à Pontificibus in errores inducti ſunt. Poſteri verò Henrici Aucupis, licèt ipſi ſui temporis ſuperſtitione ex parte faſcinati, Imperii tamen autoritatem adverſus æmulos & hoſtes, ipſumque adeò antagoniſtam primarium, Papam, ſtrenuè aſſeruerunt.

Monzambani error circa jus Imperatorũ in Papam.

X V. Ex hactenus allatis ſatis conſtare arbitror, erroneam eſſe autoris opinionem quando (§. 12.) aſſerere non veretur, Imperatores in Carolo M. ſummum imperium in Papas non eſſe conſecutos, ſed ſpecie quadam inæqualis fœderis ſedem Romanam ejuſque bona Carolo fuiſſe adjuncta: ſic ſatis abſurde etiam ſegerit Autor, quando porrò ait: Sedem Romanam non niſi comiter majeſtatem Caroli coluiſſe, & ab iſto tempore illam peculiaris inſtar civitatis præ ſe tuliſſe, neque cum regno Francorum in unam Rempub. propriè loquendo coaluiſſe. Nam primum in ſuperioribus, latè deduximus Cæſaribus à tempore Caroli M. poteſtatem fuiſſe non tantum in conſtituendis Pontificibus, ſed etiam in eorum vitam ac mores ipſos, inquirendi quamvis non quidem negandum ſit Carolum præ cæteris ſacris & venerabilibus locis Romam & B. Petri Apoſtoli Eccleſiam coluiſſe, quum nihil duxerit prius atque antiquius, quam ut Eccleſia S. Petri non ſolum per illum

tuta & defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus Ecclesiis esset ornata & ditata, quo superstitioso zelo tamen Carolus ansam inauditæ superbiæ Pontificum, quæ superbo splendore illo postea promota, dedit. Quod de inæquali fœdere porrò asserit Autor, quoque firmo Politico talo non innititur, utpote quum jus fœderum pangendorum summæ civilis majestatis sit proprium, quæ in Pontifice tum temporis minimè fuit, nec etiam esse debuit, non attentâ illâ canonum Papalium similitudine, quà Imperium Lunæ, Papá soli comparatur, cum è contrario per Solem potius regnum, Isidoro autore, per Lunam Sacerdotium intelligatur. (Vid. *Dantem Aligerium* Florentinum, qui lib. 3. similitudinem istam refutat) Idem Dantes explodit etiam argumenta illorum, quos Decretalistas vocant, quorum præcipuum est à duobus gladiis Petri desumptum. Et rectè quidem, quum *sit argumentatio à baculo ad angulum: Ecce duo gladii: Tu es Petrus: Pasce oves meas. Ergo Papa Romanus est Vicarius Dei in hiscè terris, & supra omnes Magistratus summos eminet.* Libenter autem ab Autore nostro scire velim, ubi fœderis illius inæqualis, inter Carolum & Papam initi mentio extet. Neque enim ex juramento Caroli, quod ad firmandam Ecclesiæ Advocatiam sive (ut propriè majores nostri loquebantur) *mundeburdium*, præstitit, tale fœdus concludi atque induci potest. Non enim sequitur: Imperator defensionem Ecclesiæ Romanæ juratò

promittit. Ergo fœdus iniit cum Ecclesia, & Pontifice Romano. Ecclesia enim est in Repub., non Respub. in Ecclesia; Principesque Supremi aliàs sunt Ecclesiæ nutritii & defensores, etiam juramēti vinculo (quod fœdus Politicum minimè facit) non interveniente. Nos subjectionem Papæ satis clarè supra deduximus; An verò subjecti cum superiore fœdus inire possint? Cæterum Autor noster valde proclivis est in asserendis inæqualibus fœderibus: Perpetuo enim errore docet, Status Imperii quoque cum Imperatore inæquali fœdere esse conglutinatos, uti passim, in egregio alias libello suo declamat; sed sine experientiæ, rerum magistræ, & fidei historicæ suffragio, ut infra dicetur. Falsum porrò est, quando Autor asserit Papam Caroli majestatem tantum comiter coluisse. Quod si enim Papa subjectus fuit Carolo, ut supra ostensum, quomodo comiter tantum majestatem illius colere potuit, aut debuit? Et contrarium potius ex annalibus rerum gestarum constat. Vnde sua sponte etiam falsa evadit, assertio Autoris, sedem Romanam in peculiarem quasi transiisse civitatem; quamvis suo modo verum sit, quod Autor ait, sedem Romanam cum regno Francorum in unam rempub. non coiisse, utpote quum Carolus non quatenus Rex Francorum, sed quatenus Imperator sedi ac urbi Romanæ præfuerit. Regnum enim Francorum, Longobardorum & Imperium Romanum esse atque semper mansisse distinctas ac peculiares Ref-

publicas præclarè vir summus Dn. Herm. *Conringius* (in egregio libr. de German. Imp. Rom.) docet. Contra omnem verò fi-ro fidem veritatis est, quando Autor porrò asserit, Carolum sedem Romanam, & quæ bona ad illam spectabant, in subjectorum numero non habuisse, aut in eandem usurpasse vim imperii, quum contrarium in jure & facto supra satis deductum sit. Et omnino contradictionem in adjecto committit Autor, in §. 12. vers. *Nam id defensoris.* &c. *compescere.* Verum enim est Germanorum proverbium: *Schuz und Schirm gibt Keine obrigkeit.* Quum verò Carolus noster, præsertim transactione cum Græcis initâ, urbis Romanæ & Pontificis (sive Romanæ sedis) ordinatione (ut Annales Franc. loquuntur) occupatus fuerit, in Paparum vitam & mores inquisierit, aliorum per totam Italiam Ecclesiasticorum res constituerit, cui etiam se Papa tanquam legitimo domino ac magistratui submissâ adoratione subjecit, facilè apparet nudi Patroni ac Defensoris officio Carolum non fuisse functum. Quid propriè Advocatia sit vid. ap. Dn. *Limnæ* in addit. ad l. 1. c. 5. p. 24. Vt rem accurato ordine proponam: Carolus *prima expeditione* in Italiam contra Longobardos, factus est Rex Italiæ; Et hactenus Populus Rom. & Papa in possessione vel quasi libertatis, suique juris manserunt. *Secundâ expeditione*, contra potentissimum Beneventanum Principem suscepta, quum Carolus hoc modo Romam liberasset, duos titulos accepit

Veri sententia contra Monzambano de potestate Caroli Magni.

[1.] *Patritii Romani* id eſt defenſoris (v. c. *Hadrianus. Diſt.* 63.) Ad Patritium autem pertinuit cura judicii & poteſtas in temporalibus (v. *Lehman.* l. 2. Chron. Spir. c. 40.) & hoc titulo plenam & abſolutam poteſtatem Carolo attributam aſſerit *Goldaſtus* (in Replicâ pro Imperio contra Gretſerum c. 13. p. 177.) [2.] *Advocati Eccleſiæ*, id eſt, Vice domini Epiſcoporum & Abbatum, qui ſecularium rerum & politicorum Eccleſiæ jurium curam gereret; adeoque Carolus M. cum advocatia iſtâ accepit ſimul Politicam adminiſtrationem omnium bonorum temporalium, quæ Regum Patritiorum & aliorum principum beneficio Eccleſiæ obvenerunt. Non itaq; Advocatia talis de tuitione & propagatione univerſalis Eccleſiæ & Chriſtianæ religionis intelligenda eſt. Hiſce titulis Carolo collatis Populus Rom. & Pontifex nondum plenè ſe ipſi ſubjecerunt. *Tertiâ expeditione* demũ, in gratiam Leonis III. inſtitutâ, Carolus renunciatus Imperator, in eumque fragmenta & reliquiæ Imperii Romani fuerunt collatæ, quarum nomine quid veniat paulò ante fuit expoſitum. Et hac tranſlatione Populus & Pontifex Romanus in Carolum omne jus ac poteſtatem in ſe contulit, id quod poſtea ab Imp. Græcis (qui tanquam veri domini illarum reliquiarum jus ſuum Carolo ceſſerunt) per tranſactionem confirmatum.

XVI. Præter dominium tamen in urbem *Imperatorius titulus Cæſa-* Romam, Papam & Patrimonium D. Petri videntur Cæſares titulo Imperatorio aliquid

honoris & quidem Primatum consecuti, ut Autor noster (§. 12. in fin.) rectè statuit. Apud omnes enim Christianos & moratiores gentes in Occidente hactenus Cæsareum nomen præ Regio aliquam reverentiam meruit. Hinc etiam Turcicus Imp. Cæsarem nostrum salutat, *den furnemsten unter den Potentaten Iesu.* (Vid. Dn. D. *Crusii* noviss. Tract. de Præcedentia.)

ribus honoris prærogativâ confert.

XVII. Quum mortuo Ludovico II. Imp. factione Ioannis VIII. Papæ Imperialis dignitas infringi nonnihil inciperet, & intestinis discordiis ac secutis regnorum divisionibus vires Francicorum Imperatorum attritæ essent, ac Germani Rempub. suam à regno Francorum disjungerent, Italiæ quoque regnum, frigidam suffundente Romano Præsule, gravissimis turbis involveretur, Imperatoriæ illi majestati, à Carolo M. partæ, Romæ caligo induci cœpit, illaque inclinata ac prope jacens, parum à ruinâ & civili morte abfuit, novum statum in sanctâ illa sede Papis sibi formantibus. Vnde Imperatores aliquot, tum temporis Italiam, bellis distenti, non adeuntes, à Papa dein non consecrati ac coronati fuere, cujus rei causam reddit M. *Palmerius*: Post *Arnolphum*, ait, *Imperium confunditur, dolentibus Romanis & universis Italiæ populis, quòd in Germaniam translatum esset: quamobrem nec à Romano Pontifice insigniti sunt Transalpini Imp. usque ad Ottonem I. Pertæsi verò Longobardorum tyrannidis, Othonem evocarunt Itali, ut Berengarium*

Imperialis dignitas transfertur per Ottonem ad Germaniæ Regnum in quo adhuc hodie fulget.

regno depelleret, quod poſtquam feciſſet, jure belli Italiæ Rex, ut Carolus M. renunciatus eſt. Poſtquam itaque Divinâ favente clementiâ, Otto I. nomine & re Magnus cum magno exercitu in Italiam profectus eſſet, regnumque Italiæ, devictis Berengariis, ſibi ſubjeciſſet, ipſi iterum æque ac Carolo M. auctoritate Pontificis & Populi Romani Imperatorius titulus collatus, ut docet Regino. Ioannes quidem Pontifex ejus nominis XII. de vetere gloria Italiæ renovanda, & antiquo recuperando Imperio aſſiduè cogitabat. Itaque tanquam Italus, valde ab exterorum Imperio abhorrens, Ottonem, ut hominem Germanum, ex Italiâ ejiciendum exiſtimavit, pleriſque Romanorum conſilium ejus, ut honeſtum ac Italiæ ſalutare, comprobantibus. Quum itaque cum Adelberto tacito ſe adverſus Ottonem fœdere junxiſſet, Otto eo cognito dixit: *Puer adhuc eſt Ioannes, ſpero etiam rectis me illum admonitionibus ad ſaniora conſilia reducturum*; id poſtquam fruſtra eſſet, Otto, illo depoſito, alium in locum ejus ſubſtituit. Autor noſter (§. 13. h.) putat Ottonem eodem quo Carolum jure, & quidem advocatiæ in defendenda tantum Eccleſiâ Romanâ gaviſum; quod itidem ſalvâ veritate admitti non poteſt. Ottoni enim primum ſummum Imperium urbis Romæ conceſſum, id quod ex collato Imperatorio titulo, qui illa tempeſtate dominium urbis ſignificabat, palam eſt. Confirmat idem juramentum fidelitatis,

Merzambam error.

quo ſeſe Ottoni obſtrinxerunt Romani cives, & quidem tribus vicibus, ut notant Luitprandus & Regino; firmiter ſcil. jurarunt (verba ſunt Luitprandi) *nunquam ſe Papam electuros & ordinaturos præter conſenſum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis* &c. Porrò & in Papam, ſive electionem ejus, ſive vitam ac mores ſpectes, jus Ottoni cum Cæſareo titulo datum eſt. Otto Imperator apud *Luitprandum* (l. 6. c. 10.) conqueritur, Ioannem Papam eſſe immemorem juramenti & fidelitatis, quod ſibi ſupra corpus S. Petri promiſerit. Vnde patet Papam fidelitatem juraſſe Imperatori Ottoni. In diplomate Ottonis illius, Ioanni Papæ dato, de bonis Epiſcopi Romani apud *Baronium* ad an. 962. diſertè bona illa omnia donantur, ſed hac conditione: *Salvâ in omnibus poteſtate noſtrâ & filii noſtri, poſterorumque noſtrorum:* item ne quis Pontifex in poſterum conſecraretur (verba Cæſaris ſunt) *priuſquam talem in præſentiâ Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri ſeu univerſæ generalitatis faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione atque futura conſervatione, qualem Dominus & venerandus ſpiritualis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcetur.* Atqui Leo ille Carolo M. ſubjecit ſeſe, prout olim Cæſaribus ſubjecti fuere Papæ, eoque Carolum ſtatim adoravit. In eodem diplomate conventum tum eſt, ut quotannis per Legatos Cæſari nuncietur, *qualem ſinguli Duces ac judices populo juſtitiam faciant.* Si enim ſecus quid fiat,

quam oportet, tum vero Imperatorem per Legatos ſuos id emendaturum. Ipſe Otto in Ioannis XII. vitam ac mores inquiſivit, Papam ad dicendam cauſam citavit in judicium, eum depoſuit, & alium eligi fecit, ipſe Leonis VIII. electioni annuit, uti ex Luitprando & ipſo Baronio manifeſtum eſt. Imò Romani tum Regno Germaniæ jura Cæſarea ex pacto in perpetuum ceſſerunt. Quo tempore enim Ottoni I. hereditario obvenit dignitas Cæſarea, verè illa acceſſit patrimonio Reipub. Germaniæ (Vid. Cranz. Metrop. l. 4. c. 10. cap. 23. Diſt. 63.) Vi illius conſtitutionis in æternum & Romani ipſi, & alii poteſtate Imperatores urbis Romæ eligendi ſunt exuti, omniſque hæc facultas in perpetuum eſt translata ad Germaniæ Rempub. Quo patet, quaſi ſurrogaſſe ſibi potius Romanum Populum in ſuâ jura Germaniam, quam ut Germania ſeſe illi Imperio ſubjecerit. Poſt obitum Ottonis II. & puero etiamnum Ottone III. integrum triennium Theophanes Imperatrix mater Ottonis Romæ Rempub. gubernavit, ut liquet ex Chronico *Lamberti Aſchafnabrugenſis*. De Ottone III. ita Glaber Rudolphus: *Contigit*, ait, *initio Imperii Ottonis, ut ſedes Apoſtolica urbis Romæ proprio viduaretur Pontifice, ipſe verò illico Imperiali uſque præcepto quendam ſuum conſanguineum elegit, atque ex more in ſede Apoſtolica ſublimari mandavit.* Ipſe Otto III. in tabulis, Sylveſtro Papæ datis, Romam appellat ſuam Vrbem Regiam, Contra-

dus II. Imp. an. 1003. integrum annum Romæ commemoratus rebelles compescuit. Mansit eadem per Vrbem Imperii vis & auctoritas usque ad tempora Hildebrandi, Papæ, quod etiam de Imperatorum auctoritate circa electionem Paparum probat prolixè verbis Onuphrii Panvinii Dn. *Conring.* de German. Imp. Rom. cap. 10.) Ottonis III. ætate Romani Papæ quidem in urbem & Italiæ multa loca absolutam quandam potestatem cæperunt sibi arrogare, prætendentes donationem Constantini M. & Caroli Calvi: Vtrumque verò & ipse Otto III. Cæsar, & Constantini scil. & Caroli donum, explosit, admonitus à Sylvestro II. Papâ, quo nemo Papalis curiæ fraudes, scelera & insolescentem arrogantiam majore aut candore aut animo est insectatus. Si itaque supremà urbis jurisdictio translata est denuo in Ottone M. in Cæsares, multo magis subjecta illis sunt, quæ ad Patrimonium Ecclesiæ pertinuerunt, ut rectè argutatur Dn. *Conringius.* Ottonum itaque ævo nondum audiebantur voces istæ tumidæ & Antichristianæ arrogantiæ plenæ:

Petra dedit Petro Romam, tibi Papa coronam: &,

Imperatorem Papæ subesse, non praeesse, debere; nec valebat palea: *Qui Princeps imperanti Pontifici non paruisset, ei sacris interdicendum*; quamvis jam solida hypocriticæ dominationis fundamenta jacta erant, ut ratum fieret, quod ipse Pius Pontifex (in Histor.

Australi) scribit : *Nihil excellenter malum in Ecclesia Catholica patrari, cujus prima origo à sacerdotibus non dependeat.* Et quod habet Friderici II. epistola apud Petrum de Vineis : *Revera Imperialis felicitas Papali semper impugnatur invidia.* Felix adhuc fuit Otto I. qui duos factiosos Papas exauctoravit, & Romanos rebelles fortiter ac feliciter compescuit, Vir cum cognomine, quod à magnitudine rerum gestarum invenit, cum præstantissimo Imperatore Carolo I. comparandus, tum præcipuè apud posteros Italico Regno, novis legibus & institutis instructo, commemorandus. Mortuo Ottone M. Romæ Ottone II. adolescente ingens confusio rursus nata, ac renovata vetere in Pontificiis comitiis ambitione Romani, neglecto proximo Leonis decreto, Pontifices, quos libido tulit, rursus sine Imperatoris autoritate crearunt. Cupiebat quidem Otto partam atque ordinatam à patre Italiam, nunc turbatam, invisere, sed bellis assidue occupatus non tam cito illi negotio se accingere potuit. Rebus verò Germanicis compositis A. 980. Romam profectus pœnas à seditiosis Romanis & & Italis, ut subditis, exegit, atque ex rebus gestis tantam sibi autoritatem comparavit, ut non inferior patre fuisse videatur, teste Sabino :

Non fuit inferior Primo virtute Secundus.
Multa domi gessit prælia, multa foris.

Otto quoque III. Papam constituit Brunonem hominem Germanum Gregorium V.

Crescentius autem consul Romanus quum Ioannem, Episcopum Placentinum, obduceret illi adversarium, postquam Romam Cæsar venit, Crescentium sociosque gravi & ignominioso supplicio affecit; Ioannem autem XIII. oculis privavit. Quum Imperium dein in Conrado II. ad Francos perveniret, ista translatio Welfis ingrata, Pontifices seditiosis consiliis & molitionibus implicitos novâ tyrannide armavit, cumque sub Henrico III. Romæ magni essent tumultus, quia de Pontificatu tres contendebant, & malis artibus omnia tentabant, ejus rei causa Cæsar eo profectus & per obsidionem captà urbe, Bambergensem Episcopum Suitgerum constituit Papam, qui mutato nomine dictus est Clemens II. à quo deinde fuit ipse consecratus. Tunc cives Romani denuo jurarunt, in creando Papà nihil, nisi de Cæsaris arbitrio, esse facturos. Mortuo dein Clemente, Cæsar Bopponem, Frisingensem Episcopum Romanis constituit Papam. Is est Damasus II. cumque & hic non amplius 23. diebus præfuisset, mortuo suffectus est, mandato Cæsaris, Tulliensis Episcopus Leo IX. Hoc mortuo Eistetensis Episcopus Gebhardus, ita volente Cæsare, successor declaratus, qui fuit Victor II. Ex his liquet vetus interdictum de non creando Pontifice absque Cæsaris voluntate adhuc sartum tectum fuisse servatum, licet ringerentur Pontifices, & nihil non contra hanc sanctionem molirentur. Nondum enim sui juris erant Pontifices,

nec de Imperio devicto triunphaverant. Imò ne Metropolitano quidem in synodo Germanicâ prælatus est Papa, ut Cuspinianus memorat. Cum enim contentio inter Papam & Presulem Moguntinum orta esset, cessit Pontifex Præsuli, cum is jura sua allegasset. Degenerarunt autem sub Henrico IV. Cæs. Papæ, & non scripturis, sed veneno autoritatem suam tuebantur: Concidit itaque cum Henrico III. potentia Imperii Romani per Carolum M. instaurata, per posteros verò ejus & Ottones aucta; donec per Evangelium postliminio revocata, & natalibus suis restituta est. Severinus noster de Monzambano (§. 13. h.) affert nonnullas causas collapsæ Imperatoriæ in Pontifices majestatis quod Germaniæ Reges jus suum in sedem Romanam sat mascule exercuerint. Cæterum regerimus Autori nostro, quod is dolo non faciat qui jure, sibi competente, & quidem tali in quo dimidium summæ potestatis positum est, scil. *in der Geistl. jurisdiction*, strenuè ac masculè utitur, præsertim in ejusmodi personas, quæ toties perfidiæ atque variarum adversus Cæsares machinationum argumenta satis superque dederant. *Solchen suspecten Romischen Pfaffen muste man den daumen vuol uff das Aug haltem.* Exempla nostris Cæsaribus non erant incognita. Ego doleo seriò, quod Imperatores Romæ non constituerint Vicarios & Vice-Imperatores Germanico sanguine prognatos, manuque militari circumdatos, qui jura Imperii & regni Italiæ strictè

Monzanbano in nonnullis censuram subit.

ſtrictè omnibuſque numeris obſervarint, Romanumque Epiſcopum intra orbitas atque cancellos modeſtiæ Apoſtolicæ continuerint. Id quum non fuerit factum, non eſt, cur miremur tantam cladem Reip. Chriſtianæ à ſuperbiſſimo Dæmone incarnato fuiſſe inflictam. Alteram cauſam perditi in ſedem Romanam juris Autor in Epiſcoporum Germanicorum gliſcentem potentiam refert. In eo Dn. Severinus noſter rem acu tangit. Epiſcopi enim, poſtquam imprudenti Politico errore ob fervidum ſuperſtitionis zelum Principes regni effecti, (vid. ſupra Diſc. 4. 5. ubi de Regimine Caroli M. & Ludovici I. actum) & Ottonum tempore territoriis & juriſdictione temporali aucti, per illos, tanquam fideles ac dilectos Apoſtolos ſuos, Papę Imperatoribus ingentem metum incuſſerunt, eoque tandem rem deduxerunt, ut Imperatores, vi majore Sacerdotum fracti, Pontificibus non amplius præeſſe, ſed ſubeſſe coacti fuerint, ut ex rebus, poſt tempora Gregori VII. Papæ in Imperio geſtis, non poteſt non eſſe perſpicuum. Tépore enim illius Titionis infernalis, ſive Hildebrandi, ſonuerunt horrendæ Draconis voces: *Papam ſolum habere jus & poteſtatem conferendi Epiſcopatus; Papam omnium Eccleſiarum jura ſibi vindicare; Etiam vera in Papam dicere, eſſe contra juramentum Epiſcoporum.* Cæterum hoc modo, dum juſtæ Imperatoriæ poteſtatis Epiſcopos faſtidium ſubire cæpit, illi cupientes vitare Scyllam, in Charybdim inciderunt. Ex-

periuntur enim magno malo ſuo Eccleſiaſtici: *Papas, cum Eccleſiaſticis ſuaviſſimum libertatis potum guſtandum dediſſent, pro eo acetum infudiſſe.* (vid. *Cranz.* l. 11. Metrop. c.24. lib. 9.c.9.) Porrò Autor noſter convulſæ Imperatoriæ in Papas poteſtatis cauſam confert in averſationem quibuſvis nationibus adverſus extraneam dominationem infixam. Et quidem illa cauſa Politica vera in theſi, & in genere, ut cum Philoſophis loquar; quum ſuis quiſque placidius pareat, & alienigenam dominum nemo libenter pati velit. Dolendum verò, quod in hypotheſi quoque hoc politicum axioma ad illam perſonam applicandum ſit, qui Chriſti Servatoris noſtri ſapientiſſimum monitum: *Principes regunt & vocantur domini clementes, vos autem non ſic*; ſemper in ſcrinio pectoris circumgeſtare debuiſſet. Cæterum tantumnè religio malorum ſuadere potuit, ut etiam ille, qui inter Sacerdotes primatum affectarat, ac quoque indeptus erat, & ſic à recto in vitia, à vitiis in prava devenerat, nunc à pravis in præcipitia prolaberetur, & Cæſari ſuo, non quidem Romæ & in Italia, ſed in Germania hærenti, veterem repudii formulam: *conditione* (aut potius) *imperio tuo non utar*; occinere auderet? Me Chriſte! adeonè res rediit, ut etiam Sacerdos in Italia primarius Imperatorem vel ideo, quod ſanguine Germanico cretus ſit, ſpernere, ac ipſius legitimi imperii vinculum laxare, atque diſrumpere audeat? Cæterum hæc nota Antichriſti, qui jam Ro-

mæ in Occidente regnat, in eoque omnes Evangelici ac Proteſtantes Germanici Ordines, Cæſari ſuo fidiſſimi, ac poſt Pacem Monaſterienſem firmiter nunc adhærentes, acquieſcunt. Valde turpiter autem noſter Dn. de Monzambano ſe dat, dum indignum fuiſſe pronunciat, prudentia celebres Italos craſſorum Germanorum ferocia imperia reſpicere. Quid de Italorum fucata & cerberea prudentia ac calliditate ſentiendum ſit, jam ſupra (Diſc. 1. n. 3.) dictum. Quod verò craſſitiem Germanorum Autor petulanti ſtylo ſuo contra τὸ πρέπον traducit, in eo, quum experientia ſatis redarguatur, ac falſi convincatur, idcirco nos larvatum noſtrum Italum, ſibi ſoli tantum ſapientem, ac Thraſonicâ arrogantiâ cum Gigantibus cœlum affectantem, in eo nunc miſſum relinquemus, ſummopere confiſi, fore, ut dies illas animi nebulas, ac ſtupidam craſſitiem Autoris diſpellat, & ita tandem diſcat, ſimplicem ac columbinam Germanorum noſtrorum prudentiam magis Chriſto, Deo noſtro probari, quam Italorum vafritiem, in perniciem aliorum ſemper vergentem. Sciat noſter Italus: *Ultra montem etiam homines, prudentiam cum candore miſcentes, habitare,* illoſque non habere neceſſum, ut Italorum Scholas, veluti diſcipuli, frequentent. Quidam ex amicis nuper, in Diſcurſu mecum habito, Severinum noſtrum ita excuſabat: Poſita ſcil. hæc ideo ab ipſo eſſe, quò magis fictam patriam ſuam in animis legentium

confirmaret, atque ita Pontificios in libelli ſui lectionem eò libentius pertraheret. Quicquid de eo ſit, hoc certum eſt Autorem noſtrum inſigni injuria Majeſtatem Imperatorum, Caroli M, Ottonum, & qui olim Papis imperarunt, affeciſſe, dum illos craſſos Germanos, eorumque imperia ferocia vocat. Certè qui Autorem noſtrum alias intus in cute non novit, ille, Satyricum illius ſcriptum legens, omnino ignorare cogitur, cujus ſpiritus filius, & cui religioſæ parti addictus ſit. Cæterum hæc tranſeant cum cæteris erroribus: Veram demum cauſam exemptionis Papalis ab Imperio Cæſarum Autor aſſignat (§. 13. verſ. *Urebat quoque* &c.) eamque in ambitione Eccleſiaſtica reponit, ſimul addens viam, quâ ſcopum ſuum tandem aſſecuti fuerint Pontifices poſt Gregorii VII. ſive Hildebrandi tempora. Poteſtas enim Cæſarum in urbem Romam, Papam & Patrimonium ejus manſit à Carolo M. uſque ad fatalem Cæſareæ ac Regiæ Majeſtatis Romano-Germanicæ caſum in Henrico IV, poſt quem per Gregorium VII. cæpit novus ille Papalis dominatus omnibus hactenus ſeculis inauditus. Ex eo igitur tempore priſca illa & vera Cæſarea poteſtas in urbem, in Pontificem & Patrimonium ejus tantum non eſt inter mortua. Tametſi verò Henricus IV. acerrimè contra invaleſcentem Pontificum tyrannidem, Imperatorum majeſtatem & jura armis belloque tutatus ſit, neque, à ſuis oppugnatus,

Imperatoria Majeſtatis caſus acruina eſt Hierarchiæ Papalis generatio.

& Pontificii anathematis fulmine ictus, quicquam cesserit; tamen ad extremum, viribus fractus & attritus, ab Anti-Cæsaribus, Episcopis, & aliis Papæ asseclis oppressus, succubuit. Hoc Henrici IV. tragicum fatum fuit, qui nulli Principum à temporibus Alexandri M. & Iulii Cæsaris fortitudine bellica concessit; quippe qui bis & sexagies aperto Marte semper victor extitit. Vt autem Henrici IV. res gestas circa Romanam sedem paulo accuratius pensitemus, constat ex annalibus, quum Stephano IX. extincto Benedictus quidã inconsulto Cæsare, Papatum invasisset, ejus nominis X. Romanique hoc factum minimè probarent; quod sui purgandi causa, missis ad Cæsarem Legatis, quam ipsius parenti fidem præstitissent, eandem ei quoque detulerint, & ut legitimum aliquem Pontificem constituat orarint. Itaque dejecto Benedicto, Florentinũ Episcopum Gerhardũ Cæsar illis tribuit, qui fuit Nicolaus II. Hoc mortuo Parmensem Episcopum substituit: quia verò Senatui Romano nihil communicarat, Lucensis Episcopus fuit electus Alexander II. quo mortuo Romani proceres inconsulto Cæsare substituerunt Hildebrandum qui Gregorius VII. dictus. Quum Cæsar id propterea cum Romanis expostularet, tandem Papa, quum Henrico se excusasset, eumque placasset, ab eo postea fuit confirmatus. Cæterum quum dein Henricus, à Papâ Romam citatus (Ecce Antichristianam audaciam) non compareret, iniquum ful-

men Iovis Capitolini ſive Hildebrandi illiuſque crudelis ambitio, omnium malorum ſubſequentium cauſa fuit, ut ex Hiſtoricis, qui illa tempora compoſuerunt, palam eſt. Brixiæ tandem ab Henrico actus conventus, in quo decretum: Gregorium non eſſe legitimum urbis Romæ Epiſcopum; ſuffectuſque in ejus locum Archiepiſcopus Ravennas, Victor III. Inde Cæſar Romam contendit, Gregorium obſidet, quo fugâ tandem dilapſo, Victorem III. confirmat, ab eoque conſecratur. Quum poſtea Henrici IV. ſucceſſores à Papis mirum in modum variis æmulis vexarentur uſque ad Ludovicum IV. Imp. tandem Germaniæ Reges Italiam porrò adeundi tædium cœpit, ſicque ſedes Romana viâ facti per varias artes magnoſq; Europæ motus arbitrio Pontificum relicta. Jus tamen adhuc hodie Germaniæ in ſedem illam regnumque Italiæ ſupereſſe, ac Papam neque donationis neque præſcriptionis titulo ſe tueri poſſe, accuratè exponit Dn. *Conringius* (Tr. de Finib. Imper.) Bene itaque eſt, quod ſacratiſſimi noſtri Imperatores, de facto hodie Româ excluſi, titulum tamen Imperatorium, & cum illo priſtinum jus ſaltem animo retineant. Sanè Carolus V. quum adhuc ſuperiori ſeculo Romam cepiſſet, numiſmata (teſte *Luckio*) cudi fecit, hac inſcriptione: *In ſpem priſci honoris.* Et quamvis coronatio Romana hodie omittatur, tamen illa, priuſquam Cæſares noſtri integrum jus Imperatorium in ur-

bem Romam, Papam ejusque patrimonium, à Gregorio VII. ipsis ereptum, & hactenus à successoribus illius denegatum, recuperent, minime necessaria est, quum hodiernus Imperator, quatenus est Rex Germaniæ, minimè illà indigeat. Adveniat tandem illa dies, quâ recuperatis propriè dicti Romani Imperii, Regnique Italiæ, juribus integris, Imperatores Romani ac Germaniæ Italiæque Reges tempora in mores priscos plenissimè reducant, trinamque Coronationem, olim ævo Carolino usitatam, in bonum usum revocent. Cæterum spes prisci illius honoris ferè decollavit, ni fata insperato aliam viam invenient. Quod verò Imperator adhuc hodie in Lege Regià Germanorum sive Capitulatione suâ promittat sedis Romanæ defensionem, de qua etiam Autor (in fin. §. 13.) monet, illud priscum ævum Carolinum sapere videtur, nec prius firmiter Imperatorem obligare in conscientia poterit, nisi Papæ illam personam, quam post Gregorii VII. tempora sibi præter jus & fas adaptarunt, iterum exuant, verè Apostolicos Christianos, juxta primævæ Ecclesiæ mores, se præbeant, & præstanda præstent. Vnde etiam rectè Evangelici Electores, qui hactenus cum reliquis Pontificiis Electoribus Principibus capitulationes Cæsari præscripserunt, quoad illud capitulum, scil. curam defendendæ Romanæ sedis, in Capitulatione Leopoldina Imperatorem otiosum esse jubent ut Autor h. ait. Et rectè quidem, utpote

quum Papæ dudum ante multa secula præsertim post Heilebrandum Papam à Pristinâ innocentiâ deflexerint, Antichristi personam induerint, ac planè se in bestiam illam, à Ioanne Apocalypta descriptam transformarint, imò etiam novissimè nihil non moliti sint, ut, Pace Monasteriensi sublatâ, Germania iterum incendiis bellorum civilium conflagret atque funditus pereat. Vt pestifer ac perniciosus iste serpens in sinu Germaniæ non amplius foveatur, Episcopique illius exteri Præsulis ac incarnati Diaboli jussiones non amplius curent, summopere universæ Germaniæ interest. Quod si itaque juxta cynosuram Instrumenti Pacis (art. 8. vers. *Habeantur*) aliquando arbitrio omnium Imperii ordinum perpetua capitulatio condenda foret, articulus ille de defensione Romanæ sedis, quem Catholici Electores Legi Regiæ inserere solent, tamdiu omittatur ac potius suspendatur, donec Papa se rursus ad bonam frugem recipiat, Imperatoremque pro legitimo Rege ac Domino suo agnoscat, omniaque mala ac pravos abusus, in Ecclesiam Christi invectos, penitus tollat ac æternâ amnestiâ aboleat. Secus si fiat, qua ratione Imperator noster vi juramenti illum defendere tenebitur? qui dies noctesque Imperii ruinam & interitum quærit, quale juramentum contra Reipubl. salutem ac fundamenta præstitum, minimè tamen est obligatorium. Apprime autem utile erit, ut Ordines in futurâ perpetuâ capitulatione, re-

Interesse Imperii quoad defensionem sedis Romanæ.

Capita quædam in futurâ perpetuâ capitulatione attendenda.

petant fulera illa Imperii, olim in Comitiis Francofurtenſibus tempore Ludovici Bavari Imperatoris ſancita, nimirum: *Pontifici Romano nullum jus competere in Imperium & Imperatorem; Ejus excommunicationem non curandam; Concilium eſſe ſupra Papam; Conſenſum Papæ ad creandum Imperatorem non eſſe neceſſarium.* &c. quibus addi poterit: *Pontificem, quamdiu ſe ſupra Imperatores & Reges Germaniæ erigat, iiſque legitimam obedientiam præſtare detrectet, non eſſe in iſtâ malitiâ defendendum, ſed potius illi, ſi quid in perniciem Imperij porrò, uti hactenus à Gregorii VII. temporibus factum, aliquid molitur, conjunctis animis ac viribus, uti tempore Friderici I. & Ludovici Bavari factum, ipſi eſſe reſiſtendum*; & ſi quæ ſunt alia ad tranquillandum ac conſervandum Germanici Imperii ſtatum pertinentia, de quibus Imperii Status præſertim Evangelici, quibus Reſpublica & Eccleſia curæ & cordi eſt, ſerio inpoſterum ſine omni dubio deliberaturi ſunt.

XVIII. Sed ut ad propoſitum redeamus, ex quo Henrico IV. jus conſtituendi Pontifices, & Henrico V. jus inveſtituræ Epiſcopalis à Papis violenter extortum eſt, non modò dimidium majeſtatis Cæſareæ per hanc juriſdictionis ſacræ amiſſionem (Eccleſiaſticam enim qui in manu habet, dimidium Reip. tenet) periit, verum etiam Pontifex ab eo tempore tyrannidem ſuam in Sacro-ſanctam Imperii Rempub. fulminibus ſuis, è Tarpeiâ

arce emissis, divisione item Procerum in eligendis ac creandis Imperatoribus ita continuavit, vt ferè semper, præsertim in diuturno interregno post tempora Friderici II. inter Rempub. & anarchiam dubia fluctuarit. De statu rerum post Henrici V. tempora, ubi distinctio inter Ecclesiastica & regalia ob Antichristi crudelitatem horrendam cæpit, ita *Waltramus* Episcopus Naumburgensis : *Ex hoc tempore nova pars Episcoporum ex beneficiis fidelium insolescens, sub specie religionis omnia manibus expansis ad se trahit, omnes sunt sepulchra dealbata & hypocritæ.* Tunc Pontifices novi juris accessione firmati, Imperii vires ita attenuare cæperunt, ut Imperatores, subsidio rerum gerendarum enervati, nihil fere præclari pro honore & incremento Imperii suscipere potuerint : Diabolú tunc solutum fuisse D. Lutherus divinat : Promiscua sacerdotum turba ejusmodi tum erat, ut, teste *Abbate Vrspergense*, digni qui suibus essent canibusque patres. *Romæ*, exclamat *Theodorus* Abbas, *regnat Simon Magus, loco Simonis Petri, & Simonia loco Evangelii.* Henrico V. successit *Lotharius* II. qui ea ferè per Italiam egit, quæ olim Carolus M. Cæterum quum videret Furias Romanorum Pontificum civili sanguine Germaniam inundasse, infelici errore Pontificiam dignitatem asseruit, & in majus promovit. Hinc quum Innocentius III. vocato in Lateranum Lothario, ipsi coronam imposuisset, protinus ad prodendam rei, novo exemplo actæ, me-

Papa tyrannus affligit Imperium, post Henrici IV. V. tempora: Imperiumque Romanū perit.

moriam hujus facti seriem in pariete pingi, atque hos versus subscribi mandauit:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Post homo fit Papa, sumit quo dante coronam.

Fuit alias hic Imperator bello strenuus, providus in consilio, dignus sanè qui in Evangelica tempora incidisset, nec tam fædâ superstitione fascinatus, Pontifici sese mancipasset. Lotharium excepit *Conradus* III. sub quo Romæ Pontifices, furiis ultricibus agitati, armis inter se de dignitate contenderunt. Hisce temporibus Occidentales sive Latini plus quam humanâ audacia pro recuperandâ terra sanctâ expeditiones susceperunt, quæ tribus sequentibus seculis perpetuâ quasi serie continuatæ fuerunt. Causa primaria hujus motus erat Pontificum tyrannis, qui, cum Henrico IV. & V. tandem extorsissent jurisdictionem sacram, ac insuper nossent: *Nullum violentum esse diuturnum*; ne iterum Ottones aliqui emergerent, ac jus antiquum Imperio vindicarent, ablegare eos religionis specie ac pretextu in Orientem visum. Prudenter itaque Fridericus *à Landskron* ad Imperatorem Sigismundum dixit: *Man Ziehet uber Meer, und ficht an die Heiden: Blieben sie da heim, und lebten Wie Christen, das Were eine gute Meerfarth; ich halte jederman Kehrete Zu uns.* Conrado III. successit Imperator Fridericus I. ludibrium Pontificalis tyrannidis. Nam ab Alexan-

Expeditiones in Palæstinã tyrannidẽ Papalem promovent.

dro III. excommunicatus & Guelphorum (id eſt, factioſorum, qui Pontifici in Italiâ adhærebant) per Italiam rebellione vexatus, ſexies cum exercitu Italiam ingreſſus eſt. Prima expeditione Romam profectus ac ab Hadriano IV. conſecratus, cives Romanos tumultuantes oppreſſit; tertiâ expeditione Romam fruſtra obſedit; ac dein cum variè à Papis vexaretur, pace cum Pontifice factâ, ſuaſu Papæ in terram ſanctam cum exercitu profectus, ſtrenuus ille aſſertor jurium Imperii, & immortalis Heros, periit in Cydno Ciliciæ amne, in quo olim etiam Alexander M. vitæ periculum incurrerat. Fortiſſimus ille Imperator, Imperii jurium pergnarus cenſor, ſine dubio labem Imperii, quam ipſi à tempore Gregorii VII. Pontifices adſperſerant, depuliſſet, ac omnia jura competentia poſt liminio quaſi in priſtinum honorificum ſtatum reduxiſſet, niſi Papa illum ſub ſpecie religionis in Paleſtinam miſiſſet. Politici notant alias ſingulare tyrannorum ſtratagema, quo homines nimium eminentes, ſuſpectos ac formidabiles, ſub ſpecie honoris in remotiora loca à latere ſuo mittunt, ut ibi vel pereant, vel ſpiritus paulo ferociores ipſis infringantur. Idem ſtratagema in ſtabiliendo ſuo Pap-imperio adhibuerunt, Pontifices & irreligioſi tyranni, atque his expeditionibus religioſis, in Aſiam ſuſceptis, Germanorum aliorumque ſuſpectam ac formidabilem potentiam frangere conati ſunt. Quod cum iſtâ viâ non in totum procedere vellet, Germa-

niam noſtram perpetuis diviſionibus in electionibus Imperatorum, creatione Anti-Cæſarum, & excommunicationibus miſerè vaſtarunt, & tantum non ad perpetuam anarchiam deduxerunt. Sed redeundo ad noſtrum Fridericum, is, quum Romani ipſum, rebus in Italia præclarè geſtis, ſollicitarent, ut urbem in antiquam Reip. formam reſtitueret, depulſo Clericorum dominatu, ita reſpondit: *Floruiſſe quondam in ea virtutis & Reip. indolem; nunc verò ita exaruiſſe, ut ne veſtigia quidem extarent: à Carolo primùm, deinde ab Ottone labefactatam; quâ verò ipſi glorientur, Reip. diſciplinam, jampridem ad Germanos cum Imperio eſſe tranſlatam. Nam apud ſe Conſules, apud ſe Senatum, apud ſe Equites eſſe, Procerum Germanorum conſilio Rempub. regi, juvenum Germanorum robore eam defendi. Falli porrò eos, qui ſe Imperium à Germanis accepiſſe dicerent; non enim Romanorum beneficio datum, ſed Caroli & Othonis armis eſſe quæſitum, quos conſtaret à Romanis in Italiam fuiſſe non voluntate, ſed neceſſitate vocatos, ut adverſus Deſiderium & Berengarium, à quibus gravius premebantur, libertatem ſalutemque defenderent.* Idem Imperator, quum Hadrianus Pontifex ad eum ſcripſiſſet; Se beneficii loco Friderico inſigne regium contuliſſe; mirum in modum cum Imperii Principibus offenſus, Imperium haudquaquam Pontificis beneficium eſſe dixit, Imperatorque literis per univerſam Germaniam ſignificavit: *Se ſoli Deo & Principibus Impe-*

Iudicium Friderici de Romana Republicâ & de Imperio Romano ad Germanos tranſlato.

rium acceptum referre. Quum itidem Vesconti one conventum ageret Fridericus, ac Legati Papæ superbiæ & arrogantiæ plenas afferrent literas; Legatis in hunc modum respondit Fridericus: *Iuberent Papam cogitare de sectandis vestigiis Petri, cogitare de portandâ cruce Domini potius, quàm de regnis tradendis, adimendis, transferendis: cogitare se Præsulem & sacrorum antistitem, non Augustum esse; alioquin si sibi plus æquo arrogare velit, inter se & ipsum convenire nequaquam bene posse*, &c. Quum Romæ esset Fridericus, in aulæ Pontificiæ pariete depictam viderat imaginem Lotharii Imperatoris flexis genibus coronam Imperialem ab Innocentio II. accipientis, adscripto insulso epigrammate, quod *Radevicus* (l. 1. c. 10.) recitat: *Rex venit ante fores*, &c. quo cum se beneficiarium Papæ appellari intelligeret, ægerrimè eam contumeliam tulit; quod ita excusare conatus est Pontifex, ut diceret *beneficium* se non pro *feudo*, sed *bono facto* accipi voluisse. Hac itaque ætate Status Imperii verè miserabilis extitit, sede Romanâ, supra omne id, quod Deus appellatur, se efferente, qua de re ita scribit *Machiavellus* Florentinus: Per bella à Pontificibus concitata Romanum Imperium concidit, quia Papæ etiam seditiones Guelphorum & Gibellinorum accenderunt & foverunt. *Petrus Ferrariensis* (in Pract. Libelland.) ait Papam destruxisse Imperii Statum, & omnium Laicorum. Sigfridus Presbyter & Nicolaus Bibrachus testantur Martinum III. Papam optasse, ut to-

ta Germania unum esset stagnum, quo submergeretur; vel omnes Germanos Principes unam haberent cervicem quam uno ictu amputare posset. Post Henricum VI. Imp. divisi Principum animi aliis Ottonem Ducem Brunsv. aliis *Philippum* Sueviæ Ducem eligentibus: Ottonem confirmavit Papa Innocentius III. Philippum verò excommunicavit, addendo: *Aut Pontifex diadema regium Philippo, aut Philippus Pontifici insigne Apostolicum adimat*, prout refert Vrspergensis. Hinc multiplicata sunt mala in Imperio, bella, incendia, destructiones urbium, & pauperum neces patratæ, & per decem ferè annos perpetuum virtutum suarum antagonistam expertus est Papam Philippus. Hoc ab Ottone Wittelsbachio interempto, *Otto* successit, quem tamen antea amicissimum, Papa mox odio habens, excommunicat, Principésque sollicitat, ut alium eligant. Arcanum Pontificatus Romani hoc tempore erat: Imperatores perpetuis æmulis vexare, atque ita eos rerum suarum sollicitos reddere, ut omnem de Italia cogitationem deponere cogerentur. Ottonem excepit *Fridericus II.* Pontificum Romanorum perpetuus quasi scopus, in quem fulmina sua execrationis irasque vibrarent, qui tamen incredibili cum fortitudine tyrannidi eorum sese opposuit. In terrâ sanctâ à Papâ impeditus ad R. Franciæ scripsit: *Serpentem in sinu fovemus; itaque qui pondus incudis patienter ac devotè hactenus subivimus, de cætero mallei officium assumemus.* In Epistola

Arcanũ Papæ.

32. (ap. *Petr. de Vineis*) expreſſè Papam vocat Antichriſtum & Balaam ac Principem tenebrarum, & Draconem qui orbem ſeducat univerſum, & Imperatoriæ Majeſtatis jubar in eclipſin deducere contendat. Adverſus illum Papa duos Anti-Cæſares creari fecerat Henricum Thuringiæ & Haſſiæ Landgravium, qui, victus à Cæſaris filio Conrado, per contemptum dictus eſt Rex Pontificius (*Pfaffenkonig*,) quo mortuo Wilhelmum Hollandię Comitem contra Fridericum eligi Papa fecit, qui novem annis regnavit. Imperator hic avo Friderico I. non inferior futurus erat, niſi Papa virtutem ipſam exſcindere deſudaſſet, qui Mahaladinem Soldanum ad fœdus cum Imperatore, in Palęſtinâ degenti, rumpendum animavit, & in innocentiſſimi Imperatoris cervicem armare voluit. Reſcripſit tamen, Papâ melior, Soldanus: *De Chriſto cujus tu prætextu Eccleſiam perſequeris, plus nobis quàm vobis conſtat, eique plus quàm vos tribuimus. Inter Cæſarem & me conſtans inita eſt amicitia, & inde à patre meo conciliata benevolentia, quam diremptam nolo, ſed potius proditionem hanc Cæſari, amico noſtro, aperiam.* Ita per totam vitam hic Imperator exagitatus eſt à Pontificibus, ut Micyllus rectè ſcribat:

Principe in hoc patuit Romani injuria Papæ;
Et quantum ſceleris curia tota tegat.

Poſt hujus obitum, ſecutum eſt in Imperio diuturnum interregnum, & quum non eſſet Rex in Germania, Pontifex in eâ temporum pertur-

perturbatione Neapolitanum ac Siciliæ regnum à familiâ Cæsaris Friderici in Gallos, quorum armis tum Pontifices nitebantur, transtulit, unde exortæ sunt postea famosæ Vesperæ Siculæ, quæ Gallos & Hispanos postea indelebili ac plus quàm Vatiniano odio inter se commiserunt, quod altâ mente repositum & hereditarium factum, nondum hodie extinctum est. Atrox autem ejusmodi & gravissimum bellum civile, sive Imperatorium sive Pontificium, sive utrumque dixeris, duravit per annos 200. Nam geri cœpit circa Pontificatum Gregorii VII. A. C. circiter 1073. indeque gestum dum eligitur Rudolphus A. C. 1273. nec ullum bellum post sacrum funestius fuit, aut majore perfidia gestum. Imperatores enim, provocati ferè à Romano Pontifice, pugnarunt armis & viribus suis, inevitabili necessitate ad vim propulsandam adducti. Pontifices verò certarunt plus quam Punicâ perfidiâ, artibus dolis, & ferè armis alienis. Vbi magna inter Christum & Vicarium ejus differentia deprehenditur: Christus enim pro omnibus morti se objecit: Vicarius ejus omnes pro se morti objicit, datque operam, ut omnibus malè, dummodo ipsi bene sit. Sed ad Imperatores redeundo, quum Respubl. tot annis in interregno fluctuasset, tandem Principes ex negligentiâ suâ veternâ excitati, de capite iterum consultare cæperunt, elegeruntque tandem *Rudolphum* Comitem Habsburgicum, qui Imperii interesse in Italia

Bellum Papale est Ilias & Lerna omnium malorum in Imperio Romano.

persequi destitit, eamque ob arcanam rationem nunquam est ingressus. *Hieroglyphicum ei tribuitur*: Melius est bene imperare quam Imperium ampliare. Fertur per jocum aliquando narrasse fabulam de vulpe, quæ leonem, simulatè ægrotantem, quodam in specu, non adibat, quod vestigiis aliorum animantium, semper introrsum non verò retrorsum spectantibus, terreretur. Præfectum tamen in Italia constituit, ac veluti Vicarium: Ita perpetuis simultatibus & Paparum inimicitiis defatigati Cæsares, facti sunt paulatim remissiores: Nec enim prius acquieverunt Pontifices, quam illos extra Italiæ fines submovissent: Et quia Regum Galliæ præsidiis ferè nitebantur, ac per Episcopos Germaniæ factiones alebant, effecerunt tandem, quod pridem animo concupiverant. Ita illi, (verba sunt *Sleidani*) qui beneficio Cæsarum incolumes fuerunt, vitamque tolerarunt, & locum suum atque dignitatem retinuerunt, amplificati bonis eorum atque munificentiâ, dominatum sibi sumpserunt in illos, & patrimonio quoque fraudarunt. Non solum enim Italiæ bonam partem Papæ occuparunt, sed Siciliæ quoque Reges atque Neapolis arctè sibi devinxerunt. Nam hi & tributum illis annuum dependunt, & dignitatem Imperatoriam suscipere prohibentur, nisi permissu illorum; & quum in possessionem ab eis mittuntur, hoc ipsum jurant inter alia. Adeò verum est illud *Ioh. Petr. de Ferrariis*: Heu!

miseri Imperatores & Principes seculares, qui vos servos Pontificum facitis, & mundum per eos infinitis modis usurpari, & decipi videtis, nec de re medio cogitatis! Hæc ille. Rudolphus Imp. acceptâ pecuniâ Italiæ multas civitates, quæ ditionis erant Imperii, liberas & immunes fecisse dicitur, Florentinos, Genuates, Lucenses &c. (Vide tamen *Conring.* de Finib. Imper. c. 23.) Hic Imp. insuper pervicaciam & venenatam tyrannidem, robustamque fraudem Rom. Pontificum compressit, ac Gregorio X. Exarchatum, quem Carolus M. Romandiolam vocari jussit, confirmavit, & ut Iason Draconi, flammas spiranti, hanc offam in os Cerberi Romani conjecit, quâ placatus & electionem ejus ratam haberet & Imperium parcius venenato halitu afflaret. Mortuo Gregorio, quum Honorius IV. ab Episcopis quartas per quinquennium omnium rerum, & à sacerdotibus atque monachis stipendia exigeret, tum Wurzburgi in comitiis Episcopus Tullensis inter alia in hæc verba, teste Aventino, erupit: *Quousque, Collegæ carissimi, Romulei illi vultures patientiâ nostrâ ne dicam stultitiâ, abutentur? Quousque eorum flagitia, avaritiam, superbiam, luxum tolerabimus? Non cessabit hoc genus archisij nagogon pessimum, nisi omnes ad egestatem & servitutem durissimam redegerit. Discordiâ nostrâ hoc malum crevit discordiâ nostra illi nebulones tuti sunt, nec illis regnantibus unquam licebit nobis pacem &* *Nota causas quare Papa prævaluerit.*

Nota fraudes & scelera Paparum adversus Imperium commissa

pietatem colere. Nuper Saxones & Suevos inter se commiserunt. Deinde Fridericum II. Reipub. utilissimum, Conradum IV. Principes Suevos Imperio simul & vitâ privarunt. Conradinum deinde insontissimum, & optimæ indolis adolescentem, jure gentium hereditatem majorum repetentem fraude doloque interceptum necarunt. Suevos atque Francos, Vestriacos inter se armis commiserunt. Deinde aduersus hos Hispanos concitarunt: Nunc nos adversus Galliæ & Hispaniæ Principes, cognatos nostros, ex Germaniâ quondam profectos, concitare nituntur. Quod ante 12. *annos Gregerius X. cum decimis egit, id ipsum Honorius IV. cum quartis aget. Ille, ut aurum emungeret, Turcas in nos armavit: & hic vectigal magis quam nos salvos vult. Hæc autem Deo accepta non esse, eventus ipse probat. Proinde expergiscimini* &c. Hæc ille. Vtinam omnes Germaniæ Archiepiscopi, Episcopi, Abbates ita essent animati, Romanis Harpyis veterem repudii formulam occinerent, externumque dominatum Romani Archi Præsulis, onus mille Ætnis gravius importantem, abjicientes, tandem se in auream Evangelicam libertatem vindicarent! Sanè hic Episcopus Tullensis Rudolphinâ illâ ætate dixit æquissimum, commodumque ac salutem Imperii publicam ursit; dolendum tamen, quod surdis tum narrata fuerit veritas. Nos Evangelici omnes Deo psallimus, quòd *Accipiter Romanus* ungulas suas rapaces nobis amplius injicere atque infli-

Inter esse Imperij ad versus curiam Romanã.

gere nequeat. Deus perennare jubeat Pacem Westphalicam, cujus aureus articulus V. Evangelicis inæstimabilem libertatem à tyrannide & duro ac gravi Imperio Ecclesiastico Romani Papæ peperit. Pretiosissimum illud κειμήλιον atque omni auro Indico, atque Hungarico præstantius Clinodium ut Protestantes ac Evangelici Imperii Principes conservent, & exactissimâ diligentiâ custodiant, suprema illorum lex exigit. *Strick ist enzWey und Wir sind frey; des Herren Nahme stehe uns bey.* (Vid. *Burgoldens.* ad art. 5. Instr. Pac. passim.) Sub Alberto I. Imp. sedi Romanæ præfuit Bonifacius VIII. ingentis spiritus Pontifex, qui intravit, ut vulpes; regnavit, ut leo, mortuus ut canis. Quum is leonis ac canis iram in Philippum Pulchrum Galliæ Regem gereret, tandem ab eo captus, ac mærore animi mortuus est, ut canis, à Sarra antea equo indomito impositus, facie ad caudam versa. Tum temporis in Germania Volquinus Episcopus Mindensis in homiliâ de Zizaniis dixit: *Proh dolor, & proh dolor, hodie meretrix antiqua, quæ poculum aureum abominatione, fornicatione, & immundicia plenum in manu suâ habet, mirabiliter inebriat sacerdotes & clericos; de qua in Apocalypsi prædictum est.* Nimirum hac luctuosissima Imperii ætate (1) potestas legis Ecclesiasticæ condendæ, quam Impp. tot annis sartam tectamque retinuerant, ad molendinum Papale tracta; (2) Primatus sessionis & ordinis, in prima-

Artic. V. Instr. Pac.

Imperatorum Romanum Imperium Paparum violentia atteritur.

atque prosternitur, & novum Pap imperium stabilitur.

tum potestatis conversus (3) uterque gladius Politicus & Ecclesiasticus, quo hactenus soli Imperatores armati, nunc à Papa violenter arreptus (4) cum antea Imperatores legibus soluti; nunc Papa se supra leges esse clamat, neque se iis subjicit, à nullo judicandus, tametsi innumerabiles populos catervatim secum ducat ad inferos. En Antichristi regnum! (5.) Imperium urbis Romæ, quod jure meritoque Imperatores nostri sibi vindicant, Papa tum palam sibi attribuit. Et hæc est illa Politia, quam Centuriatores Magdeburgenses *Papa cæsariatum* appellant, de qua consule Ioannem Apocalyptam tot. c. 13. Hinc meretrix Babylonica inebriavit vino fornicationis suæ tum Reges tum omnes terræ incolas. Fornicationem carnalem deplorat *Hugo* inquiens: *Utinam clerici saltem uxores pascerent sicut Iudas, sed ipsi pascunt concubinas de bonis Christi.* Virtutes tum usitatissimæ erant Simonia & hypocrisis, quas Bonaventura duas Diaboli filias vocat, Prælatis & religiosis nuptum collocatas. Hac itaque ætate regnum Antichristi à Phoca & Pipino Rege fundatum, Ludovici I. verò & aliorum Imp. conniventiâ auctum, & à tempore Gregorii VII. usque ad Bonifacium VIII. per varios lamentabiles casus ad supremum fastigium perductum fuit, atque ita Imperii Romani fragmenta à Carolo M. Francis, ab Ottone M. verò Germanis parta, manibus Germaniæ Regum excussa, Iovi Vaticano per vim & varias molitiones cesserunt; ut veri sint versus Hassensteinii:

Fulmine quæ nunquã fertur percussa volucris,
Casibus ut variis, Sturne Poëta, patet
Perdidit hæc alas dudum, caudamque pedesque
Concessit Latio Pontificique caput.

Quo pertinet etiam Germani cujusdam judicium de tyrannide Papæ: *Das der Römische Pfaff im Römischen Regiment sey gevvesen, Wie ein Marder im Taubenschlag.* Postquam autem Papæ tyrannidem suam stabilitam viderunt, nihil aliud moliti sunt, nisi ut orbem Christianum bellis intestinis tantùm inflammarent, & reliquias orthodoxorum, in eremo latitantes, conquisitas ad supplicia abriperent. Ex Imperatoribus ultimus qui Italiam perdomuit, fuit *Henricus VII.* Alberti I. successor. Miserrimus tunc erat Italiæ status, postquã à morte Friderici II. Cæsaris illa ab Imperatoribus neglecta fuit; quo factum est, ut variè dilaceraretur ab iis, qui potentiores erant, præsertim à Guelphorum ac Gibellinorum factionibus. Hic Imperator quum multis præclarè gestis lacertos rursus in Italia moveret, Papa quovis modo exitium ejus quæsivit, præsertim quum post coronationem juramentum Pontifici præstare recusaret, quod tale esset, quo Papæ subjiceretur. Hic porrò Imperator ob Italicam hanc expeditionem dictus est pater patriæ & Italiæ servator. Certe medicus fuit desperatorum morborum quos suæ ipsius vitæ periculo profligare conabatur. Cum vim veneni, à Fr. Paulino ordinis Prædicatorum in sacrâ hostiâ dati, persentisceret dixisse fertur: *Calicem vitæ dedi-*

sti mihi in mortem. Mortuo Henrico, quum discordantium Principum suffragiis duo, Fridericus Austrius, & Ludovicus Bavarus eligerentur Imperatores, Ioannes XXII. Papa utrumque salutabat Cæsarem; in Fridericum tamen propensior, quæ res magis simultatem incendit, & hac ratione Papa callidus & ambitiosus sibi dominatum per totum Imperium quærebat. Cum Ludovicus dein solus rerum potiretur, profectus cum exercitu in Italiam, Romæ, postquam Papa illum excommunicasset, à Stephano Columna apud Lateranum Clero & Populo Romano consentiente coronatus, de consilio Procerum alterum Papam Nicolaum IV. creavit. Mortuo Joanne cum successor Benedictus XII. Cæsarem itidem excommunicaret, ac dignitate priuaret, Ludovicus, Francofurtum convocatis Principibus, ac vetustis Imperii legibus explicatis, solide Proceribus ostendit, quàm nihil ad Episcopum Romanum pertineat Imperii Respublica: Nam qui de voluntate Principum sit electus, eum esse revera Cæsarem, etiamsi nullus interveniat Pontificis vel consensus, vel consecratio: Totum enim istud quandam esse ceremoniam, quæ paulatim irrepserit, & nunc nimium aucta sit, non absque magno Imperii tum dedecore, tum detrimento. Sententia Imperii tum hæc fuit: *Electus Francofordiæ in Regem Romanorum à Principibus Electoribus, administrationem Imperij ante confirmationem habet plenam.* Post Ludovicum *Carolus IV.* turbis in Impe-

Quid valeat Papæ consecratio.

rio ſedatis, in Italiam profectus, & conſenſu Papæ Innocentii VI. qui in Galliis Avenione erat, Romæ coronatus, eâ lege tamen, ne vel Romæ vel in Italiâ diutius hæreret: Vicecomitibus Mediolani perpetuum Imperii Vicariatum per Longobardiam conceſſit quâ indulgentia illi poſtea abuſi, aliis etiam defectionis anſam præbuerunt. Tradunt de illo quod ingenti vi pecuniæ acceptâ multa jura Imperii per Italiam vendiderit, ut teſtatur *Sigonius*, quem tamen Dn. *Couringius* (de Finib. Imper. c. 23.) refutat, ubi eandem maculam à Rudolpho I. & Henrico VII. Imp. removet. Interim Bohemiæ ſuæ illuſtrandæ ſolummodo intentus, multa bona Regalia Electoribus & aliis conceſſit, quæ res Imperii vires valde enervavit. *Wenceſlaus*, Caroli filius, acceptâ pecuniâ, Ioannem Galeatium ex Vicecomitum familia, Mediolani Ducem & Inſubriæ conſtituit hæreditariâ lege, quo ipſo maximum Imperio damnum intulit. Hujus temporibus ſchiſma erat in ſede Papali Vrbano & Clemente ſeſe invicem Antichriſtos vocantibus: Vrbano ſucceſſit Bonifacius IX. qui primus Romam & territorium univerſi Latii ſibi ſubegit, Senatoribus ad arbitrium ſuum lectis & remotis. Bonifacio oppoſitus Benedictus XIII. qui ſedit ad Conſtantienſe uſque concilium. Hoc trium Paparum Schiſma, per 39. annos continuatum, Lutherus certum ſignum ruituri Papatus fuiſſe aſſerit. *Rupertus*, Wenceſlai ſucceſſor, quum videret anteceſſorum nimia prodigali-

Imperatorum iura in regno Italia attenuantur.

Roma in plenam poteſtatem Papa venit.

tate Italiam se ab Imperio eximere, is ducto in Italiam exercitu amissas sub Wenceslao provincias recuperare nitebatur, sed irrito conatu, repulsus à Galeatio, Insubriæ Duce. Valde tum erat turbulentus Italiæ status Caroli & Wenceslai potissimum culpâ, qui nimium iis populis indulserant. Nam præter Galeatium, nuper factum Mediolani Ducem, Veneti etiam & Florentini & Genuates bellum faciebant vicinis, totumque jus in armis positum erat atque potentiâ. Deinde per diuturnam absentiam Pontificum Avenione in Galliâ, frequentes Romæ fuerant natæ ac plenæ periculi simultates. Sed Imperator depositâ omni Italiæ curâ in Germaniâ manere coactus, intestinis malis mederi non potuit. Sub *Sigismundo* dein tres erant Pontifices Ioannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII. eratque tum Papatus triçeps, ac horum factionibus prope omnes Europæ provinciæ divisæ. Corruptissimus tum erat ordinis Ecclesiastici status, quem in exhausta quædam vitiorum & morborum colluvies inundarat. Petrarcha, quum Avenione Pontifices hærerent, urbem illam vocavit meretricem Babylonicam. Sub Sigismundo initium factum oppugnationis regni Antichristi per Hussitas, quod tandem superiori seculo facundo ore & docto calamo suo prostravit Lutherus, cui indulgentiarum immodici ac sordidi ebuccinatores (ut Laurentius Surius Pontificius illos vocat) ansam ad præclarum pariter ac necessariũ illud negotium dederant. Sed ut ad Sigis-

mundum redeamus, Italica ejus expeditio ad comprimendum bellum, quod terra marique Veneti & Florentini cum Philippo Mariâ Mediolani Duce, gerebant, infelix fuit. Nam Pippus ejus Dux, & ipse mox è Venetorum terris ac Forojulio Venetis armis expulsus, Vicecomitibus dein, quos contra Florentinos defendit, contemptui fuit. Post Sigismundum *Albertus* civilibus & Turcicis bellis impeditus in Italiam non venit. Qui illum excipit *Fridericus III*. Romam placide profectus, & consecratus à Nicolao V. domum rediit, nec in Italia quicquam movit, eique hoc symbolum tribuitur: *Rerum irrecuperabilium felix oblivio.* Hic Imperator otio natus magis, quàm bello & Imperio tuendo, unde & Fabio cunctatori comparari solet. Micyllus tali disticho eum prosequitur:

Otia quam bellum per totum maluit ævum,
Conveniens factis hinc quoque nomen habens.

Quum hic Imp. profectionem votivam in Italiam susciperet, Pius II, Papa lenitate Imperatoris abusus, eò audaciæ pervenit, ut Borsium Marchionem Atestinum sub Missâ faceret Ducem, quasi non satis fuisset, quod jam antea ab Imperatore creatus esset Dux Mutinæ, & Regii Lepidi. *Maximilianus I.* Imp. Friderici filius multa dein bella cum Venetis gessit, ut postea dicemus.

XIX. Ex hactenus paulo fusius ad illustrandum Autorem nostrum, paucis multa dicentem, adductis, satis luculenter patet, quomodo Romanum Imperium quo nullum

fuit nec erit potentius, sit à diversis gentibus dissipatum post tempora Honorii & Valentiniani III. usque ad Carolum M. A. Caroli temporibus usque ad Maximilianum I. quænam mutationes in Italia, prisci Imperii Romani domicilio, sint ob tyrannidem Paparum consecutæ, eâ, qua fieri potuit brevitate, itidem exposuimus. Breviter nunc porrò addemus, quomodo Pontificum & Italorum status à Maximiliano I. usque ad nostra tempora sese habuerit. Maximilianus hic initio Imperii acerrimum cum Venetis bellum gessit, eosque insigni prælio ad Callianum superavit, illudque variâ fortuna per quatuor annos continuavit. Eo tempore Pontifex veritus, ne Cæsar hostili cum exercitu Romam veniret, Bullam suam in ejus castra transmisit, qua Maximilianum Cæsarem etiam Imperatorem declarauit. Cum res fortunatè Cæsari procederent, tanta Venetos formido invasit, ut de muniendâ urbe Venetiarum consilia caperent, arbores ad propugnacula cæderent, novas molas pneumaticas in proximus insulis constituerent, atque puteos in proximo continente suffoderent. Miserunt tum etiam ad Electores Legatos, ut Cæsarem avocarent, & ad pristinam necessitudinem adhortarentur. Pax tandem à Clementiâ Cæsaris impetrata. Orator Venetus tum nomine Reip. pollicitus, quòd redire ad Cæsarem verum ac legitimum Dominum debeant omnia ea, quæ majores Sacro Imperio & Ducatui Austriaco ademe-

runt. *Quæ ut commodius* (ſunt verba Oratotoris) *præſtentur, adjungemus cuncta illa, quæ poſſidemus in continente, & rationi, jurique omni, quâ acquiſita ea loca ſunt, renunciabimus. Præterea annis ſingulis perſolvemus Majeſtati tuæ & legitimis in Imperio ſucceſſoribus ipſius perpetuo aureos ducatos quinquagies mille. Obedimus ſine recuſatione mandatis, decretis, legibus, edictis tuis.* Finito bello Veneto, ſucceſſit Mediolanenſe, ac Pontifex Julius, antea Cæſaris fœderatus, potentiam ejus cernens (Imperatores enim potentes ſemper exhorrent Papæ) cum Gallo contra Maximilianum conſpiravit. Quum itaque Gallus Mediolanum occupaſſet, Cæſar primo belli limine urbem illam recepit, & uti Imperii beneficium Sfortiæ Duci qui à Philippo Vice-Comite adſcitus gener & heres reſtituit. Sed Franciſcus I. Galliæ Rex poſtea ope Helvetiorum Mediolanum iterum occupavit, Carolus V. verò Imperator recuperavit, Galloſque Medolano, Neapolitano regno ac totâ Italiâ ejecit. Atque inde eſt, quòd hodieque Hiſpani in Italiâ prævaleant. Idem Carolus Mediceos Etruriæ Magnos Duces conſtituit: Genuenſes, Gallorum ſervitute oppreſſos, libertati priſtinæ reſtituit. Idem Carolus ipſâ Româ captâ, nummis indicibus priſcos Imperatorum honores poſtliminio reducere viſus fuit. Fuerunt illâ ætate nefanda Pontificum Romanorum ſcelera, Alexandri VI. Julii II. Leonis X. ſub quo Papatus labefactatus, ſalutariſque Reformatio religioſa cœpit.

Quum ſub Carolo V. maximè incrementa ſumeret factio Hiſpanienſium & contra Hiſpanienſium (de quâ vid. *Burgoldenſ.* p. 1. Diſc. 1. ad Inſtr. Pac.) Pontifices Romani ac potior Cleri pars contra Hiſpani, & ita contra Cæſarem fuerunt, quod bella inter Carolum V. & Clementem VII. Papam, inter Philippum II. & Paulum III. declarant. Sed cum interea accideret diſſidium in religione, & Principes Proteſtantes Contra Hiſpanorum partibus acceſſiſſent : Pontifices Romani metuentes extenuationem potentiæ ſuæ per hæreticos, ut loquuntur, Hiſpanis ſeſe adjungere, ac ex cauſâ Politica negotium religionis facere cœperunt. Anno quoque 1610. cum Ligæ & Vnionis infauſta ac barbara vocabula in Imperio orirentur, Pontifex quoque cum Hiſpano-Jeſuitiſatis Ligiſtis acceſſit; Venetis ac aliquot Italiæ Principibus Vnioniſtis accedentibus. Dignitate Electorali Palatina à Ferdinando II. in Bavarum collatâ Gregorius XV. Papa collationis illius confirmationem affectavit. Quum porrò in bello Bohemico an. 1618. & ſeqq. Ferdinandi II. potentia nimium quantum increſceret, & ad illam reſtringendam an. 1624. ingens fædus inter Europæos Principes & Reſpubl. iniretur, Pontifex Vrbanus VIII. Reſpub. Veneta, ac Dux Sabaudiæ illius fœderis ſocii fuerunt. Poſtea an. 1629. ingruit bellum Mantuanum in Italia. Quum enim mortuo Vincentio, Mantuæ Duce, Carolus Dux Niverniæ, ac Gallici ſanguinis, hereditatem

iſtam cernere vellet, cumque contra Hiſpanos Rex Galliæ in poſſeſſionem bonorum mittere cogitaret, Cęſar miſſo in Italiam exercitu, Ducatum iſtum, tanquam feudum Imperii, victricibus armis ſibi ſubjecit, ac pace tandem an. 1630. interveniente, Nivernium de feudo iſto inveſtivit. Pontifex verò quum ſuperioris ſeculi experientiâ ſatis compertum haberet per reformationem religioſam majeſtatem ſuam in ſpiritualibus collabi, ex eo tempore nihil non molitus, ut omnes Evangelici enſe, rotâ, aqua & igni delerentur. Hinc Pacis religioſæ, an. 1555. inter Catholicos & Proteſtantes initæ, fulcra per dilectos ac fideles ſuos Jeſuitas funditus rurſus evertere cogitavit, adeoque an. 1629. Cæſari Ferdinando II. autor extitit, ut Edictum de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis promulgaret. Id verò quum obtinuiſſet, ac ita Mars Cæſareo-Suevicus multos per annos totam, quam latè patet, Germaniam depopularetur, ac proinde, ad declinandam Imperii ruinam tandem an. 1648. Monaſterii in Weſtphaliâ Pax Germaniæ redderetur, Iupiter Capitolinus Innocentius X. contra illam pacem per Nuncium ſuum Fabium Chiſium proteſtatus, eamque dein horribili Bulla annullare auſus eſt, ad quam Dn. *Hermannus Conringius* doctiſſimas animadverſiones edidit. Quin etiam poſtea, quum an. 1653. 54. Ratiſbonæ comitia Imperii celebrarentur, adhuc per legatum (referente *Thuldeno*) Papa à Cæſare & Catholicis flagitavit, ut Pax Mo-

nasteriensis rescinderetur. Sed incassum & frustra; imò in tantum spiritus Sanctus prævaluit apud Imperatorem & Imperii Ordines, ut pacta illius pretiosæ & inæstimabilis Pacis de novo per illorum Comitiorum Recessum in perpetuum confirmarint, eamque inviolabiliter servandam etiam modernus Sacratissimus Imperator Leopoldus in Capitulatione sua promiserit. Sedet itaque jam in arce Tarpeja Papa, & contra Imperatorem atque Imperium, Evangelicorum fide ac potentiâ satis formidabile, ne hiscere quidem audet. Adveniet tandem illa dies, quâ Romanus ille Antichristus, Spiritu divini Oris planè debellatus, corruet, ipsiusque regnum, non tantum Imperio nostro, sed universo Christiano Orbi tremendum ac intolerabile, funditus exscindetur. Quod Trinunus Deus faxit!

XX. Vidimus jam latissimè ortum, progressum, deminutionem ac translationem Imperii Romani de Populo Romano in Francos, atque de his in Germanos, quomodo itidem in Imperio Romano-Germanico exorta sit Hiero-monarchia Papalis, & quanto-pere illa afflixerit Imperium & adhuc hodie affligat. Quæritur autem: *an Imperii urbis Romæ & eorum, quæ inde dependent, jurium adhuc Imperatores nostri sint participes?* Quamquam Cæsarea potestas in urbem Romam, Papam ac, Patrimonium ejus integra manserit ad Henricum usque IV. primus tamen Gregorius VII. inaudita hactenus audacia, non

An adhuc hodie Imperium Romanũ à Carolo M. acquisitum extet

non tantum exuere Cæſarem omni dignitate eſt auſus, ſed & ſumere ſibi poteſtatem in Imperatorem, Reges, Principes. Hujus veſtigia preſſerunt omnes ſecuti Pontifices. Tametſi verò ſtrenuè jura ſua antiqua tueri ac ſervare ſtuduerint ipſe Henricus IV. V. Fridericus I. & II. tamen poſt obitum Friderici II. Papæ victoriam obtinuerunt. Igitur ab eo tempore neque in Papam neque in urbem Romam, neque in illas antiqui Imperii provincias reliquas Cæſarea vetus potentia fuit exercita; titulo tamen Imperatorio manente ſalvo; de quo olim Fridericus I. ita: *Cum divina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & inane ubique porto nomen ac ſine re, ſi urbis Romæ de manu noſtrâ poteſtas fuerit excuſſa.* Sunt qui putant Pontifices, violenta occupatione illorum jurium, hodie longiſſimâ temporis præſcriptione tutos eſſe, ac Imperium Romanum in Occidente vel funditus periiſſe, vel Papam Romanum poteſtate Imperatoriâ nunc reapſe frui; quã ſententiam etiam fovere videtur Dn. *Conring.* in Diſſert. de Imperat. Romano German. Edit Ebrodunenſis. Ab ea quoque opinione parum diſtat *Sleidanus* (in concluſione operis de quat. ſumm. Imper.) qui ita: *Urbem Romam Cæſarum domicilium atque ſedem, agrum Picenum & Flaminiam & Hetruriæ partem occupãt Romani Pontifices, qui non modò non agnoſcunt Imperium, ſed Cæſares etiam Imperiique præfectos tenent ſibi devinctos.* Dn. Conringius ve-

rò (de Germ. Imp. Rom. c. 13.) præclarè docet, quod ad Imperium illud perpetuum, quod Germaniæ in urbem Romam, Papam & Petri Patrimonium in Ottone M. conceſſum, penitus evertendum, poſt Hildebrandi tempora, ſecutis ſeculis, Papæ omnem moverint lapidem. Nam Cæſareum jus eligendi Papam, aut certè electum confirmandi, item autoritatem inquirendi in eorum vitam & mores, impietatis horrendæ damnaverunt. Regimen urbis Romæ ſibi ſolis arrogavere, ac Imperialem dignitatem ac vim ſui eſſe juris profeſſi, ſibi ſumpſerunt poteſtatem conſtituendi Cæſares, & conſtitutos viciſſim pro arbitrio removendi: Denique, ne quid deeſſet ſummæ injuriæ, ne quidem in ſibi donatum patrimonium agnovere amplius Cæſaream juriſdictionem, eoque laborarunt Papæ, ne quid præter nudum Cæſareum nomen Regi Germaniæ ſupereſſet, ſupra cujus tituli Primatum, quem jure gentium ac tacito conſenſu Rerump. Chriſtianarum in Occidente obtinuit, ſeſe etiam immani auſu Ioves illi Capitolini ac Romanæ ſedis Antichriſti tandem erexerunt, & nunc omnes Imperatores, Reges ac Principes contra omnia jura divina & humana infra ſe deſpexerunt, & adhuc proh dolor! deſpiciunt. Quicquid autem de eo ſit, certum tamen vel ex jure Iuſtinianeo eſt, non quærendum eſſe quid Romæ fiat, ſed quid fieri debeat. Nam alias regnandi gratia ſi jus violare liceret, brevi meram barbariem & Reſpublicas Cyclopum in Chriſtiano Orbe

haberemus. Certum itaque est, Papam Romanum, utut fragmenta & reliquias Imperii Romani, in Carolum I. & Ottonem I. Imperatores collatas, hodie de facto (ut loquimur) per Imperatorum nostrorum conniventiam absolutè quasi adhuc possideat, nec præstanda ullo modo præstet, adhuc de jure cum urbe Roma & patrimonio suo Imperatoribus Romano-Germanicis subesse. Sanè nudam possessionem, quam Papæ quoque allegare solent, non dare jus aliquod possidendi, notissimi juris est, si alter, qui possessione est expulsus nunquam non reclamat. De injuriâ verò Pontificum, Cæsaream dignitatem violantium, non tantum perpetuæ fuere querelæ ab Hildebrando ad usque nostra tempora, Cæsarum, Principum & Populi Germanici, sed & ad vindicandam illam, atrocissimis gestis in Italiâ bellis, fusum sanguinis plurimum, protestationes publicæ institutæ haud paucæ, libri denique editi complures, præsertim ex quo superiori seculo exortus est *Christianissimus Protestantismus*. Ab illo enim tempore Evangelici Imperii Proceres scortum illud in Babylone universo Orbi detegentes, Imperii jura adversus sedem Papalem non rarò ivere assertum. Quod cum ex historiis Germaniæ atque Italiæ sit notissimum, nemini non patet, ne quidem possessionem illam nudam justum dare titulum Paparum injuriis, qui interrogati: Cur Romam & Patrimonium, Sancto Petrini nominis mantello obductum possideant? res-

ponſuri ſint: *Quia poſſidemus.* Nam ne unicum quidem idoneum ac legitimum titulum bonæ fidei poſſeſſionis hi Tyranni ac conſcientiarum carnifices allegare poſſunt. Non certè tuetur illos titulus præſcriptionis: Verum quidem eſt, quod Archidemus Meſſenam repetentibus Thebanis dixit: *Poſſeſſiones, ſive privatas ſive publicas, præſcriptione longi temporis firmatas, in patrimonio & dominio habendas omnibus perſuaſum eſt:* Regula quoque juris noſtri eſt: *Tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum:* Subintelligendum tamen: *Poſitis omnibus ad uſu capiendum ſive præſcribendum requiſitis.* Jam verò juris indubitati eſt, ad legitimæ uſucapionis proceſſum inter alia requiri; Bonam ac ſinceram fidei conſcientiam: malæ fidei enim poſſeſſor, qui vi & fraude pro jure utitur, in æternum non præſcribit. Si mundus foret æternus, tamen ejuſmodo homo, qui malâ fide bona poſſidet, id eſt, quæ ſcit ad alium pertinere, in ſecula ſeculorum non præſcribet, dominiumque minimè acquiret. Si nunc ſubſumamus, & quæramus, an Papa ſit bonæ fidei poſſeſſor urbis Romæ & Patrimonii quod D. Petri vocat? Reſpondendum, quod non, ac dicendum quod inter omnes malæ fidei poſſeſſores, quos unquam à principio mundi infelix Sol adſpexit, ſit eximius & familiam quaſi ducat. Aliæ enim perſonæ publicæ gladio & armis violenter non pauca ſibi acquiſivere, atque ita tandem pace vel tranſactione interveniente, ex malo licet

acquiſitionis principio, tamen ex poſt facto vitium purgarunt, ac ita malum initium bono fine coronarunt. Hi vero Romani Archi-Præſules ſub velo Vicariatus Divini, ac quaſi Vice Deatus, à tempore Gregorii VII. excommunicando Imperatores, eoſque perpetuis æmulis & Anti-Cæſaribus (quippe Antichriſtus quid poterat niſi Anti-Cæſares creare) vexando, ac Germaniam dividendo, tandem, viribus Imperatorum fractis, ſuperiores evaſerunt, & ita, aquis undique turbatis, alienis armis potentes in Italia evaſerunt, legitimumq; Cæſarum Imperium in ſe, ac patrimonium ſuum abjecerunt. Sed ſatis de hiſce injuriis ac fraudibus Paparum in præcedentibus diximus. De præſcriptione, quæ allegatur à Pontificibus V. *Conring.* c. 21. de Finib. Imp. Requiritur porrò ad juſtam uſucapionem juſtus titulus; quem ſimiliter Papæ producere non poſſunt. Nam quod donationem Conſtantini M. attinet, ejus figmentum jamdudum exploſum eſt ab ipſiſmet emunctioribus Papiſequis, inter quos eminent Laurentius Valla, & Cardinalis Baronius. Rudioribus quidem ſeculis magnopere illa donatio fuit defenſa, de quo videri poterit *Angelus Rocca* (de ſummi Pontificis poteſtate ſeculari & Eccleſiaſticâ.) De donatione Pipini, Caroli M. & Ludovici Pii adeundus *Sigonius* (l. 4. de Regn. Ital. p. 10.) Ottonianas donationis tabulas eſſe ſuppoſitias evincit Dn. *Conring.* (de German. Imp. Rom. c. 10. & de Finib. Imper. c. 10.) Mathildis do-

nationem esse valde controversam idem ostendit Dn. *Conring.* (de Finib. Imper. c. 10. p. 120.) qui simul probat Imperii jure & potestate Cæsareà salva hasce donationes accidisse. Tabulas Rudolphi I. Alberti Henrici VII. Caroli IV. idem vir summus examinat (Tract. cit. c. 20.) Imò si hic donationis Cæsareæ titulus procedere deberet, Pontifices demonstrare tenerentur. (1.) An & quomodo factæ sint donationes, tabulis non summatim excerptis, sed authenticis & formalibus? (2.) An præter utile dominium ipsis aliquid accesserit istis donationibus? *Boterus* sanè in descriptione status Pontificii de utili tantum dominio fatetur. (3.) An Imperator solus potuerit facere, ut præter dominium utile plenum quicquam ad Pontificem perveniret, aut Cæsareum Imperii jus in eum transferretur? (4.) An potuerit cum consensu Electorum, vel quorundam, vel Collegii totius facere? (5.) An consensus quorundam Electorum, sive quorundam Principum ad hoc sufficere potuerit? (6.) Disquirendum etiam: An clausula salutaris de juribus Imperii sive jure Cæsareo reservato, omni tali donationi insit tacitè, etiamsi verbis clarè non fuerit expressa? (7.) An donatio, à Cæsare decepto, Pontificis artibus & assertionibus, facta, valida sit? ut prudenter Dn. *Conring.* & Dn. *Boeclerus* judicant. Hactenus in horum articulorum probatione defecerunt Papæ. Ad præscriptionem ulterius requiritur continuata ac quieta possessio. Cæterùm & in hac parte Pa-

palis causa succumbit, id quod facilè ostendi potest. (1.) Ex nomine Cæsaris & Imperatoris Romani constanter retento. (2.) Ex jure coronationis Romanæ, totaque ejus ceremonia. (3.) Ex petitionibus Pontificum à novis Cæsaribus donationes, sibi antea factas, confirmari desiderantium. (4.) Ex creatione Equitum & Comitum Palatii Lateranensis. (5.) Ex privilegiis, quæ à Cæsaribus indulgentur terris Papalibus (7.) Ex actibus summæ potestatis aliis, quos vide apud Dn. *Conring.* de Finib. Imper. c. 21. Quum nullo igitur jure Papæ excusserint Cæsaream vim à sese ac Vrbe Româ, manifestum est jura illa Cæsarum, quibus ad Hildebrandi usque ævum fuerunt usi, utut adversum illa arietaverint Pontifices, hodieque integra subsistere, ut concludit Dn. *Conrig.* (de Germ. Imp. Rom. c. 13.) Proinde Rebus Germanicis intra Germaniam & versus Turciam & Galliam bene constitutis, tempus aliquando erit Pontificem superbum ad Apostolicam ac verè Christianam humilitatem, si non aliter, ferro & armis cogere, juraque Imperii pristina ab eo repetere. Quod Deus faxit! Evangelici Principes sanè non committent, ut ullum Imperii commodum in se claudatur. *Das Were ein Herlicher Romerzug, das man den Vatter Pabst einmalh Wieder* civiles subjectionis mores *lehrete*.

XXI. Occasione hujus quæstionis de Pontificis subjectione, potest quæri an Imperio adhuc jus salvum sit in terris Italiæ, extra *An Imperio iura*

Sint reliqua in Italia regno.

sedem ac patrimonium Papale? *Sleidanus* (in Concluſ. Oper. de quat. ſumm. Imp.) ita de hac re: *Italia priſcum & avitum, ac primum Romani Imperii patrimonium, quid nobiſcum habet commune? Calabriam, Apuliam, Campaniam, Neapolim, avita ſucceſſione tenent Hiſpaniarum Reges. Veneti, quam poſſident egregias non ſolum urbes & municipia, verùm etiam provincias, ipſi interim liberrimi, & ab Imperio Romano plane ſejuncti. Inſubria verò, quæ vulgo Longobardia dicitur, aliquanto propius ad nos pertinet, ſed & ipſa fluctuat, nec certum ullum emolumentum ad nos illinc redit.* Et mox: *Ortis bellis, cum noſtri Cæſares Inſubriam negligerent, ejectis Vice-Comitibus, occupavit illam Sfortiarum familia, quam deinde Galliæ Reges, Ludovicus XII. & Franciſcus I. ejecerunt, donec Carolus V. Cæſar eam recuperaret. Ex omni igitur Italiâ nihil fructus ad Imperium redit: Nam neque noſtris conventibus interſunt, nec ad publicos uſus atque neceſſitates aliquid contribuunt, niſi quantum vel ſuâ ſponte, vel alioquin in gratiam Cæſaris faciunt.* Et denique: *Totum igitur illud, quod Imperii nomine cenſetur, intra Germaniæ fines includitur: Nam foris & extra limites illos nihil ſupereſt.* Ita Sleidanus judicat: cujus ſententia cum grano ſalis accipi debet. Nam Regnum Neapolitanum (ut & cæteras terras, quæ à Pontifice in feudum concedi ſolent) non excidiſſe juribus Imperii oſtendere ſatagit Dn. *Conringius* (de Finib. Imper. c. 22.) De cæterâ occurit [1.] Traditio Sigonii &

aliorum, de venditâ Italiâ à Rudolpho I. plenâ libertate, quam refutat Dn. *Conring.* (de Finib. Imp. c. 23.) [2.] Traditio aliorum de Henrico VII. & Carolo IV. quasi venditoribus jurium Imperii, quam itidem Dn. *Conring* (cit.) refutat. [3.] Post disquisitum factum juris oritur quæstio : An, etiamsi voluissent Impp. facere, potuissent alienare jura Imperii ? [4.] De singulis Principatibus & urbibus Italiæ disquirit l. cit. itidem eleganter Dn. *Conringius.* Et quidem, quod Venetos attinet, an unquam fuerint sub Imperio, controvertitur. Ratione Mediolani & totius Lombardiæ à Wenceslao utile dominium esse alienatum, Autor Chronici Magdeb. testatur. Sabaudiæ Dux Vicarius Imperii perpetuus dici vult, sed ab eo se eximit; qui tamen ad comitia citatus comparet. Parma itidem ac Placentia à Carolo V. Pontifici non absolute donata (V. *Conring.* de Fin. c. 20.) Præterito insuper tricennali bello Ferdinandus II. exercitu in Italiam misso, directum dominium in Ducatum Mantuanum egregiè ivit asseitum. Vt adeò Sleidani opinio non sit admittenda. Neque obstat, quod Itali conventibus Germaniæ non intersint. Scire enim debebat Sleidanus, quod tantum tempore Imperii Caroli M. & Ludovici Pii, quibus Germania; Gallia & Italia paruit, Ordines ad concilium generale ex omnibus illis locis sint vocati. Postea cum Germania sub Rege Ludovico Germanico cæpit distinctum regnum esse, solius

Germanici propriè dicti regni Ordines comitia constituerunt. Videtur tamen generale aliquod Germaniæ Italiæ Lotharingici & Burgundici Regni Ordinum concilium fuisse habitum in electione Conradi Salici Imp. Ita enim *Wippo* (in vit. Conradi) *Italiam transeo, cujus Principes in brevi convenire ad Regiam electionem nequiverunt.* Scribit tamen: *Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sæpissimè repetebant.* Sed forsan in electione Regum hoc tantum factum; aliàs autem factum vix legas; ordinesque Italiæ sua peculiaria habuerunt concilia, ut docet Dn. *Conring.* (in Dissert. de Civib. Imper.) qui itidem (in libr. de Germ. Imp. Rom.) solidè ostendit, Regnum Germaniæ, Italiæ, ac Imperium Romanum esse ac semper mansisse peculiares ac distinctas inter se Respublicas. Maxima itaque Italiæ pars adhuc hodie vinculo feudi Imperio Romano-Germanico adhuc adhæret. Quod verò non adeò multum emolumenti inde Cæsar hodie percipiat, hoc prioribus infelicibus regni Italiæ, à Ponticificibus turbati, temporibus adscribendum. Post tempora enim Friderici I. factionibus Guelphorum & Gibellinorum Italiæ regnum attritum, paulatim Polyarchicũ ut hodierna facies est & inter multos parvos Reges dividi, illisq; utili dominio tandem conferri ac relinqui cæpit. Sunt, qui statuunt interesse non parum Imperii, ut Principatus & urbes Italiæ in unum corpus quasi rursus uniantur, ac pristina comitia de regni nego-

Interesse Imperii ratione regni Italiæ

tiis postliminio in usum revocentur. Planè ad eundem modum, quo regnum Germaniæ hodie dispositum est. Tunc enim authoritatem Imperatorum, tanquam Regum Italiæ, posse rursus firmiter stabiliri, mixtumque regimen ibi reduci. Imò hoc etiam interesse ipsorummet Italiæ Principum arbitrantur si Ordines Italiæ, tanquam membra, se propius cum Capite suo uniant, atque devinciant, quum Polyarchia eorum faciat, ut anarchi sint, ut minimè barbaro judicio olim Sinan Bassa Turcico Imperatori in frontem dixit. Alii tamen asserunt Imperatorem malle, ut Italiæ status præsens maneat immobilis, quum Monarchiæ magis conducat; quam tamen Italiæ Reguli vix ac ne vix quidem ferunt. Quare autem dominio directo in Principes Italiæ Imperatori salvo, ille tamen hodie se Italiæ Regem non vocet, id ego non intelligo. An verò nimia libertas, & exlex licentia illorum Regulorum titulum illum inanem reddit? Ter Maximus ac Gloriosissimus Deus ex alto tandem miseram Imperii faciem respiciat, ut, instauratâ autoritate pristina Romæ, in Romandiola sive Patrimonio Petrino, in regno item Neapolitano ac Italię Principatibus: triplex illa Coronatio, hodie infelici fato quiescens, in bonum usum iterum reducatur. O quam optimum & quasi aureum seculum tum haberemus! Cæterùm hoc seculo id forsan nondum continget; (Det tamen Deus, ut vanus sim augur.) an in altero id futurum sit, disponet is, qui templa cę-

rò cœli ſumma ſonitu concutit. Cecidit jam maximam partem ſpiritualis Babylon, & vix oſſibus hæret : ut terribilis illa beſtia tandem ex omni memoria vitaque deleatur, pia & clementia fata providebunt ! Nos redimus jam ad noſtrum Autorem.

XXII. Autor noſter (§. 14. h.) rectè notat valde errare eos, qui credunt regnum Germaniæ in antiqui Romani Imperii vicem ſubiiſſe, & hoc in illo continuari. Rationem hanc addit, quòd illud Imperium dudum fuerit deſtructum, quum poſt Caroli M. tempora Germania ſeparatas ab Imperio & Regno Francorum rationes habere cæperit. Sed de hac re quum jam ſupra (h. Diſc.) ſatis actum ſit, locus Autoris exinde illuſtrari poterit. Falsò autem Autor noſter credit, Imperium Romanum, in Carolum & Ottonem M. collatum, nihil aliud, quam Advocatiam ſedis Romanæ notare. Error ille itidem h. Diſcurſu ſupra eſt annotatus, ubi de triplici titulo Caroli M. in triplici expeditione diſtinctim indepto egimus. Carolus M. enim, quum in ſecunda expeditione adverſus Beneventanum Principem Advocati titulum jam meruerit, quid opus erat, ut Romani tertiâ expeditione illum Imperatorem Romanum declararent, ſi non ampliorem poteſtatem hoc modo fuiſſet conſecutus ? Eginhartus & Annal. Francorum expreſſè teſtantur, quòd Romani, Carolo Imperatori, jura ſua quæ videbantur ſupereſſe in Vrbem Romam detulerint. Occidentales

Francorum regnum, quod Imperium urbis Romæ annexum haberet dictum fuiſſe Romanorum teſtatur Otto Friſingens l. 5. c. 35. Illud verò bene ſe habet, quando Autor ait: Ditiones Eccleſiæ, quæ Patrimonii D. Petri nomine hodie veniunt, cum regno Germaniæ nunquam in unam civitatem coaluiſſe, multò minus Carolum aut Ottonem ſua regna Romani Imperii fragmentis atque reliquiis ſubjeciſſe. Carolum tale quid feciſſe, annales & monumenta ejus temporis non memorant. Neque etiam fieri id potuit, inconſultis Francici Regni Ordinibus. Contra in diplomatibus & literis Caroli cernere eſt diſtinctos titulos Imperatoris, ac Regis Francorũ & Longobardorũ, quo ipſo oſtendere voluit, diverſo jure hæc omnia ſe tenere. Diverſitas enim titulorum diverſa indicat imperia. Privilegium Oſnabrugenſis Epiſcopatus vid. ap. *Cranz.* l. 1. Metrop. c. 2. & 51. In teſtamento ſuo Carolus ita: *Imperator Cæſar Carolus, Rex Francorum* &c. (*Baron.* ad an. 806.) quo teſtamento provincias ſuas inter tres filios diviſit, & quidem ſingulis ſua dedit cum abſoluta & ſumâ regnandi poteſtate, nullatenus verò Romano Imperio ſubdita. Etiam Ludovicus Pius voluit Germaniam ac Galliam à Romano Imperio eſſe liberam. De diviſione regni inter tres filios ſuos ita *Tritheмius* in Annalibus Francicis: *Partitio talis eſt: Regnum Francorum Germaniæ perpetuo per ſe habeat proprium Regem, nulli penitus mortalium, ne Romano quidem*

Germania non eſt ſubjecta Imperio Romano ſed ab illo diſtincta Reſpub.

Imperio subjectum, sed pristinâ Francorum consuetudine liberrimum. Regnum quoque Francorum Gallorum à nostro divisum, simili modo Regem, ut constitutio sonat, proprium habet liberum, qui non minus quam Rex Germaniæ liber sit, & nulli omnino subjectus. Manifestum enim est, quod Franci ab origine semper fuerint liberrimi, & neque Romanis, neque alteri alicui certè unquam servierint, aut extiterint subjecti. Quin potius ipsi destruxerunt Romanorum Imperium sibique fecere subjectum. Italiam Longobardicam non fuisse alius conditionis ostendit Dn. *Conring.* (de Germ. Imp. Rom. c. 9. add. *Grot.* l. 2. de I. P. & B. c. 9. n. 11.) Post obitum Ludovici quum Lotharius filiorum natu maximus, primogenituræ & Cæsarei nominis prærogativâ, jus aliquod in fratres sibi arrogaret; bello hinc exorto gravissimè est afflictus, libertatem suam fratribus egregiè tutantibus; (Vid. *Hincmar.* Epist. 1. c. 4.) ac Ludovico tandem cessit Germania pleno jure, & nullâ re dependens ab Imperio Romano gubernanda, non minus atque Gallia Carolo. Post Ludovicum Germanicum plerique ejus posterorum, ne quidem affectarunt Imperatorium nomen, tantum abest voluisse eos vel sua conjungere cum Romanis, vel iis subjicere. Arnolphus quoque diu Germaniam rexit, antequam Imperatoriam dignitatem consequeretur. Ludovicus Arnolphi filius, ejusque successor Conradus Franconiæ Dux, ne affectato quidem Cæ-

ſarco nomine diu imperarunt. Henricus inſuper I. & Otto I. uſque ad an. 962. quo demum Cæſareum titulum adeptus eſt, liberâ & abſolutâ poteſtate Germaniam rexerunt. Vnde patet Germaniam ab Imperio ea tempeſtate fuiſſe liberam, diſtinctam & ſui iuris Rempublicam. De Italiæ regno idem ſæpe laudatus Dn. *Conring.* (l. c.) docet. In Ottone M. poſtea æterno fœdere juncta eſt Cæſarea dignitas & Italici regni poſſeſſio cum Germaniâ, & ex eo tempore cæpit illa communis appellatio Romani Imperii. Proinde unam cum Imperio Romano Remp. neque Germania hodie, neque Longobardo-Italicum regnum conſtituit. Triplices has atque diſtinctas Reſpublicas arguit etiam triplex coronatio olim uſitata; Germaniaq; ac Longobardicum regnum comitia ſua de regnorum negotiis, ſeparatim inconſulto Papâ & aliorum Romani Imperii civium inſtituerunt. Imò in Ottone M. Romanum illud propriè dictum Imperium, poſtquam Germanis jus eligendi ſummum magiſtratum Romani Imperii conceſſerunt Romani, Germaniæ ſeſe magnâ ex parte ſubjecit. Et certum eſt, moderatis adhuc Paparum rebus, & ante Hildebrandum, magnam Cæſarum à Germanis electorum in Pontificem & Populum Romanum fuiſſe autoritatem & potentiam. Ex hiſce patet neque Germaniam neque Lombardiæ regnum verè partes eſſe Romani Imperii, ſed Reſpub. ab illo diſtinctas, adeoque Imperatorem, quatenus eſt Imperator, Ger-

maniæ regno, ab Imperio distincto, non imperare. Sed *unde est, quod hodie Germaniæ & Italiæ regnum communi nomine Imperii Romani veniant?* Nonnulli putant communem illum titulum paulatim ab Ottonis I. tempore, quod is Imperii illius dignitatem cum Germania in perpetuum conjunxerit, in Germaniâ fuisse exortum. Jam ætate Friderici I. Germanicum & Longobardicum regnum, regnum Romanorum fuisse appellatum, patet ex *Ottone Frisingens* (l. 5. c. 35.) Factum autem est hoc ideo, quod urbs Roma in tribus illis distinctis rebus publicis fuerit primaria; unde ab hac, ut aliàs frequenter in conjunctione plurium Rerumpublicarum fieri assolet, nomen commune petere placuit. Autor noster putat ob eximium splendorem antiqui Imperii Romani hoc esse factum, Dn. Conringium in eo rectè secutus, qui c. 12. de Germ. Imp. Rom. pluribus hoc ipsum exponit. Primus Maximilianus Imperator videtur realem distinctionem inter Imperium Romanum & Germaniæ Regnum accuratè cognovisse, unde & Rex Germaniæ dici voluit, à cujus temporibus usque in hodiernum diem Cæsares se scribunt Imperatores Romanorum & Reges Germaniæ. Hodierni Germani proinde rectè vocant Imperium Romanorum Teutonicæ nationis, *Das Römische Reich Teutscher nation*, quam formulam Autor non rectè contrarii sensus accusat. Verus enim illius sensus est: quod Teutonica natio Imperii Romani dignitatem per Ottonem M. sibi acquisierit, Regesq;

Quare Germania aicat. r Imperium Romanũ?

Regesque suos illâ reddát semper Augustos ac venerabiles, ac ita Dominos Imperii Romani constituat. Vnde puto Imperium hodiernum rectius Germano-Romanum, quàm Romano-Germanicum *Der Teutschen Republic Romisches Reich* appellari. Nam etiamnum Imperii Romani nomen proprie designat Imperium Vrbis Romæ, quod Germaniæ esse datum in Ottone M. aliquoties jam fuit dictum. Præter προεδρίαν autem nostrorum Regum, quam nomine Imperatorio in toto Christiano Orbe possident, Germaniæ, appellatione Imperii illius Vrbici Romani, nihil dignitatis accrevit, quæ aliàs est nobilissima totius Europæ. Et verò longe apertius majestatem suam Imperatores post tempora Ottonis M. ostendissent, si se appellassent primo loco, ob prærogativam inter omnes Chtistianos Principes, Imperatores, dein Reges Germaniæ, ac tertio loco Dominos Imperii Romani (id est in Papam ejusque patrimonium, ac Cives Romanos.) Tum enim Germania jus ac autoritatem suam apertius significasset, nec unquam, prono errore, Imperii Romani subdita credi potuisset cujus est Domina. (Confer Dn. *Conring.* de Germ. Imp. Rom. c. 12.) Malè verò Autor putat, hodiernos Germaniæ Reges tantum nudum Imperatorium nomen, sine re, retinere. Supra enim ostendimus, nostros Cæsares, licèt actu & de facto hodie injuriis Paparum, dominio Vrbis Romæ ac in ipsius Papæ personam ejusque patrimonium excludantur, ta-

men adhuc ipſis jus in Imperium Romanum, per Ottonem M. partum, eſſe integrum. Ni Papalis religio, cui etiam Imperatores addicti ſunt, impedimentum hic opponeret, forſan brevi videremus juris illius exercitium poſtliminio quaſi in bonum uſum reduci. Proinde Autoris obſervatio Politica, quòd Principibus ſolenne ſit, re citiùs, quàm titulo cedere, fruſtra ad propoſitam materiam accommodatur. Imò & Icti & magni nominis Politici rectius contra Autorem ſtatuunt: tituli retentionem rei ceſſionem impedire. Per ceſſionem enim jus noſtrum, ſive in re ſive ad rem illud ſit, in alium devolvimus. Jam verò qui titulum retinet, rem titulo deſignatam, minimè derelinquit, ſed poſſeſſionem ejus animo retinet. Fallit quoque Autor (in fin. §. 14.) quod putet Imperium Romanum tantum jus advocatiæ Eccleſiæ Romanæ denotare, de quo errore jam ſuperius egimus. Egregiè verò Autor (§. 15.) oſtendit, Germaniæ noſtræ ob ſuſceptum Imperii Romani nomen, multa mala à Romanâ ſede fuiſſe inflicta. Habuit ſiquidem olim Papa Romanus unà cum aliis civibus Romanis eligendi Cæſarem poteſtatem, elegitque ille Carolum M. & poſt Ottonem M. Quum itaque Gregorius VII. & ſucceſſores Cæſarum obedientiæ ſe eximerent, toti in eo fuerunt, ut in Cæſare conſtituendo priſtinum jus recuperarent. Hinc paſſim in electionibus Cæſarum turbas ſeminarunt per fideles Epiſcopos ſuos. Electores Septemviros quoque à ſe dependere

voluerunt, unde & noviſſime contra Octavum Electoratum ſe inſcio inſtitutum, Papa proteſtatus est. Coronationem Romanam inſuper facere Imperatorem vehementer propugnarunt. Paulus IV. Papa voluit etiam, ut Carolus V. in manus ſuas reſignaret Imperium, de quâ re Thuanus plenius legi poterit. Denique Papæ id omni ope egerunt, ut Imperatores ſibi planè ad nutum quaſi ſubjicerent, & ita, qui Dominus ac Patronus Paparum erat, & de jure adhuc eſt, verſo folio ſervus & cliens eorum fieret. Hinc creberrimè fulgure ac tonitribus Papæ Imperatores exterruerunt, ac fulmina, quorum à tempore Gregorii VII. uſque ad Ludovicum Bavarum, ſuperſtitioſis illis ſeculis maxima vis fuit, ex arce Tarpeja in Imperatores vibrarunt, Epiſcopoſque contra illos commovendo, diſcordantis Germaniæ non aliud remedium tandem fore crediderunt, quàm ut ab uno Papa Vicedeo ſcilicet, regeretur; ut adeò titulus ille Romani Imperatoris Germaniæ Regno plus nocuerit, quàm aliquot centum millia armatorum. Quot inſuper opes ſunt inſumptæ ad coronam Romæ petendam? quot expeditiones ſuſceptæ in Italiam ad ſedendas turbas à Pontifice motas, aut ad eundem ab aliis preſſum rurſus liberandum? Cæterùm poſtquam ſub Ludovico Bavaro in Comitiis Francofurtenſibus decretum: Electionem Principum, non Papæ conſecrationem, conſtituere Imperatores; Imperatorem Papæ non eſſe ſubjectum, eiuſque excommunica-

tionem non esse curandam; ex eo furor Capitolini Antichristi paulatim desæviit satisque ille nunc habet, si modò malæ fidei possessionem Vrbis Romæ & patrimonii, quod S. Petri, ad decipiendum imperitum vulgus, vocat, quomodocunque conservare ac tueri possit. Superiori seculo, quum Maximilianus I. felicissimos progressus in Italia adversus Venetos haberet, quàm sibi tum metuit Papa adeò, ut bullam in Cæsaris castra miserit, ipsumque Imperatorem renunciarit. Hic Imperator de Põtificatu sibi adjungendo cogitasse scribitur. (Vid. *Guicciardin.* l. 12. Hist. p. 343.) Successor Maximiliani Carolus V. captâ Româ, facilè Dominium sive Imperium in Vrbem, Papam ac Patrimonium ejus recuperare potuisset, nisi is sub prætextu Romanæ superstitionis ambitionem civilem obvelasset. Ambitione ac æmulatione Hispano-Gallica hodie adhuc grassante, non est, quod Imperium de recuperando prisco honore Romæ & in Italia cogitationem suscipere possit. Incommoda quæ ex appellatione Rom. Imperii Germaniæ evenere elegantissimo Sarcasmo Dn. Severinus noster declarat, ut proinde omnes Evãgelici, qui in lectionem egregii libelli Autoris nostri incidũt, meritò ipsi mirificas gratias acturi sint, quòd adeò argutè Papæ ac Sacerdotum Romanensium arrogantiam pariter atque avaritiam Italiæ suæ, in ipsâ Evangelii luce adhuc in tenebris erranti, ostendere, atque ob oculos ponere voluerit. Hactenus caput 1. Au-

toris omnium difficillimum illuſtravimus, & quidem paulo fuſius, ob adeò latè patentem antiquarum Germanicarum rerum campum. Jam ad caput ſecundum.

DISCVRSVS VII.

De Statibus Imperij Romano-Germanici in genere, ac de Matriculâ Imperij.

Ad cap. 2. §. 1. & 2.

I. QVum cap. 1. de Imperio Germanico ejuſque origine Autor egerit, nunc cap. 2. ipſi de Statibus Imperii agere placuit, quum tamen, honoris & præeminentiæ Cæſareæ reſpectu, prius de Imperii Capite, quàm de reliquis membris corporis Imperii agere debuiſſet. Cæterùm quia Autori alia mens fuit, nos etiam ejuſdem ordinem ſequi cogimur.

II. Inter Imperii membra primaria cenſeri Status Autor (§. 1.) aſſerit, quum tamen, ſi penitius ex principiis Politicis hanc rem arceſſere velimus, Status abſolutè & ſimpliciter tantum membra Imperii dici debeant, non addito reſpectu primariorum ac ſecundariorum Imperii membrorum. Res autem ita ſe habet: Civis juxta Ariſtotelem eſt, cui in illâ civitate, cujus eſt civis, poteſtas eſt fungendi magiſtratu vel deliberativo vel judiciali; ſive qui Senatus, Magiſtratus, ac judiciorum in Repub. eſt particeps. Hac definitione præmiſſa, facilè apparet, quinam hodie

Quinam sint Imperij Cives. in nostro *Imperio* sint *veri, genuini ac proprij Cives*, ii scilicet, *qui potestatem habent deliberandi ac suffragandi* (sive iudicandi) *de iis, quæ ad summam Reipubl. Romano-Germanicæ* (v. g. circa pacem & bellum, circa leges publicas rogandas, vel derogandas, circa fœdera cum peregrinis, circa vitam, mortem & exilium Civium, denique circa bona eorum aut confiscanda aut in commune distribuenda) *pertinent.* (Vid. Dn. *Conring.* in Diss. de civib. Imper.) Hi cives dicuntur aliàs *Status* sive *Ordines Imperij*, sive, quod sint totius Regni Germanici columnæ (remotiori scil. nominis etymologia) sive (quod propius rem tangit) quòd legitimam in comitiis habeant standi personam, sive (quod adhuc magis rem acu tangit) quòd stationem in Repub. Romano Germanicâ obtineant. Vnde patet omnes illos, qui mediate Imperio subsunt, non esse Imperii membra, ut velle videtur Autor.

Status Imperij qui. III. Status Imperii hodie ab emunctioribus Publicistis dicuntur illi, qui sessionem & jus suffragii ferendi in comitiis obtinent; Rectè quidem; nisi, quòd superfluum in descriptione illa putem, quæ de jure sessionis inferuntur, utpote quum jus suffragii, sessionis facultatem ac potestatem præsupponat. Est itaque breviter *Status Imperii, qui potestatem deliberandi, suffragandi & statuendi, de Reipubl. negotiis in comitiis habet.* (add. *Burgoldens.* ad Instr. Pac. part. 1. Disc. 18. n. 3.) Dn. *Limnæi error.* *Limnæo* (l. 1. de I. P. c. 7. n. 65.) Status Im-

perii dicuntur illi, qui Cæsaris & communi consensu Procerum in matriculam Imperii recepti deprehenduntur. Cæterùm hanc descriptionem, ab externo accidente petitam, non posse accuratum examen sustinere inferius, quando de matriculâ agemus, videbimus. Nostro Autori non arridet definitio illa, quando cives sive Status Imperii dicuntur illi, quibus jus suffragii in comitiis competit, adeoque addit verba: *Vt loquuntur.* Rationem quidem h. l. non addit, eam tamen infra (cap. 6. §. 3.) affert hanc, quòd aliàs Democratia erit Imperium Germanicum, & quæ plura ibi severo ac stricto calamo suo notat. Cæterùm Autor noster ignoscere nobis debet, si opinionem illius, ut erroneam hoc loco rejiciamus. Sine dubio autem Autori nostro notum est, vocabulum Civis esse homonymum; (1.) civesque vulgari modo loquendi omnes subditos dici, unde & inquilini & servi hoc modo dicuntur cives & hæc acceptio veris civibus accommodari minimè potest. Civitas enim juxta genuinam naturam suam non denotat quamvis multitudinem hominum, sed societatem quandam cujus partes essentiales (id est, imperantes) sunt cives. Iam vero non omnis, qui vivit in societate aliqua, statim & socius revera est, aut societatis particeps, nisi valde impropriè vocem societatis usurpes. Hæc autem acceptio Civis quum sit tantum secundum dici, non verò secundum esse, nos cum *Aristotele*, contra Autorem nostrum, illum

Monzambani error circa Cives Imperij.

verè civem Reipub. dicimus, socius nimirum civitatis, qui imperii & judiciorum civitatis istius particeps est, vel esse potest (l. 3. Pol. c. 1. & 8.) Sive juxta *Arnisæum* (l. 1. Relec. Pol. c. 5.) qui particeps est suffragiorum, & juris de Repub. statuendi. Quæ definitio licèt inprimis democratiæ conveniat, & statui populari, (in quo nihil ferme, quod alicujus est momenti, definiri solet, nisi sciente & approbante multitudine) omnium optime applicari possit; nihilominus tamen etiam civibus aliarum Rerumpublicarum (in quibus necessitate tantum postulante conciones indicuntur, ac paucissimi ad suffragia de re communi ferenda admittuntur, uno vel oppido paucis Rempubl. occupantibus) accommodari poterit. Aristoteles enim ab eâ formâ definitionem civis arcessere voluit, in qua æqualis omnium libertas viget & civis munia plus & omnibus numeris se exserunt. Nec valet argumentum Autoris. Si definitio civis in statu democratico ad Imperii hodiernum statum potest applicari: Ergo Imperium erit Democratia. Est enim fallacia dicti simpliciter ad dictum secundum quid. Non enim simpliciter & ad æquatè definitio civis ad Imperii præsentem formam accommodari potest; sed tantum inadæquatè & secundum quid. Non enim totus Germaniæ populus, id est, nobiles & plebei in Germania juris deliberandi & suffragium de Reip. Romano-Germanicæ negotiis ferendi habent; sed op-

pido pauci id est, Imperator sive Rex Germaniæ κατ' ἐξοχὴν, tanquam Primarius civis ac Imperii quasi Politicum caput, deinde Electores, Principes tam seculares, quam Ecclesiastici, Comites, Barones, ac Civitates Imperiales; non verò Nobiles Imperii tam immediati, quam mediati, (*die Reichs frey und Lands Hochedelge borne*) cives civitatum provincialium, atque ruriculæ in pagis viventes. Insuper Autor dum (loc. cit.) solos ordines pro civibus Imperii agnoscit, tacitè sibi contradicere videtur, dum reliquos, qui non sunt ordines Imperii, à jure deliberandi, & suffragandi facultate excludit, & ita non universo Germaniæ populo civium jura adscribit. Valde autem angustum argumentum est Autoris, nec opinionem ejus firmat, quando tale consectarium sine sequelâ facit: Soli ordines omnes & singuli jus de Rep. deliberandi & statuendi in comitiis habent. Ergo Imperii forma est popularis. Non enim probat, quod probandum erat, scil. Solos illos ordines in comitiis nomine universi populi Germanici jus suffragiorum exercere. Exercent enim illud jure proprio, ratione parvorum regnorum sive territoriorum suorum, & ita tanquam parvi Reges in magno Germaniæ Regno, vigore *Der Landes Furstl. Graffl. Freyherl Stattlichen obrigkeit.* Quin & Autor (§. 1. & 2. c. 2.) asserit, non paucos à potentioribus Statibus hodie ordinum Imperialium catalogo esse exemptos eosque

inter ſtatus ſuos provinciales redactos; quo ipſo innuit exemptos illos & Proceres Provinciales nihil de Reip. Imperii ſtatu participare, atque ita non omnem Germaniæ populum jure comitiorum (uti obtinuit Taciti ævo, ceu jam ſupra in Diſc. 3. latius fuit expoſitum) hodie gaudere. Vtut igitur definitio civis Ariſtotelica maximè de civibus, in Democratiis Græcanicis exiſtentibus concepta ſit; tamen non ſequitur, illam ad alias Rerump. formas non poſſe extendi ut Autor putat. Diſtinguendum enim hic inter *plus* & *minus* Ariſtoteles ergo civem deſcribens illam formam Reipubl. reſpexit, ubi magis æqualiter jura civium vigent, & in quo ſtatu omnes ac ſinguli de illis participant. In democratiis enim ἰσηγορίαν vigere, imperiumque per ſingulos in orbem ire atque ambulare ex Politicis notiſſimum eſt. In reliquis autem rerumpubl. formis non omnes, ſed aut vnus, aut uno plures, pauci tamen, cives ſunt, ac Rempubl. occupant. Vt adeò mirum quantum erret Autor, quando in hæc verba erumpit: *Quis liberis hominibus* (inquit c. 6. §. 5.) *& patribusfamilias in regno aut ariſtocratiâ viventibus civium nomen denegabit, utut iſti ad nullum Reipub. partem admittantur? Aut quis in regno unum eſſe civem Regem, in Ariſtocratiâ ſolos Senatores dicet?* Reſpondetur: Hoc omnes Politici, qui literas civilis prudentiæ exacte callent, aſſerere non verebuntur. Magnus *Conringius*, Doctor ac Præceptor meus ſemper venerabilis, (in

Differt. de Civibus Imperii) ita præclare: *Neque verò* (ait) *mirum sit, Ordines Imperij solos veros Cives, reliquos autem incolas potiùs esse vel subditos. Omnis enim Civis utique socius est civilis societatis. Est autem veri socii suffragium ferre & sententiam de rebus ad societatem pertinentibus. Apertam sanè implicat contradictionem, esse alicujus societatis verum socium, nec tamen jus suffragij in eâ societate obtinere. Scilicet hoc suffragiorum jus usque adeò est proprium civium verorum, verorumque Ordinum ac statuum alicujus civitatis, ut essentiam eorum unicè constituat. Adeoque qui caret illa facultate sive per injuriam sive jure, non est actu Civis: qui fruitur illa sive jure sive injuria, reapse est in Statuum sive Ordinum seu Civium censu.* Hæc Vir ille summus, quem meritò communem Germaniæ in Politicâ ac jure publico Præceptorem vocare possis. Videtur autem Autor noster ideo in hunc errorem inductus, quòd ambiguitatem sive æquivocationem, quæ semper errorum genitrix solet existere, vocis *Civis* non probè expenderit. Accipit enim nomen illud vulgariter & impropriè, pro omni eo, qui est subditus, ac omnes liberos homines & patresfamilias civium numero includit; quum tamen Autor non ignorare debuisset, statum personarum in jure esse triplicem [1.] libertatis [2.] Civitatis & [3.] familiæ. Notissimi verò juris est, posse aliquem esse liberum ac regem in suâ domo, qui tamen in curia non sit Senator, vel ci-

viratis verus socius. Si autem cum indocto & imperito vulgo loqui velimus, etiam pueri & senes depontanei, qui ob venerandam senectutem vacationem à muneribus habent, cives dicendi erunt, atque hac ratione omnes illi, qui minores & innocuas Germaniæ civitates Provinciales incoluerunt v. g. qui in Ducatu Brunsvicensi, Hallerspringæ Eldagiæ, Munderæ ac Pathusiæ vivunt, Cives Imperii erunt *Weil sie Burgerliche Nahrung im bier bravven und andern Handthierungen treiben.* Sed risum teneatis amici. Verus itaque Imperii Civis est, qui jure suffragii de Regni Germanici negotiis in comitiis gaudet, ac in curiâ Imperii Senator existit. (Vid. *Burgoldens.* p. 1. Disc. 18. n. 4. ad Instr. Pac.) Proinde dicendum in Democratiis omnes ex æquo, in Aristocratia & Oligarchiâ paucos esse veros cives: In monarchiâ vero unum & solum, reliquos verò subditos non cives, ut falsò Autor noster credit. Exponat ergo Autor aliter, quis sit Imperii Civis? Et tunc, si acu rem tangit, Phillida solus habebit.

IV. Quæ Autor porrò (§. 1. c. 2.) de exemptione Statuum & de Apanagio tradit, ea illustrari possunt ex *Zachariæ Vietoris* Tract. de Exemptionibus & *Springsfeldio* de Apanagiis. Nos jam ad alia pergimus. Autor noster (§. 2. c. 2.) rectè statuit, quod inscriptio in matriculam sive Imperii album non faciat, sed probet tantum aliquem statum esse Imperii. Quum enim essentia Ci-

Matricula non constituit

vis in jure ſuffragandi conſiſtat, ut paulo ante (n. 2. & 3.) deduximus, facile apparet per accidens tantum fieri, ut talis aliquis matriculæ aut albo ordinum inſertus ſit, ſive contributiones Imperii in publicum ærarium pro rata proxime ſoluat. Quæ duo tamen perperam nonnulli inter certiſſimas Civium atque Ordinum notas recenſent. Quod enim inſertionem in matriculam attinet, certum eſt in multis Rebuſpub. non eſſe album civium (*Burger rolle.*) quemadmodum nec ulla etiam matriculæ memoria exſtat in Repub. noſtra, ante illam, quam Sigiſmundus Imp. an. 1431. fecit conſcribi (*Goldaſt.* l. 2. de Regn. Bohem. c. 17.) Itaque nec ante illud tempus ulli fuiſſent Imperii Ordines, quo nihil eſt dictu abſurdius. Nec etiam ſolutio collectarum in publicum Imperii ærarium, Imperii Statum facit. Nam ſæpe in illud conferunt illi, qui meri ſubditi ſunt, & parere dominis coguntur. Ita olim Polonia devicta aliquot auri libras quotannis Germanico Imperio ſolvit, nec tamen ſuffragandi facultatem in comitiis habuit. Contra Bohemiæ Rex onera Imperii non fert, in electione tamen ſummi magiſtratus Cæſarii Civem agit. (Dn. *Conring.* de German. Imper. Civib.) Hanſici fœderis Vrbes pleræque ſunt provinciales, quæ tamen ſæpe ad contribuendum publicè invitantur (V. R. I. de an. 1566. §. *Ob den nicht allein.*) quum tamen ſuffragandi poteſtate deſtituantur. Hodiernis verò Imperii moribus ferè ſoli illi, qui contribuunt

eſſentiam Status Imperij.

immediatè in publicum ærarium & albo ſunt inſcripti, ſuffragandi in commitiis jus habent.

Matriculam omnibus numeris certam nondum in Imperio habemus.

V. Quod matriculæ Imperii punctum attinet, nondum in hodiernum uſque diem omnibus numeris certam atque indubitatam habemus, unde etiam in Inſtr. Pacis Oſnabr. Monaſt. (art. 8. verſ. *Habeantur*) adhuc ejus redintegratio promiſſa eſt. (Vid. *Burgoldenſ.* p. 3. ad Inſtr. Pac. Diſc. 7. n. 3. *Speidel.* verb. *Matricul.*) Circumfertur quædam vetus ordinum tabula, quâ illi in quaterniones diviſi ſunt eaque vulgo nunc in picturas abiit: Sed rectè Dn. *Coring.* illam pro inepto commento otioſorum hominum habet, quum ſit contra omnem hiſtoriæ fidem, & nullos Epiſcopos nullos Abbates exhibeat, ſileat quoque plurimos comites, plurimas Vrbes Imperiales, quibus in conciliis Imperii jam Ottonis III. Imp. ætate fuit locus. Alia tabula Ordinum itidem per quaterniones diſtinctam exhibet *Goldaſtus* (Tom. un. Conſt. Imper. p. 34.) quæ etiam eſt luſus quidam hominis vani & inepti, qui, ut multos quaterniones conficeret, totius Orbis Reſpubl. non erubuit ſuis nugis concutere. Ampliſſimum Catalogum Imperii Ordinum propoſuit fictione ingenii ſui idem Goldaſtus, qui huc tranſtulit omnes, qui unquam Receſſibus ſubſcripſerunt v. g. Reges Angliæ, Franciæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Archiepiſcopum Gneſnenſem, Lundenſem, Pragenſem &c. qui tamen nunquam jus Imperii civium habuerunt. Meliorem Catalogum Ordinum

exhibet Tobias *Paurmeister von Kochstett*, qui quum ex monumentis Imperii haud sit descriptus, omni exceptione major minimè erit. Magno proinde cum Imperii detrimento per plurima secula neglecta est publici Ordinum Albi confectio, quam optimæ quæque & prudentiores Respubl. observare solent. Nec verò nulla Respub. hujus rei observatæ non fructum magnum, non observatæ autem non magnum sensit detrimentum, ut præclarè Dn. *Conring.* loquitur. Sigismundo demum & post Friderico III. Maximiliano I. ac Carolo V. imperantibus ob Bohemica & Turcica bella majori cura Ordines de certo numero Civium ineundo laborasse videntur. Ac ne sic quidem error vix evitari potuit, quum non tam studio Reip. quàm, quò in plures diviso publico tributo singuli minus onerarentur, maximè ordinum numerus fuerit ampliatus. Quin & multi in Imperii potius, quàm provinciæ ærarium contulerunt tributum, quod crediderint hac ratione multum dignitatis ac libertatis sibi accrescere. Cæsareæ insuper auctoritatis intererat, ut cresceret numerus Ordinum, & omne, quod in provinciis esse robustissimum, in Imperii censum transiret. Ordines verò quam quisque sibi mallet alium subjectum, quàm toti Imperio, vicinus tamen etiam vicini potentiam suspectaret; hisce occultis odiis & amoribus tandem effectum est, ut hodieque punctus redintegrandæ matriculæ magnis difficultatibus sit involutus. Hinc in omnibus

Unde incertitudo matricularum venerit.

matriculis an. 1431.1467.1471.1480.1481. 1486. 87. 89. 91. 1507. errores commiſſi, quum in unâ multi ordinibus ſint annumerati, qui alibi omittuntur. Hoc quum ipſi Ordines animadverterent, an. 1521. perfectiorem matriculam elaborari conati ſunt: ſed neque hæc ab omni parte perfecta eſt, quum in Comitiis Auguſtanis an. 1548. Ordines magnum numerum eximendorum Cæſari obtulerint [V. *Act. Brunſvic.* part. 2. ſect. 2. p. 1084.] Hinc in comitiis an. 1576. §. *Wan dan darneben* indictus eſt locus certus perficiendæ demum matriculæ. Et licèt in comitiis an. 1576. §. *Wan auch zu Franckfurt.* conſtitutum ſit ſequendam matriculam de an. 1521. tamen inſignis limitatio in §. cit. adjicitur, quæ arguit ne iſtam quidem matriculam eſſe ex aſſe perfectam. Quin & perfectio matriculæ adhuc promiſſa in comitiis Pacis Oſnabrugo-Monaſterienſibus, loco ſupra allegato. Vnde apparet errare Autorem noſtrum, quando matriculas de an. 1551. 1556. & 66. pro Authenticis pronunciat.

Monzambani error circa matriculas.

DISCVRSVS VIII.

De Formidabili Domo Austriaca, ejusque æmulis, item de nonnullis aliis familiis per Germaniam illustribus.

Ad cap. 2. §. 3. 4. *&* *seqq.*

I. AVtor noster præcipuos Ordinum recensiturus, rectè primo loco de Archiducibus Austriæ incipit, quibus inter omnes Imperii Duces primatus tribuitur. Depingit autem [§. 3.] Severinus Rudolphi I. admirabilem solertiam, quâ ille in amplificandâ familiæ Austriacæ dignitate atque potentia usus [Vid. *Burgoldens.* p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 12. n. 14. & seqq.] Autor quum satis clarè & acutè tenuia initia Domus Habsburgicæ, ac subsecutam ejus invidendam magnitudinem proponat, non est quod Soli lucem in præsens fœneremur. Crevit autem hæc Domus [1.] felicissimis armorum *Causæ in-*
auspiciis Rudolphi I. Cæsaris, qui devicto *crementi*
Ottocaro Rege Bohemiæ ferè omnes illas *Domus*
terras, quæ hodie *Die Kayserl. Erblander* *Austria-*
dicuntur, scilicet Austriæ Exarchatus, cum *cæ.*
Ducatu Stiriæ ac Comitatu Carniolæ &c. consensu Ordinum Imperii in filium Albertum cum titulo ac pileo Archiducali contulit. Galli hoc factum Rudolphi ita interpretantur, quasi eo ipso filium *Ducem Du-*

cum Germaniæ facere voluerit. Sed minus recte: Titulus enim is tantum honoris præcellentiam importat. Hic Rudolphus cum primum per ætatem arma ferre potuit, omnibus bellis Friderici II. Imp. exercitus, eam de se æstimationem dedit, ut quotiescunque Cæsarem adiret, reliqui militaris ordinis Proceres ipsi, quamvis juniori, assurrexerint. Narrat Cuspinianus Astrologum quendam tum in aulâ Friderici fuisse, qui cum præ cæteris in oculis habere Rudolphum videretur, causam interrogatus, Imperatori dicere ausus fuit: *Videre se hunc Rudolphum, extinctis ipsius posteris, rerum esse potiturum*; quam hominis divinationem eventus quoque comprobavit. Magna sane sapientiâ hic Rudolphus publicum pariter Germaniæ ac privatum familiæ interesse promovit, quod ipsum quoque Autor bene quidem nescio tamen an non nimium acuto, & gravi stylo, paulo sinisteriore affectu abreptus, annotat. Qui profundius magnanimitatem ac prudentiam Rudolphi nostri rimantur, felicitatem, magnanimitatem, ac curiosam ejus solertiam admirantur, ambitionemque ejus planè honestam pronunciare non verentur. Diuturnum certè illud ac fatale Imperii interregnum post Friderici II. tempora Germaniæ faciem reddiderat verè miserrimam: Leges tum erant infirmæ, potentior habitus in jure prior, gladiumque qui in manu vibrabat, tum optime de finibus disputabat. Nullus tum occurrebat Machaon, cujus felix

manus publica ista vulnera curare, omniaque in tolerabilem statum rursus reducere poterat. Actum sine dubio fuisset de pulcherrimâ Imperii Republ. nisi tandem illa in felicissimas Rudolphi Habsburgensis manus collata fuisset. Primordio Imperii totus in eo fuit, Rudolphus ut destructis arcibus montanis (*Raubschlösser*) pax publica in Imperio quasi postliminio reduceretur. Quod cum feliciter successisset, non adeò reprehendendus fuit in eo Rudolphus, si Habsburgicæ potentiæ per angustos limites dilatare, atque augustiores reddere summâ ope annisus fuerit; quum etiam privatis liceat sine detrimento ac injuria alterius conditionem suam facere meliorem. Felix suo ævo nimirum fuit Rudolphus qui occasione oblata foro Politico uti novit. In hodierna tempora si incidisset, intra Habsburgica initia sine dubio constitisset, neque Archiducatus introductus fuisset. Quoad potentiam enim augendam hodie non adeò in excessu peccamus, sed potius additioni viam subtractionis præferimus. Rudolphus tum illud invidiosum *Plus ultra* re ipsa exercuit. Hac autem ætate mensura omnino tenenda. Vidit autem Rudolphus suà ætate Imperii navem sine rectore ludibrium ventis debere, nudumque remigio latus undis præbere. Stridebant tum illius Politicæ Navis funes, curvabatur arbor, gubernacula gemebant, crebri fluctus sese invehebant, illius omnia fatiscebant, vix durare carinæ poterant imperiosius æquor. In-

terea vectores & nautæ, commune periculum obliti, mutuam sævitiam pro se quisque furore immani ac intempestivo exercebant, remigesque incerti contraria in studia tendebantur. Ergo quum omnes extremo exitio essent vicini, nemoque clamaret: *Serva nos Domine*, Rudolphus noster, quum animi sui sapientiâ istos fluctus ac sonoram tempestatem componi posse speraret, primum Episcoporum, dein affinitatibus filiarum, sibi secularium Principum Electorum suffragia comparans, tandem felicissimis Imperii sui auspiciis Germanici Regni anarchiam sustulit. Et quia videbat Imperii Ordines sibi validissimè favere, ac optimis ominibus regimen suum prosequi, eorum favori amplius velificatus, omni ope in propriâ comparandâ potentiâ allaboravit, quò hac ratione dignitatem Imperatoriam (ad quam sustinendam, Regalibus Imperii in Ordinum privatum patrimonium translatis, non nisi ditissimi Germaniæ Reguli, eligendi erant) suæ familiæ tantùm non hæreditariam redderet. De hoc Rudolpho Petrus Episcopus Basileensis, cui armis Rudolphus multa extorserat, dixit, postquam illum in Imperatorem electum audivisset: *Stehe fest lieber Herre Gott* [Ecce profana Episcopi verba!] *oder Rudolff Wird dir auch deinen Stuhl noch einnehmen.* Autor noster miratur, quare ex reliquis Principibus nemo præ Rudolpho Imperatoriam dignitatem affectarit. Cæterùm is status rerum in Germania tum erat, ut plærique Proceres paula-

Causa arcana quare Rudolphus in Imperatorē electus.

tim, Civitate Germanica desertâ, maluerint domi vivere immunes & liberi, quàm turbulentis Imperii negotiis immisceri. Domi itaque Regna condentes, publicas Imperii res extra suas curas ponebant, ac quasi de conservando Imperii statu planè desperabant. In tali ergo rerum confusione, ne planè pulcherrima ac augusta Imperii dignitas intercideret, Principes Electores, quorum tum præ reliquis autoritas magna erat, ex negligentiâ suâ veterna excitati, de capite iterum consultare cœperunt, ac ingentibus edocti cladibus, à sancta Antichristi sede immissis, cognoverunt non respiciendam in creando Imperatore potentiam, neque divitias, neque familiam. Papa enim quum animadverteret potentes Imperatores semper ultra montes in Italiam tendere, ibique Imperii jura strenuè, uti par tamen erat, asserere, semper electis potentibus Cæsaribus per æmulos, anti-Cæsares creatos, & aliàs per Episcopos suos semper vexarunt. Ne itaque porrò Romanæ sedi formidabilis Imperator eligeretur, Pontifex per Wernerum Moguntinum, qui Romam profectus consilium istud cum Papa in conclavi fabricavit, id obnixè egit, ut Imperatores tenuis fortunæ inposterum eligerentur. Et verò jam antea Papæ, ut voti sui compotes redderentur, sub velo religioso expeditiones in terram sanctam excogitarant, ut hac ratione potentiam Imperii ac totius Christiani Orbis enervarent, ut jam supra (in Disc. VI.) fuit monitum. Hac fini etiam Pa- NB.

pæ moliti sunt, ut in interregno post Fridericum II. divisis Electorum studiis exteri in Imperatores eligerentur, & contemptibilis fortunæ Comites ad Imperium pervenirent, quo animadverso Rex Galliæ illis temporibus consilia agitavit transferendi ex Germaniâ in Galliam Imperii. Sed, ut ad propositum revertar, quum Papa Moguntinum (per Germaniam Archi-Cancellarium, atque Episcoporum Germanicorum veluti primum mobile, juxta quod reliqui inferiorum Sacerdotum circuli circumaguntur) in suas partes pertraxisset, ejusque favorem in itinere, Romam suscepto, noster Rudolphus (cujus fortuna tum modica in partibus sylvæ Herciniæ, *SchWartzvvald*, angustis limitibus fuit circumscripta) aucupatus fuisset, quid mirum, si tandem Habsburgicus ille Comes ad imperatorium thronum pervenerit, ut Autor noster bene h. l. exponit. Ex hisce satis Papalia consilia adversus nostrum Imperium deprehenduntur; nimirum Pontifex, inter omnes malæ fidei possessores facile princeps, potentes Imperatores horret, ne Alpes rursus transcant, & pristina jura Imperii vindicent. Quomodo superiori seculo Papa contra Carolum V. & præterito tricennali bello Vrbanus VIII. contra Ferdinandum II. occulta consilia inierint exponit *Burgoldens.* (p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 1. n. 44. 45. & n. 80.) Quin etiam hodie Papæ nequitiam, ab antiquo contra nostrum Imperium exercitam, in usum revocarent, nisi Protestantismus, superiori secu-

NB.

lo Divinâ favente Clementiâ, exortus,& hoc ſeculo per Pacem Monaſterienſem confirmatus, Papis ac Curiæ Romanæ obſtaret, ac veluti ſudes in oculis eſſet. Ad Rudolphum noſtrum redeundo, uti laudandus, quod Germaniæ confractam ferè navem in portum pacis ac quietis deduxit: ita culpandus, quod, à Sacerdotibus Romanis forte deceptus, Imperii jura Romæ & in Italiâ non aſſerere perrexerit, Auſtriæ ſuæ amplificandæ atque exornandæ nimium fortaſſis intentus. Non pauci in contemplandâ Domus Auſtriacæ magnitudine, divinum myſterium augurantur, eamque Fati inuſitati clementia ideo ex parvis atque modicis initiis ad tam magnam potentiam perveniſſe credunt, ut Chriſtianus Orbis haberet fulcrum, ac robur, quod Ottomannicæ potentiæ, eodem tempore ſurgenti inpoſterum opponi poſſet. Autor noſter Italum ingenium ſuum, in Habſburgicæ potentiæ incrementis deſcribendis ſatis h. l. oſtendit. Videtur tamen reverentiam ac modeſtiam ſtyli non ubique obſervaſſe. De actis enim Rudolphi, Domus Auſtriacæ conditoris, ac Romuli, reverentius eſt credere, quàm ſcire. Vidimus jam de Rudolpho: Quod is armis, id poſteri in amplificandâ inclyta hac Domo connubiis tentarunt. Vnde illud:

—Nubens capis Auſtria regna
Auſtria nube prius, bella gerant alii.

Galli Auſtriacorum æmuli, paſſim ex merâ Politicâ invidiâ hanc rem malè traducũt, dum Auſtriacos non lancea militari, ſed carnali, eò

potētię pervenisse sic satis petulanti stylo scribunt. Le S[r] de Ceriziers ita hac de re: *La seule maison d'Austriche s'est accruë par les mariages; il luy est arrivé ce, que nous remarquons dans la production de l'homme, le masle y contribue moins, que la femelle:* id est: Sola Domus Austriaca crevit matrimoniorum beneficio, & in eadem obtinuit, quod in generatione hominis observatur, ad quam masculus minus confert quam fœmina. (Vid. pl. Dn. *Limnæ.* in addit. ad l. 5. c. 2. p. 684. 685.) Cæterum Gallorum ejusmodi levidensia judicia non adeò sunt curanda, præsertim quum nulla sit adeò modesta felicitas, quæ malignitatis dentes devitare possit. Eminentis verò Austriacæ Domus invidia maximè crevit ex quo superiori seculo Carolus V. totam Europam spe & fatali potentia complecti quodammodo videretur. Ab illis enim temporibus usque ad nostram ætatem inter hanc illustrissimam Domum & Reges Galliæ immortales pæne inimicitiæ fuerunt exortæ. Causa unica est ambitio & potentiæ æmulatio de quâ re vide plenius disserentem *Autorem des affaires, qui sont aujourd'huy entre les maisons de France & d'Austriche*, *Gramond.* l. 4. Hist. p. 245. Anicelli Oratio ap. *Thuan.* l. 118. Hist. Illustr. Dn. *Forstner.* ad l. 11. Annal. Tac p. 48. *Burgoldens.* p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 1. n. 45. & Disc. 12. n. ult.) Eodem tempore etiam inter hanc Domum & Ordines Evangelicos, Catholicos quoque nonnullos, in Imperio no-

ſtro exortum eſt diffidentiæ venenum, ex quo tanquam hydra multorum capitum propullularunt innumera mala; ſpes, metuſque ſecreti magis quam profeſſi, tandem bella ex bellis, quibus civilibus incommodis, quod Germaniam quidem attinet, ſalutare alexipharmacon & nepenthes Pax Oſnabrugo-Monaſterienſis an. 1648. attulit! Inter Hiſpanos verò & Gallos, utut multum olei & operæ ſit etiam ad tollendum illud Orbis Chriſtiani malum atque peſtem Politicam fuerit inſumptum, tamen ſincera pax atque mutua amicitia redintegrari ac poſtliminio quaſi reduci minimè potuit. Arma itaque continuata uſque ad an. 1660. quo demum pax, ſive potius armorum interimiſtica quies, inter ambas partes concluſa. Cæterum Rex Galliæ quum videat ſe hiſce temporibus adverſus Hiſpanum forſan prævalere poſſe, ob nonnullos prætextus præterito anno reſumpſit arma, illaque adhuc totis Regni viribus in Circulum Burgundicum, ad Imperium pertinentem, convertere deſtinat. An verò Imperator cum Ordinibus Imperii hoc diutius adeò patienter laturi ſint, dies tandem, niſi Deo volente Pax intercedat, docebit. Vtrique Reges & Hiſpaniæ & Galliæ adhuc hodie explorant Principum Imperii animos, *ob Sie Sich Spaniſch oder Franzöſiſch erklaren Wollen.* Dominus tamen clementer providebit, ut factionum ſtudio ſepoſito, Imperii ſalus pro ſupremâ lege prævaleat. Certè vel maximè Imperii inter-

eſt, ut ejus membra, (quorum in numero & Circulus Burgundicus, etiam noviſſimè per Inſtrumentum Pacis Cæſareo-Gallicum eſt) ab omni exterorum impetitione pro aris & focis defendantur. Dolendum interim ſerio eſt, quòd ambitio & æmulatio inter tam duas potentiſſimas domos nullo unquam remedio ſopiri poſſit. Matrimonii vincula nondum aliquid efficere ad tam optabilem finem hactenus potuerunt. Duo enim Cardinales, atque Regum Galliæ oracula, Richelius nimirum atque Mazarinius, in Miniſteriis ſuis ſatis auſterè inculcant, regni ſalutem mille matrimoniis eſſe potiorem. Si vera potius, quam dictu ſpecioſa velimus in medium afferre Richelius primum Ludovico XIII. & Mazarinius dein Ludovico XIV. Regibus ejuſmodi præcepta ſecreta in pectus inſtillarunt, quæ ſi radices porrò agent, mala adeò robuſta in Orbem Chriſtianum derivabuntur, ut bella ex bellis uſq; ad finem mundi ferenda ſint. Totius ſane Chriſtiani Orbis intereſſet, ut, quia Hiſpani jam conſilia pernitioſa contra Europam remittere, ac quaſi penitentiam agere videntur, ut Galli quoque criſtas non-Chriſtianæ Politicæ demittant, & tolerabilibus conditionibus rurſus Orbi Europæo pacem ac tranquillitatem reddant ac ſinant eſſe perpetuam. Fatentur quidem Politici ac rerum civilium gnari, quòd ſuperiori & hoc ſeculo Hiſpani, ad immodicas divitias evecti, ambitioni ſuæ non poſuerint limites, ac cupidi-

nem, plus ultra terminos mediocritatis transcendi, non ſtiterint, ſed potius modò hic, modò alibi diſcordias & bella fovendo, ac gerendo, novis incrementis inhiarint. Atque hinc illæ lachrymæ! Cæterum quum iidem hodie quieta præ periculoſis amplecti malint, (ut quidem nunc poſt vehiculum in lutum dejectum præ ſe ferunt) reliquorum Principum ac Procerum Chriſtianorum publicè intererit, ut Pax rurſus ſtabiliatur, & ut, illam reſpuens, communibus viribus ad honeſtas conditiones paciſcendi adigatur. Trin-unus Deus, Rex ille Regum, ac Dominus Dominantium tandem Orbi Chriſtiano palmam ac ſalutarem pacem clementer reſtituat ac perennare jubeat.

III. Redimus jam ad Autorem noſtrũ. Is (in fin. §.3.) notat Auſtriacos Hungariæ regnum paulò minus quam hereditario jure tenere; id quod tamen Hungarici regni Palatinus atque Proceres vix concedent. Certè regnũ hoc Imperio Romano-Germanico non eſſe incorporatum (ut temere Alſtedius in Encyclopædiâ ſuâ aſſerit) expreſsè Imperator & Ordines aſſerunt (in Rec. Imp. Ratiſbon. de an. 1566. §. *Vber voriges haben* &c. verb: *Iſt Vngern dem Teutſchen Reich in nichts vervvant und zugethan*) & probat Dn. *Conringius* in Trac. de Finib. Imper. *Ieſſenus* (in Coronat. Matthiæ II.) ita: Vngari per Regni ordines, quorum primus eſt Archiepiſcopalis, cum ſuffraganeis ſtirpeque magnatum: alter, Prælatorum & Nobilium;

Hungaria regnum an pertineat ad Auſtriacos.

tertius nunciorum regiarum civitatum suæ genti Regem adoptant. (add. *Petr. de Revva Histor. Hungar.* Cent. 7. p. 133.) Quod autem à tempore Ferdinandi I. Imp. Reges Hungariæ ex Austriacis lecti sint, id planè est ex accidenti, nec hereditarium jus stabilit. Alias enim ex mente Autoris quis colligere posset, etiam Imperium nostrum, quod electio in familia Austriacâ ultra ducentos annos durarit, esse electitium, id quod tamen maximè absurdum est. (Vid. plenius hac de re *Autor.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 9. n. 12.) Autor noster cum Hippolito à Lapide porrò credit quòd occasione defendendæ Hungariæ, quæ hodie clypeum & aheneum Imperii murum versus Turciam constituit, Austriacos Imperatores Germaniam pecuniâ atque argento emungere. Hippolitus præallegatus mordaci Germanico carmine hoc stratagema traducit: Et fortassis quoq; interdum veritas huic opinioni prævaluit, de quo consulendi fuerunt, qui interiora Imperii negotia per specilla, quæ Rationis Status vocant, inspexerunt. Fatendum profectò est, nemoque nisi Hippolitus Lapideus forsitan negabit, Austriacorum reditus, quos ex provinciis suis trahunt maximis impensis, quas in securitatem Hungariæ erogare coguntur, imminui. Palam enim in Comitiis Ratisbon. de an. 1653. 54. Austriacus Legatus professus est: *Das uff unterhaltung der Granzhauser gegen dem Erbfeind, und sonsten vom mari Adriatico bis an Polen, so sich in district auf* 200.

Meilen erstrecken, jährlich über Zwo Million Gold aufgewendet, und von 20. bis in 24000. *Soldaten darinnen erhalten werden müssen*, ut refert Dn. *Limnæus* (in addit. ad l. 5. c. 2. p. 687. add. Rec. Imp. Ratisb. de an. 1557. §. *So viel dann.* R. I. Augustan. de an. 1603. §. *Wann nun.*) Quum verò communis Imperii salutis maximè intersit, ne barbarus ac terribilis Turca antemurale illud invadat, ac occupet, non iniquum etiam fuerit, si ex *formula Legis Rhodiæ de jactu* omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. Videndum itaque an illud Taciti locum hic inveniat: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod pro singulis utilitate publicâ rependitur.* Bene interim est, quòd hodie Ordines Imperii loco pecuniæ milites in bellum Turcicum mittant, eosque è propriâ cassâ suâ alant. Hac enim ratione suspicioni Autoris nostri inposterum omnis ansa præcidetur. Fac ergo cum Hippolito à Lapide & Autore nostro. Antehac in eo genere fuisse peccatum, pecuniamque publicam, in publicos Imperii usus necessarios convertendam, aliorsum fuisse insumptam; non tamen hodie adeò rigide examinare debemus, quid hactenus in Austria factum, sed quid in futurum fieri debeat. In modernis Imperii comitiis satis huic rei provisum, & adhuc ab ordinibus providebitur. Quod verò factum est, quum infectum fieri nequeat, Ordinumque Sparta sit etiam in eo posita, providere scilicet, ne ærarium publicum variis

emungendi prætextibus expiletur, ego in imis privatorum subselliis cum Hippolito &, qui eum sequitur, Autore nostro minimè de peculatu & pecuniis repetundis Austriacorum Imperatorum Ministros insimulabo. Nam

Is spuit in se, qui spuit adversus Olympum

quod Germani nostri ita efferre solent: *Uver uber sich havvet dem fallen die Speen in die Augen.*

Examen Carolini privilegii Austriacis conc. essi.

IV. Autor noster porrò (§. 4.) Italum ingenii acumen ostentans, latissimè exagitat Caroli V. immoderatum erga Domum Austriacam affectum, atque capita privilegii Serenissimis Archiducibus à se concessi atro carbone notat, unde satis patet illum Hippoliti Lapidei spiritu afflatum, affectu valde sinistro erga Inclytam hanc Domum propendere. Verusne autem in hac re Politicus Vates extiterit Severinus noster nec ne, ego determinare non ausim, sed potius hunc cibum, ad privatorum culinas non pertinentem, magnis stomachis digerendum atque concoquendum relinquo. Intemperantiæ enim civilis vitium ii vix effugere possunt, qui severo stylo arcana status in publica eruditorum corona audacter calumniari, ac passim traducere minimè verentur. Modicè, aut intra modum, si unquam aliàs, certè in hisce articulis, qui illustrissimas animas concernunt, nos gerere, neque intellectus & judicii eclipsi, muscerdam pro pipere vendere debemus. Falso enim Dn. Autor noster sibi persuasum habet, quasi Carolus V. Imp. dum adeo opi-

Monzambani falsa persuasio.

mo privilegio Austriacos honestare atq; sublimare voluit, id sibi proposuerit, ut, si contingat, ex alià, quàm Austriaca Cæsaream institui electionem, Austria separatam ab Imperio Romano-Germanico constituere possit Civitatem ac peculiarem Rempubl. Fateor, magna quidem est privilegiorum Cæsareorum vis, atque auctoritas; utique tamen non tanta, ut Chymicâ arte quasi nigrum in album convertere, & Imperiam sine consensu Ordinum nobilissimis membris, *Der Kayserlichen Erblanden*, quæ tertiam ferè Germaniæ partem absolvunt, privare queat, utpote quum bona Imperii non sint in marsupio solius Imperatoris, ut illa possit è fenestrâ veluti ejicere, ceu aliàs Publicistæ & Icti latius exponunt. Et quāvis privilegia tantum valeant, quantum consuetudo & præscriptio (*Dd. comm.* per c. *Super quibusdam* vers. *Præterea* de V. S.) ejusque tenor ad unguem observandus (c. *Porro. Extr. de Privileg.*) in tantum, ut violato privilegio Cæsareo in Camerà Imperiali agatur ad pœnam privilegio insertam (*Roding* in Pandec. Cam. l. 1. t. 16. n. 4. Dn. *Blume* de Process. Cam. tit. 39.) tamen illa non attenduntur; si sint contra utilitatem publicam (l. *fin.* C. *Si contra jus & utilitatem.*) Iam verò, ut thesis ad hypothesin transeat, si privilegium Carolinum Monzambanico more interpretari velimus, ut in casu electionis, in aliam familiam translatæ, si Imperatoris auctoritas displiceat, Austria-

Monzambanico falsa interpretatio privilegii Carolini, Austria-

cis concessi. cis ex veteri repudii formula dicere liceat: *Imperio tuo non utemur ; nobis cum Germanico Imperio nihil negotii est ; nostræ ditiones separatam Rempubl. efficiunt* ; ut habent Autoris verba. Tum duo absurda sequerentur, è diametro cum hodiernis Imperii publicis sanctionibus pugnantia 1. Imperatori vigore reservati sive potius præservati in concedendis privilegiis tantam competere potestatem, ut Imperium contra titulum Germanicum *zu allen zeiten Mehrer des Reichs* angustare Imperiique Aquilæ pro lubitu pennas extrahere queat, ut ita semper Augustus tandem in Hominē Platonicum, id est, animal bipes implume degeneret, quo nihil absurdius fingi aut excogitari contra Imperii status rationem poterit: Et, quum nullus privatus sit Dominus membrorum suorum, nec abuti rebus suis in perniciem Reip. debeat ; quid tandem statuendum de Imperatore, si is mēbra Imperio incorporata (*Des Heil. Reichs einverleibete Glieder*) sub prætextu concessionis privilegii suæ potestatis redderet, certe eo modo Cæsar Tutor Imperii dum provincias Imperii feudales sine consensu contutorum, id est, Ordinum alienaret, non instar Vice-Parentis sed vitrici existet. Vt itaque Tutor unus, qui administrationem tutelæ suscepit, sine consensu contutorum & magistratus nihil de bonis pupilli detrahere atque alienare debet, sive directò, sive per viam obliquam ; ita Imperator neque proprio motu, neque sub privilegii velo membra ab Imperio sine consensu aucto-

auctoritate ac confirmatione Statuum Imperii ſeparare nec poteſt, nec debet, idque Leges ſive Capitulationes Regiæ Germanorum Imperatorum examuſſim exigunt. Hactenus deduximus primum abſurdum interpretationis Carolini privilegii, quod ex perſuaſione Dn. Autoris noſtri reſultat. Alterum eſt, quòd ex ejuſmodi interpretatione ſæpius memorati privilegii, Imperium ingens incurreret damnum, utilitaſque Germaniæ publica, quam meritò Cæſar ſupremam legem ſibi præfigit, mirum quantum hac violenta ac præconcepta privilegii mente læderetur. Ipſe enim Autor fatetur, quod hac ratione avulſa tam inſigni parte corpus Imperii inſigniter mutilum ac mancum ſit futurum. Ipſe Autor nobis ſuggerit tertium inconveniens, quod ex ſiniſteriore ipſius opinione de Carolino beneficio reſultat, nempe, quod hoc modo ad ſimilia molienda feneſtra aperiri ac reliqui, qui, propriis opibus atque potentiâ ſuffulti, communem Imperii Rempubl. ſimiliter deſerere, ſeque ab eo eximere poſſent, quum, uno illicito dato, plura in rebus civilibus in conſequentiam trahi ſoleant. Hac itaque viâ Imperii noſtri majeſtas atque auctoritas puerilibus crepundiis tandem non abſimilis redderetur: *Es Vvurde des H. Reichs Majeſtet mit Kinder Puppen oder Docken endlich verglichen Werden konnen.* Hęc itaq; abſurda quũ ex opinione Autoris de Carolino privilegio ſequantur, in propatulo utique eſt, perſuaſionem illam non ubique quatuor pedibus cur-

rere, atque minimè omne punctum ferre. Licet itaque aliàs in privilegiis atque beneficiis plenissimam interpretationem facere debeamus (c.*Cum dilecti. extr. de Donat.*) tamen ita debemus verba & mentem illorum expendere ne absurda inde in statum publicum redundent. Vt itaque nostram mentem de Carolino privilegio explicemus, nos ab Amico quodam nuper edocti credimus Carolinum illud beneficium Domui Austriacæ concessum, ambitionem quandam quidem spirare, non verò hoc in effectu intendere, ut Austriacæ provinciæ eo casu, quo Imperatores ex aliâ Domo eligi contingat, exlege in Imperio licentiâ pro lubitu utantur fruantur; sed Carolus V. hoc voluit ut, casu præmemorato, Augusta illa Domus, (subordinatam aliàs cum cæteris Germaniæ territoriis Rempubl. sive Regnum imperfectum constituens) præ reliquis parvis in summo Imperio Regnis singularibus juribus ac privilegiis uteretur; non verò, ut prorsus se eximeret, id quod etiam petitio investituræ, licèt satis ambitiosæ cujus in privilegio fit mentio, abunde manifestum reddit. Quin & aliàs clausula omnium privilegiorum, licèt non expressa, tamen tacita est: *Salvo summi Imperii jure*, quæ quò minus in hoc Imperatorio beneficio, Austriacis indulto, locum inveniat, noster Autor ad Græcas Calendas probabit. Forsan Caroli nostri animi inductio, in hoc privilegio concedendo, primariò adversus Domum Bavaricam directa fuit, quam constat tum in fla-

granti Caroli Cæſaris odio fuiſſe. Iam tum ante Carolum Maximilianus I. Imp. dicere ſolitus eſt : *Er glaube Wen man die beyde Geblut Oeſtereichiſches und Bayeriſches in einem Topfe Zuſammen ſieden Wolte, eines Wurde das ander machen heraus ſpringen.* Increſcente inſuper ſuperiori ſeculo Caroli V. potentia non ſolum Proteſtantes, ſed etiam Wilhelmus & Ludovicus Bavari fratres, Auſtriacæ magnitudini non obſcurè invidentes, ad illam infringendam atque atterendam nihil non moliti. Hinc an. 1525. perſuadere voluere Palatinis ob perpetuam ferè Imperatoris abſentiam novo Imperatore eſſe opus, illiſque ſuam operam detulerunt, ſi ipſi eligi vellent, aut, ſi ſe eligerent Wilhelmus promiſit 100000 florenorum pro iſto officio. (Vid. plura ap. *Burgoidenſ.* (p. 1. ad Inſtr. Pac. Diſc. 24. n. 5.) Intentio itaque Caroli V. hæc fuiſſe videtur, ut, ſi forſitan ob nimis formidabilem Auſtriacorum potentiam Electores (Proteſtantibus ob odium religionis præteritis) electionem in Bavaricam forſan familiam, Auſtriacæ æmulam, deflecterent, atque derigerent, Auſtriacorum ſubalterna ſummi Imperii Reſpublica tali prærogativa præ reliquis Germaniæ territoriis gauderet, ut Imperatori Bavaro non equidem in totum, ſed in tantum, vigore inducti hujus privilegii, obſtricta maneret atque devincta. Imò quamvis hæc mens occulta Caroli Cæſaris non fuiſſet, tamen Autor noſter opinionem

ſuam ex verbis Carolini privilegii minimè gentium eruere ullo modo poterit. Nam primum Auſtriacis hæc jura non independenter (quomodo alias jura majeſtatis Rebuſpub. atque ſummis in iis magiſtratibus tribui ſolent) ſed dependenter ab Imperatore ejuſque benigno indultu competunt. In qua verò Civitate hæc jura ab alio quam à Deo & victorioſo enſe dependent, illa non poterit eſſe perfecta & ſeparata reſpublica, qualem tamen Auſtriam vult eſſe Autor, idque ex verbis privilegii oſtendere conatur; quum tamen ex ejus tenore hoc potius ſuâ ſponte fluat, Auſtriam eſſe ac in perpetuum manere ſubordinatam (non ſeparatam) ſub perfecto ac ſummo Imperio Romano-Germanico Rempublicam; præ reliquis tamen ſubalternis Imperii Civitatibus inſigni ac invidenda fere prærogativa gaudentem. Et quis unquam, niſi Dn. de Monzambano, credit, aut audivit, privilegium à ſummo magiſtratu Syn-Archis, Statibus aut ſubditis ſuis conceſſum tantam vim poſſe habere, ut peculiares, diſtinctas ac planè ſeparatas Reſpublicas efficere queat? Error ſanè eſt, qui lapidem offenſionis in Imperio noſtro ponere, ſeminaque Zizaniarum (quæ herbæ irriguæ ſatis jam ſatis in Germaniâ creverunt) porro ſpargere ac proſeminare potis eſſet. Privilegium illud Carolinum porrò, intuitu & reſpectu ad Imperium habito, Domui Auſtriacæ conceſſum eſt, ceu ex procœmio literarum gratioſarum conſtat. Expreſſe

enim ibi dicitur : *Das Freyheit und Gnade,* Caroli V. *Vorfahren, die Durchleuchtigen Fursten, und das lobliche Hauſſ von Oeſtereich von dem H. Romiſchen Reich und von den alten Kayſern und Konigen verdient und ervvorben haben: Durch ſolche Reichs Dienſt und Beſtandene Treu auch vormahls erhoht, und Zu dem H. Reich erkohren ſein.* Additur itidem privilegium hoc ideò Ferdinando eſſe conceſſum, *Weil derſelb. I. K. M. und dem H. Reich in Kunftique Keit Vvol dienen mag. und ſoll.* In ſumma, quicquid Archiducibus vigore hujus privilegii competit, in totum eſt ex Imperii & Imperatorum beneficio, adeoque civiliter, non Iudaicè privilegii illius tenorem interpretari debemus, ita ut inde non extorqueamus Archiducum plenam quaſi emancipationem ab Imperii ſumma poteſtate. Non enim ſequitúr : Hic vel ille Imperii Status tot ac tanta privilegia ac immunitates ab Imperatoribus & Imperio poſſidet ; Ergo eſt planè ab Imperio liber, ſeparatamque ab eo Rempublicam exercet. Proinde ea, quæ Autor noſter in taxandis capitibus privilegiorum Archiducalis Domus hoc loco conglomerat, non evincunt Auſtriacos in caſu, quo non amplius ex illorum Archiducali familiâ Imperator eligendus foret, velle inſtituere Rempubl. planè à Germanico Imperio diſtinctam. Suſpiciones iſtæ meræ ſunt, in cerebro acuti noſtri Itali natæ. Quod enim ille primum de Regno Bohemiæ affert, nullius momenti eſt;

Scire enim debebat Autor, quod Reges Bohemiæ non amplius in Comitiis Imperii compareant, hoc totum iisdem esse ex privilegio Imperatorum & Imperii. Teutonicorum Principum jus comparendi in curiis Imperatorum illos olim habuisse ex historiis constat. Ita Wenceslaus Bohemiæ Dux Henrico I. & Ottoni M. in comitiis præstò fuere, ut ex *Dubravio* & *Ænea Sylvio* patet. De conventu Erfordiensi Vid. *Goldast.* (l. 3. de Regn. Bohem. c. 2.) Postea verò privilegio Friderici II. Imp. constitutum est, quod Rex Bohemiæ non teneatur interesse Comitiis Imperii, nisi illa vel Mersburgi, vel Bambergæ vel Norimbergæ fuerint instituta (Vid. pl. Dn. *Conringium* ad Lampad. p. 3. c. 8. §. 6.) Quod hodieque Rex Bohemus Status & Civis Imperii sit probat Dn. *Limnæus* (l. 1. de I. P. c. 7. n. 94. & l. 3. c. 8. n. 22. & pluribus *Goldast.* in præclaro opere de Regno Bohemiæ, *Carpzov.* de Leg. Reg. c. 8. sect. 3. & 8. 9. 10. 11.) Quæ porrò Autor noster excerpsit ex privilegio Caroli V. quum sinistros affectus erga Domum Austriacam notent, obliquo velo sunt prætemavigànda, neque assertionem illius probant, utpote quum non sequatur: Hic immunis est ab Imperii oneribus, Ergo non amplius Imperio subjectus; quin potius in literis immunitatum Austriacarum expressè asseritur, quod Austria sit & maneat Imperii feudum perpetuum, quod nulli Imperatori ab Imperio tollere liceat, id quod violentæ opinioni

noſtri Autoris planè contrariatur. Auſtria porrò eſt in perpetua Imperii tutela, & Auſtriæ Dux perpetuus Imperii Conſiliarius. Verba privilegii ita habent: *Er ſoll auch ſein der allergeheimeſte Rath des Römiſchen Reichs, alſo das Keine Sach ſo in evvigkeit reicht, ohn ſein Vviſſen beſchloſſen Vverden ſoll.* An hoc vero Libertiniſmum contra Imperium involvit? Quod verò Archidux extra Auſtriam non teneatur inveſtituram petere, id quidem inſignem & invidiæ plenam prærogativam notat, non verò inanem Autoris ſuſpicionem infert, quaſi Imperio propterea ſe inferiorem agnoſcere nolit, & quæ alia Italus noſter cerebrina ſua interpretatione ſatis audacter aſſerit. Verba privilegii ita habent: *Sie ſein auch nicht ſchuldig* (nimirum ob privilegium conceſſum) *umb Empfahung ihrer Lehen, auſſerhalben des Landes Oeſterreiches nachzureiſen, ſondern ſollen ſie ihnen in demſelben Lande geliehen Vuerden: Und ob ihm das verſagt Vvurde, ſollen ſie das dreymahl ſchriftlich erfordern* &c. Reliqua quæ Autor ex privilegio Caroli excerpit, Montem parturientem quaſi introducũt, ſed ridiculũ murem prognatum lectoribus oſtentant. Sanè ingenioſæ ſuſpiciones, ſi probationes in jure eſſent, herba ſine dubio Autori porrigenda eſſet. Sed erubeſcimus ſine lege & ratione loqui. Probatio ſanè incumbit Dn. Severino noſtro: Auſtriacos omnia capita, quæ in privilegio continentur, liberrimè, abſolutè & independenter exercere; ante ve-

rò quam illud fiat (quod forſan fiet in illo Pentecoſtes feſto , quando nivis altitudo haſtam erectam æquabit , aut in die Vdonis Neminis, qui frontiſpicio libelli præfixus) ipſi faſces nullo modo ſubmittere poſſumus. Quæ Autor porrò hic de Belgio & ludibrio Caroli V. (ut A. ait) affectum etiam ſatis ſiniſtrum produnt, & alibi à nobis examinabuntur. Nos , miſſis Autoris argutis adverſus Domum Auſtriacam ſuſpicionibus ac ſiniſterioribus affectibus , cum Dn. *Limnæo* Guntheri verſus Auſtriacæ familiæ convenientes eſſe putamus :

O verè famoſa Domus , cui totus ab ortu
Solis ad occiduas mundus ſubſternitur undas,
Quam qui novit , amat ; qui non novere, verentur;
Cujus in auditu confuſis mentibus hoſtes
Tabeſcunt , contraque nihil ſe poſſe fatentur.

Non nimia itaque præter ditiones hereditarias Auſtriaci ſplendoris pars eſt , privilegiorum atque immunitatum , quibus coruſcant, corona. Nullus enim (fatente *Cuſpiniano* in Auſtriâ p.32.) in univerſâ Chriſtianitate Princeps tot tantiſque gaudet immunitatibus privilegiis, eminentiis , ab Imperatoribus & Regibus Romanis conceſſis , quemadmodum Archidux Auſtriæ. Debemus autem hic contra Autorem noſtrum diſtinguere inter præeminentiam & Suverenitatem (ut Gallicum vocabulum , rei conveniens in Latinum Sermonem convertam) illam Auſtriacis Archiducibus concedimus ; hanc verò, denegamus

Hodiernus ex inclyta Domo Austriacâ electus Imperator ac Germaniæ Rex, est *Leopoldus*, cui multos Germanos fœcundum masculâ prole matrimonium optare, Autor noster audivit, ob rationem, quam allegat. Ter Optimus terque Maximus Deus, Imperii ac Regnorum Stator, hunc Imperii Solem diu Germaniæ nostræ commodet, ejusque matrimonium cum Margaretha, Hispaniæ Regis Philippi IV. filiâ, masculis heredibus, ad avertendos novos Germaniæ motus, beatum atque lætum reddat, ut quamdiu mortalis erit ex domo suâ Augustâ nihil mortale sentiat, atque ægerrimæ afflictissimæque Germaniæ salutaribus fomentis medeatur. Nuper Germania nostra tota plena fuit gaudio, ob enatam ex Imperiali matrimonio Regiam prolem, quæ, si floridam ætatem attigisset, sine dubio in spem Imperii adolescere potuisset. Verum eheu! flos ille, Orbi tantum ostensus, nuper emarcuit, non sine luctu Illustrissimorum Procerum, quorum pectora Germanicos, non Gallicos, affectus produnt. Nuper Gallus quidam, homo sanè vanissimæ ac levissimæ mentis eloqui non erubuit: Sibi vehementer esse in optatis, ut Imperator modernus, nulla mascula sobole relictâ, tandem diem supremum obiret. Tum enim posse fieri, ut Rex Galliæ, attractis in suas partes Electoribus, præcipuè iis, qui in via Sacerdotali ad Rhenum (*Pfaffengaß*) ditiones suas possident, Imperatorium thronum præ moderno Rege Hispaniæ Carolo tandem ali-

quando poſt longas ſpes ingrediatur. Sed Bonus noſter Deus non ſinat, ut vaniſſimi illius hominis votum unquam optabili exitu concludatur, ſed potius clementer familiam Auſtriacam (quæ hodie tantùm quatuor oculis Solis lumen intuetur, & ad paucitatem, Germaniæ noſtræ minimè gratam, redacta eſt) uſque ad mundi finem perennare jubeat. Hactenus enim, dum aliquot ſeculis Eminentiſſimi atque Sereniſſimi Archi PrincipesElectores electionem Imperatoris & Regis Germaniæ in hac Domo cõtinuarunt, nullos Anti-Cæſares aliaſq; turbas, olim per Romanos Papas, diviſis Electorum ſtudiis, excitatas, noſtra Teutonica terra vidit & experta eſt, neque nunc, bellis irreligioſis pleniſſimè per Inſtrumentum Pacis ſopitis, porrò (Fati clementia annuente) videbit & experietur. Summè ſane Imperii intereſſe, ut electio Imperatoria in una familiâ diu continuetur, probare ſatagit Autor (ad Inſtr. Pac. p. 1. Diſc. 9. n. 12.) Quod Evangelicos Proceres in Imperio attinet, illis Auſtriaci Imperatores, ceſſantibus religionis armatis certaminibus, ſic ſatis grati ſunt, eoſque maxima pars nunc poſt Monaſterienſem Pacem ſincere in deliciis habet. Vnum tantùm vehementer dolent, quod Imperator Papalibus fictitiis, ac contra Dei Verbum ſenſim inductis ceremoniis, puerilia crepundia atque hiſtrionum levitatem præ ſe ferentibus, adhuc ſit obnoxius. Sunt tamen, qui minimè dubitant, in Papatu, (Evangelii Sole hodie pleraque Europæ re-

gna atque respublicas jam per Dei gratiam illustrante) innumerabiles hodie quà illustres, quà minus illustres, tam Nobiles, quam ignobiles existere, qui risu, inter præcordia exorto, aniles Pontificias superstitiones, tantum ad stabiliendum horribile atque Superbissimum Pap-Imperium Ecclesiasticum humano cerebro excogitatas, prosequentur. In tam lamentabili enim ac calidis lachrymis deplorando rerum statu, omnino religionem doctorum (qui tantum, quod Verbo Divino consentaneum est, credunt) amplecti necessariò oportet. Ulterius multi Evangelici Ordines etiam in eo Imperatoris vicem dolent, quod sacerrimis istis hominibus, qui se Jesuitas (revera *Von Iesu Uveit*) appellant, non solùm conscientiam, sed etiam dicta atque facta sua quælibet submittere cogatur. Hanc ultimam Diaboli progeniem motus superioris atque hujus seculi in Imperio nostro concitasse jam Orbi erudito clarissime patet (Vid. *Burgoldens.* p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 1. passim.) Sub Ferdinandi II. regimine factio Jesuitarum potentissima extitit. Constat sane conscientiæ Cæsareæ Consiliarios (*die Conscienz Rathe*) & inprimis Patrem *Laimermannum* Ferdinandum II. Imp. ad emissionem Edicti de restituendis bonis Ecclesiasticis quasi coëgisse. Admiranda de Patre illo sacerrimo refert *Alexander Vargas* de Stratagematis Jesuitarum. Habuit hic cor Cæsaris in motu & nutu suo, cujus consilia & [illegible] tum in rebus Ecclesiasticis, quà in Politicis omnia

alia prævaluerunt. Hunc Patronum qui habuit, res ſuas in aulâ Cæſaris tutò agere potuit. (*Autor*. Stat. Regim. ſub Ferd. II. c.8. Fatetur *Caraffa* (in Germ. Sacr. Reſtaur. p. 162.) etiam Catholicos ardentibus ſuis conſiliis & ſuggeſtionibus, quibus Miniſtros Cæſaris inſtruere ante ſententiæ dictionem ſolitus fuerit, offenſos, nomenclaturâ turbatoris pacis ipſum dehoneſtare non dubitaſſe. Sub Ferdinando III. porrò maximam autoritatem quoque obtinuerunt duo Patres, *Gans* & *Vogel* (quos Sacratiſſimus I. L. aliquando *zvvey ehrliche Vogel* appellavit) ſed tamen non tantam ut Pacificum illum Auguſtum ac Patriæ Patrem à Pacis Monaſterienſis concluſione avertere potuerint. In moderni Imperatoris Aula duo Jeſuitæ Topanta & quaſi Fac totum ſunt, nempe *Müllerus* & *Bockabella*. Quum in itinere Germanico adhuc eſſem excepi à quodam, rerum iſtarum, ut apparebat, non ignaro, hanc vocem: *Pater Müller regiere ganz Europam.* Verumné ſit ejuſmodi judicium, ego jam, ad alia pergens, aliis dijudicandum relinquo: Interim minime probans, ut in bene conſtitutis aulis vulgatus iſte verſiculus locum inveniat:

Quicquid agit mundus Monachus vult eſſe ſecundus.

V. Quæ Autor porrò [§. 5.] de familia Bavarica & Palatina affert illuſtrari poterunt ex Dn. *Limnæo* Dn. D. *Spennero* & aliis, quibus poteſt addi *Burgoldenſ.* (p. 1. ad Inſtr. Pac. Diſcurſ. 24. 25. & 27.) Ea verò quæ de Suediæ

rege hodierno è Bipontina famila Palatinâ orto interseruntur plenius intelligi possunt ex artic. 10. Instr. Pac. Cæsareo-Suecico. Bavarum hic Autor ab eximiâ pietate commendat, forsan Autorem Bavariæ Sanctæ secutus; quod admitterem sanè, si verus in Deum cultus & purus Christianismus in Bavaria, ubi hodie superstitiones Papales & fraudes omnis generis Cuculligerorum in summo gradu regnum possident, floreret. Nuper nidos ibi quoque composuerunt Cajetani, & pro summo Bavariæ Patrono adsumptus S. Iosephus, de quo miras gerras Siculas Monachi in sacris rostris deblaterarunt. De Serenissimo Electore Palatino Dn. Carolo Ludovico quæ in medium adducit Autor cum ipsissimâ rei veritate congruunt. Salutatur iste Princeps seculi nostri Salomo (V. *Burgold.* p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 25.) Nobilitata est ejus in literas, earumque cultores benevolentia, atque ita fastigii sui splendorem auget potius, quàm delibat, dum ad ista mediocrium hominum studia non rarò se demittit, utpote quum nobilitas sua Soli illibata etiam persistat, qui depressis quoque terrarum lucis suæ usuram indulgere non dedignatur. Qualem alii operose effigiant magni Principis imaginem, eam in illo felicissimè expressam cominus contemplari licet. Animus sublimis, erectus, ipsi fortunæ metuendus, perspicax præterea, divini humanique juris intelligentissimus, & qui, si quisquam alius, per se Principis mensuram impleat, ut Vir quidam Clarissimus ve-

Personæ illustres in familiâ Palatinâ hodie regentes.

rè de illo judicat. Idem, tamen ubi Principis ſatisfecit muneri, ad amœna quoque ſtudiorum divertitur, & vigorem iſtum per omne genus Sapientiæ feliciſſimè circumfert. An poterunt ſanctiore voluptate negotia diſtingui? aut aliter tam nobilis animi otioſæ horæ collocari? Huic Sereniſſimo cognomentum *impatientis* tribuunt, quæ vox (ut mihi relatum) Heidelbergæ (*in der Rechen-Cammer*) imagini ejus adſcripta exſtat. Forſan ideò hoc factum, quod Miniſtros ſuos admodum ſeverè & accuratè intra officii cancellos retinet. Neoburgicum porrò Principem Dn. *Philippum Uvilhelmum* ab inſigni prudentia commendat Autor, qui Pontificiæ religionis acerrimus aſſertor, in cujus gratiam altera uxor Haſſiaca Eliſabetha Amelia Pontificiis quoque acceſſit. Aulam ſuam ferè perpetuam habet Duſſeldorpii ad Rhenum in Ducatu Bergenſi, id quod ægre ferunt ſubditi ejus in Palatinatu Neoburgico, qui ob abſentiam Principis multis incommodis (ut ſolet fieri domini ubi abſunt) ſubjiciuntur. Multas querelas ob hanc cauſam audivi, cum per Comitatum Palatino-Neoburgicum iter inſtitui. Referebatur inter alia Principem ſtipulatum eſſe, quod ſingulis annis ſemeſtri ſpatio Neoburgi ad Danubium commorari, alterum verò ſemeſtre Duſſeldorpii exigere velit. Et tamen, illud non adeò rigidè ſervari, ingemiſcebant.

VI. Autor (§. 6.) de Ducibus Saxoniæ agit, de quibus pluribus & exquiſitius agunt

Dn. *Limnæus* & Dn. *Spennerus* (in Syllog. Genealogico-Historica p. 109. & seqq.) Ex illorum linea Albertina descendit hodiernus Dn. Elector Iohannes Georgius II. qui extincto Ferdinando III. Imp. Vicariatum gessit, & diætam electioni destinatam Francofurti an. 1658. ac novissima comitia Ratisb. ipse obivit. Ejus frater Dn. Augustus ad vitæ dies (per art. II. Instr. Pac.) Archiepiscopatum Magdeburgicum obtinet. Tertius frater Dn. Christianus Naumburgum cum Lusatia, & Dn. Mauritius quartus Mersburgum testamento paterno obtinuit. Electoralis hujus familiæ insignia decora, Saxonicas suas terras in pace tuentur. Nuper quidam in aurem insurrabat, Dresdensis aulæ non exiguam labem adhuc esse, quod commune Germanorum vitium, Ebrietas scil. maximè ibi grassetur. Autor noster supra (in Epist. ad fratrem) testatur, quod in istâ aula Italicæ sobrietatis opinio sibi præsidio fuerit, ne per nimiam humanitatem vino suffocaretur.

Illustres personæ in familia Ducum Saxoniæ, hodie regentes.

Germani duros possunt perferre labores:
O utinam possent tam bene ferre sitim!

Præcipuè verò in nostra Saxonia hoc vitium jam in mores abiit. An verò ibi venti Septentrionales præ cæteris Germanorum animos exsiccãt, ut ita illos eo crebrius Bacchi liquore madefieri oporteat? Cæterum ista excusatio valde calva, & veluti butyrum fervori Solis oppositum liquescit. Ex linea Ernestinâ Ducum Saxoniæ hodie sunt [1.] *Duces Alten-*

burgenses, quorum hodiernus est Dn. Fridericus Wilhelmus, ad quem Altenburg pertinet, ad eum mortuo an. 1633. fratre Ioanne Casimiro in Coburg, Coburgum quoque pervenit [2.] *Duces Vinarienses*, quorum hodierni descendunt à Ioanne in *Weinmar*, qui fuit frater Friderici Wilhelmi in *Altenburg*. Ioanne Vinariensi an. 1605. mortuo, filii ejus Wilhelmus & Ernestus lineam in duos ramos iterum divisere: Ille Vinariæ; hic vero Gothæ (quæ postquam an. 1638. Ioannes Ernestus ultimus prioris Gothanæ lineæ diem obiisset ad Vinarienses pervenit) hodie residet, atque ita linea Vinariensis nunc rursus in Weinmar & Gotha dispescitur. Wilhelmo an. 1662. morte abrepto, Vinariæ ipsi successit natu major filius *Ioannes Ernestus*: *Adolphus Vvilhelmus* Isenacum sortitus est: *Iohan. Georgius* Marosulam incolit: Quarto verò fratri *Bernhardo* Iena obtigit. Wilhelmi frater Ernestus hodie adhuc suam Gotham probitate, pietate ac virtute, tribus illis numinibus, feliciter regit, ac numerosa prole beatus vivit. Permissione impetratâ arcem Gothanam Grimmenstein, horribili nomine in *Fridenstein* commutato, nunc cum urbe munit. Quantæ turbæ in hac arce & urbe, Grumbachio impulsore, sub Maximiliano II. Imp. sint exortæ, de eo vid. *Burgold.* (p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 1. n. 49.)

Divisiones Principatibus noxia.

Personæ illustres in

VII. Autor (§. 7.) de illustri familiâ Brandeburgicâ porrò agit. Hæc hodie dispescitur

pescitur in Electoralem, Culmbacensem & Anspacensem. Hodiernus Elector est Serenissimus ac Potentissimus, post Domum Austriacam, Princeps Dn. *Fridericus Vvilhelmus*, de cujus amplè potentibus ditionibus Autor egregia hoc loco refert. Quid pro dimidiâ Pomeraniâ, Suecis concessâ, æquipollentis loco Pace Monasteriensi tulerit de eo vid. art. 11. Instr. Pac. Cæsareo-Suec. & ibi disc. *Aut.* ad Instr. Pac. Dn. D. *Spenner.* in Syllog. Geneal. Hist. p. 148. Hic magnanimus Heros, rebus in bello Sueco Polonico feliciter gestis, Borussiam Ducalem sibi consensu Polonorum hereditariam fecit. Subditis suis Lutheranis hactenus æquo gravior est visus; qui zelus, ut tandem defervescat, omnes Evangelici votis ardentibus optant. In Lineâ Franconica Culmbacensi sive Beruthina hodie ad clavum sedet Dn. *Christianus Ernestus* qui variis peregrinationibus peractis, tandem domum rediens administrationem provinciæ suscepit, & an. 1664. Comitia Ratisbonensia visitavit; postquam antea an. 1662. Ertmudem Sophiam Ioannis Georgiii II. Elect. Sax. filiam uxorem duxisset. Ex lineâ Anspacensi hodie *Albertus* cum filio Iohanne Friderico Anspacensi Principatui præest.

familia Brandeburgica hodie regentes.

VIII. Inter familias Principales Autor primo loco (§. 8.) ponit Serenissimos Duces Brunsvicenses ac Lynæburgenses, qui validissima ac potentissima territoria in inferiori Saxonia possidentes, nunc quoque exterorum Regum, Principum ac Rerumpub.

Brunsvvigo Lynæburgenses Duces.

Oculos in se convertunt. Dividuntur hodie in duas lineas Dannebergicam, quæ nunc à potioribus ditionibus Wolfenbüttelana dicitur; & Cellensem. Cellenses Duces hodie sunt Divi Georgii Herois, omnes titulos superstitis tres superstites Serenissimi ac Celsissimi filii Principes quorum natu minimus Dn. *Ernestus Augustus* hodie vigore Instrumenti Pacis (art. 13.) est Episcopus Osnabrugensis, qui ducta Serenissima Principe Sophia Palatinâ, Inclytam familiam propagare cæpit. Reliqui vero duo Dn. *Georgius Wilhelmus* & Dn. *Ioannes Fridericus*, quum Christianus Ludovicus an. 1665. supremum vitæ diem beato fine concluderet, de jure, quod Optionis vocatur, invicem controversiam sibi movere cæperunt, quâ finitâ Sereniss. Dn. Georgius Wilhelmus Cellas adiit; Sereniss. verò Dn. Ioanni Friderico Hannoverana sive Calenbergica ditio obtigit. Capita illius transactionis in locis, ubi nunc vivo, hactenus recipere non potui. Ex linea verò Wolfenbuttelana, hodie augustissimo Augusto an. 1667. fatis concedenti, in regimine paterno. Sereniss. ac Celsissis Princeps Dn. *Rudolphus Augustus* jure primogenituræ & regnatricis successionis heres extitit. Horum Serenissimorum ac Celsissimorum Principum virtutibus dicendis non ego, sed vix illi sufficiunt quibus disertissimi Romuli nepotum facundia concessa est. Vita illorum Ducum in Belgii, Galliæ, Italiæ, ac Germaniæ nostræ moribus rebusque pe-

nitius inſpiciendis magno labore multoque ſtudio, id quod in vitâ regibus eſt feliciſſimum, exacta: Ex aulis ſuis omne otium, omnem luxum, omnem libidinem, commeſſationes omnes, omnem crapulam, inuſitato exemplo, profligant. Omnes Reipub. partes non tam alienâ, quam propriâ curâ componunt, & nihil non agunt, quo inter parva Germaniæ Regna validiſſimum illud Brunſvvigo-Lynæburgenſe territorium opibus firmum, copiis locuples, gloria amplum, virtute honeſtum ſit. Trinunius Dei clementia ac cœli pietas, quæ ſumma eſt ac modum non habet, amplectatur illuſtriſſimas haſce mentes; illuminet, augeat, roboret, confirmetque tam pientiſſima pectora, ut Niveus Guelphorum Equus gemino religionis & juſtitiæ lupato porrò feliciter regatur. Quod faxit is qui regnorum ac vitæ arbiter eſt; ſuiſque manibus ſortes noſtras moderatur. De reliquis Ducibus, ab Autore enumeratis aliquid addere nunc non vacat, ſed alio loco & tempori id reſervabitur.

IX. Autor noſter (§. 9.) videtur de Lotharingia & Sabaudia idem aſſerere, quod ſupra de Domo Auſtriacâ (§. 3. & 4.) nempe iſtos Duces ſeparatas à Germaniâ rationes habere. Id quod tamen neutiquam ſimpliciter Autori noſtro cõcedere poſſumus, tali argumento id evincẽtes: Quicunq; jus ſuffragii in Comitiis Imperii Germanici habent, illi ſunt Cives Imperio illi uniti non ſeparati. Atqui Sabaudiæ & Lotharingiæ Duces ſunt tales: *An Sabaudiæ & Lotharingiæ Duces ſint Imperii Germanici Status?*

Ergo. Majorem jam supra (in Disc. de Statib. Imperii in genere) probatam contra Autorem dedimus. Minorem ipse Autor h. concedit. Et verò quod Lotharingia (excepto Ducatu Barrensi) adhuc hodie ad Imperium pertineat præclarè exsecutus est in opere de Finibus Imperii Germanici Dn. Hermannus Conringius (add. Dn. *Limnæ* l. 5. c. 11. & ibi addit: & supra Discurs. 2. de Finib. Germaniæ.) De Sabaudo vide etiam præclara in hanc rem apud Dn. *Limnæum* (l. 5. de I. P. c. 14. ibique addit. & Discurs. nostr. 2. cit.) Non tamen diffitendum est hosce Duces inter Sacrum & saxum quasi stare, sæpeque à Rege Galliæ, vicino potentissimo, in tantas angustias redigi, ut, quia ab Imperio auxilium hactenus frustra expectant, quovis modo, in præjudicium Imperii, transigere illumque veluti Dominum adorare necesse habeant. Quod Autor (§. 9.) porrò de Ferdinandi II. arcanâ intentione in creandis novis Principibus in medium profert, in iis verum Politicum vatem illum egisse non pauci credunt. Sed manum de tabula! Conf. *Burgold.* p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 14. n. 5. & Disc. 20. n. ult. in fin.)

Episcoporum ambitio.

X. Valde arguté (§. 10.) Autor noster Episcoporum προεδρίαν præ Principibus secularibus taxat, &, si veritatem juxta Divinum Verbum intrepide, sincere atque constanter profiteri velimus, uti certè facere debemus, noster Dn. de Monzambano non nisi nudam ac simplicem veritatem profitetur.

Quod verò in tantum creverit ambitio Sacerdotum in causa sunt Imperatores plerique post tempora Constantini M. qui insigni Solæcismo Politico Sacerdotibus & Clericis plus nimio indulserunt, iisque, opimorum bonorum concessione, occasionem dederunt ea tandem agitandi, quæ plus quàm civilia sunt. Quam vehementer in eo aberrarint Phocas, Carolus M. Ludovicus Pius & alii supra, quando de Imperio Francorum, & de Imperii interitû egimus, satis abundè ex omni antiquitate explicavimus. (add. *Burgold.* p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 20. n. 13. & part. 2. Disc. 9.) In summa: Quum Episcopus Romanus illud Servatoris mandatum, omnibus Apostolicis Viris & Ministris Ecclesiæ datum, nempe: *Ite, docete, baptizate, administrate Sacramenta*, in hanc Anti Christianam Diabolicam μεταμόρφωσιν: *Papa sit & maneat Caput Ecclesiæ ac Vicarius Christi: Ille sit Rex Regum ac Dominus dominantium, à nullo mortalium judicandus, cui omnem creaturam subesse debere de necessitate salutis est, & quæ similia sunt Anti-Christianæ hujus* hæreseos capita, converteret: tum facilè, Satanâ & nequam genio instigante, Pseudo Regis illius & Imperatoris Ecclesiastici ad exemplum totus Sacerdotum & Clericorum quasi Orbis componi cæpit. Tum omnis modestia Christiana abjecta, cristæque Ecclesiasticæ erectæ, luxuriæ ac libidini via aperta, denique humilitas Christi in contra Christianam superbiam, quæ Christianis crudelitate gra-

vior eſt, converſa, & quadrata rotundis mutata. Adeò non ibi conſiſtunt exempla, unde cæperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem latiſſimè ſibi evagandi viam faciunt. Quicquid tamen de eo ſit, ferendum eſt hodie in Imperio circa Epiſcopos quod mutari amplius non poteſt. Ipſi interea in noviſſimo mundi die, Chriſto adveniente videant, quomodo ſe & Papam ſuum in tremendo illo judicio excuſare poſſint. Annon longè melius & Chriſtianæ conſcientiæ tutius eſſet, periculoſam iſtam Epiſcopalem perſonam exuere, & ſimpliciter tantùm ſe alligatum Imperio ſecularem Principem profiteri? Cæterùm præ nimiâ Eccleſiaſticâ ambitione, nunc in mores receptâ, forſan illi in Evangelicorum gratiam hoc facere inpoſterum abnuent.

Monzambani odiū obſcurum contra liberas imperii Civitates.

XI. Quæ Autor §. 11. 12. 13. & 14. tradit explicatione non egent: Fuſius tamen peti poterunt ex Limnæo & aliis Publiciſtis. Egit etiam de Epiſcopis, Comitibus, Baronibus & Civitatibus Imperialibus Autor ad Inſtr. Pac. part. 1. Diſc. 20. 21. 22. Hic tamen obiter monendum Severinum noſtrum (§. 14.) non eſſe bonum Civitatenſem dum Imperiales Civitates aliquando ſub jugum Principum mittendas vanè & contra optimorum ac moderatorum Principum ſpem & votum auguratur. Certè quum in Inſtrumento Pacis (art. 8.) Civitatum Imperialium jura ac privilegia, ab antiquo obtenta, Imperatoris & omnium Ordinum conſenſu in perpetuum confirmata ſint; quæ immanis ac tyrannica audacia erit,

Serenissimis Imperii Principibus ea consilia suggerere, quæ tantùm utile, sine honesto Politico, præ se ferunt, ac Imperii leges fundamentales eversum eunt. Nostra certe Germaniæ Respub. felicissimum scopum, nempe Virtutem, pro fine habet, cui sanè repugnant Machiavelli ejusmodi callida atque impia consilia, in quæ Autor videtur h. l. valde pronus. Melior atque sanior civilis Philosophia hanc supremam legem habet: Reddite supremo magistratui, quæ sunt magistratus; Relinquite Ordinibus, quæ sunt Ordinum; etiam innocentibus subditis ac ruricolis, quæ sibi duro ac improbo labore acquisiverunt. Et quæ est consequentia? Plerarumque Civitatum Imperialium opes sunt accisæ; ergo penitus aliquando sub jugum mittendæ. Quilibet sanè bonus cordatusque Politicus faciè videt, arbores ejusmodi fructuum in Italia, Autoris patriâ, crevisse qui proinde Germanis nostris nullo modo sunt degustandi. Quod si enim Imperatori ac Statibus suum cuique tribuatur, harmonia Politica, quæ inter Imperii Caput, ejusque Membra intercedere debet, perpetua erit, nec ullus hostis prævalere adversus nos poterit, omneque diffidentiæ venenum, quod alias omnem medullam ac vires extinguit, tolletur. Quæ Autor porrò de potentissima Hamburgensi Civitate tradit illustrari poterunt ex *Aut.* ad Instr. Pac. p. 3. Disc. 12. n. 4. Bremensi insuper Civitati Autor minime favet, valdeque Suecis accedere videtur. De hoc negotio vide

itidem *Aut.* loc. cit. n. 3. Summam porrò injuriam Autor Sereniss. Electori Brandeburgensi inurit, quando palam illum accusat, quasi urbium libertatem ferre non possit. Quibus argumentis, ipse viderit. Nec enim est, quod Magdeburgum hic pro se alleget. Hujus enim urbis privilegia & jura quum Instrumento Pacis (art. 11.) satis confirmata sint, piaculum tanto Principi erit vel minimam literam illius legis violare. Quod verò controversiam de suburbiis *Neustatt.* & *Suderburg* attinet, inde Autor evincere non poterit, Dn. Electorem libertati & privilegiis ipsius urbis imminere. Civitas autem illa non est libera Imperialis, ut forsan Autor putat, adeoque ann. 1666. Dn. Electori homagium præstitit. De Erfurdensi negotio rectè hoc loco Autor judicat, de quo vide ulterius *Aut.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 20. n. 19. ubi etiam de Civitate Monasteriensi. Fœderatos Belgas hoc loco Severinus noster tacitè arguere videtur, quòd injustè arma in Principem suum sumpserint, de quo tamen aliter judicat Illustris Dn. *Forstnerus* (ad princ. lib. 2. Annal. Tacit. ad l. *Hieron. Conestag.* l. 1. de Bell. Belg. *Hug. Grot.* in Annal. Belg.) De Nobilibus porrò immediatis ex parte bene ex parte malè judicat §. 14. Dn. Autor noster (Vid. Aut, ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 22.) De circulis quæ tradit illustrari poterunt ex eodem Aut. Tr. cit. p. 5. Disc. 7. Falsus verò in eo est Autor, quod putet Bohemiam, Moraviam &

Silesiam non pertinere ad Germaniæ civitatem, qui error jam supta notatus, isque fusius confutari ex Limnæo poterit. Nec etiam Autor in eo, quod Imperii divisio in Circulos, ad distractionem Germaniæ faciat, simpliciter veritati litat (Vid. *Aut.* cit. & Disc. alleg. n. 1.)

DISCVRSVS IX.

De Origine & incrementis Statuum Imperij.

Ad cap. 2.

I. AVtor noster (§. 1.) in princ. c. 2. putat Rempubl. Imperii irregularem formam induisse. Quam vehementer autem in eo erret, inferius ad oculum demonstrabimus. Quod originem Ducum concernit; de quâ Autor (§ 2.) agit, res ita se habet: Antiquis Germaniæ temporibus Ducum officium: atque dignitas fuit militaris ut ex *Cæsare* (l. 6. de Bell. Gall.) & *Tacito* (c. 7. de M. G.) constat. Germaniæ enim populi, bellum sumpturi, unum aliquem, bellicâ virtute instructum in concilio elegerunt, eumque exercitui præfecerunt, atque inde sine dubio fluxit vocabulum *Herzog*, quasi *ein Herr des Zoges*. Quum postea Germania Trans Rhenana in potestatem Romanorum veniret, eam in plures provincias distribue- *Origo Ducum.*

runt, iisque vel Duces vel Comites, vel Duces & Comites præfecerunt. (Vid. *Lehman.* l. 1. Chron. c. 9.) Illorum autem Ducum potestas non ad res militares solum restricta, sed & paulatim ad juris dicendi potestatem extensa. Primaria autem eorum cura erat, præesse rei militari, ut ita, si Ducum officium ex origine metiri velimus, maximè illud ad tēpora belli restringendū veniat. Tēpore verò pacis apud priscos Germanos electi ex nobilitate, qui jura per pagos vicosque redderent, qui antiquissimis temporibus *Greven*, id est, judices appellati, atque inde etiam hodie nonnulli judices dicuntur *Gohgreven*, id est, *Unterste Richter eines districtus oder Govv*; *Centgreven*, id est, *Blut-Richters* &c. Postea verò, quum Romani Germaniam Trans-Rhenanam sibi subjecissent, jurisdictioni isti præfecti, nomine in Imperio Romano post Constantinum usitato (Vid. *Burgold.* p. 1. ad Instr. Pac. Disc. 21. n. 3.) Comites dicti, quos *Cæsar.* (l. 6. de B. G.) & *Tacitus* (c. 11. 12. & 13. de M. G.) Principes appellant. Nam qui in contubernium Imperatorum adsciti, Comites dicti, quorum operâ & consiliis in bello & pace Imperatores usi. Hi quum tempore Constantini M. jurisdictioni provinciarum præficerentur, istis judicibus sive Præsidibus nomen Comitum mansit, adeoque etiam num *Graff.* Latinè Comes dicitur. In Germaniâ cis Rhenum, ubi Romani rerum non sunt potiti, mansit antiqua Ducum & Comitum facies, prout temporibus Taciti ob-

Origo Comitum.

tinuit, usque ad Francorum tempora, qui morem Romanorum secuti, omnes terras in provinciam redegerunt, & Duces nonnullis provinciis præposuerunt, quibus interdum Comites adjuncti, vel etiam provincias sine Ducibus regendas concrediderunt, quò ita defectio præcaveretur, & eò commodius militiæ pacisque negotia administrarentur. (Vid. *Beat. Rhenan.* lib. 2. Rer. German.) unde *Vadianus* (lib. 1. de Monaster.) ita: *Franci Reges*, ait, *Regnum suum maximè Ducum & Comitum opera moderabantur, qui in illâ quidem ætate, non suam seu propriam, sed publicam regni ditionem administrabant.* Vnde patet dignitatem ac potestatem Ducalem & Comitivam tum non fuisse aliam, quam magistratus propriè dicti, ut Autor Conringium secutus (§. 2.) asserit, pleno scil. provinciarum dominio apud Regem & populum manente. Hinc idem *Vadianus* (l. cit.) ait: *Illâ ætate*, inquit, *Duces & Comites non sui juris, sed Regum atq; Imperatorum officiarij veluti atque ministri erant.* Quamvis autem feloniâ commissâ isti Duces, à Rege & Proceribus electi, tum temporis Ducatu privari potuerint (Vid. *Lehman.* l. 2. Chron. c. 16.) tamen sensim Duces nonnulli autoritate & potentiâ in tantum prævaluerunt, ut tandem Reges suos superiores agnoscere noluerint. Vnde postea Carolus M. maximos Ducatus in minores provincias divisit, easque regendas Comitibus commisit (Vid. *Lehman.* l. cit.) *Marquardus Freherus* (in

Comment. de Lupoduno p. 12.) ita : *Erat tum temporis* (Pipini Carolique ævo) *Francorum ditio totaque Germania vetus in pagos tributa, singulisque pagis quibus unus Comes præpositus, suæ villæ : inter quas præcipua Comitis domicilio cedebat, in quâ sedem & aulam suam (quam Saalam ipsi vocabant) tribunalque & auditorium (quod mallum illis) haberet, ubi more majorum jus diceret.*

II. Licet autem eâ ætate Ducum & Comitum dignitas non fuerit hereditaria, nihilominus tamen filii Ducum & Comitum digni parentis munere non negligebantur. De Ducibus testatur B. *Rhenanus* (l. 2. Rer. Germ.) ita : *Deligebant autem Ducem ex nobili familiâ. Sic Bojariis Agilolfingorum antiqua gens diu Duces dedit, ex quâ Uvelphones produsse suspicor. Hoc autem privilegium habebat ea familia à priscis Francorum Regibus, ut si quis fidus regno prudensque ex eadem progenitus compertus fuisset, non aliunde quisquam adsciscceretur in Ducem.* De Comitibus testatur capitulum Caroli Calvi apud *Miræum* (in Ann. Belg. an. 877.) quod ita habet: *Si Comes abierit, cujus filius nobiscum, filius noster ordinet de his, qui eidem Comiti plus familiares, propinquioresve fuerunt, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus & cum Episcopo, in cujus Parochia fuerit ipse Comitatus, ipsum Comitatum provideant, sive regant, usquedum nobis renuncietur, ut filium illius, qui nobiscum erit, de honoribus illius honoremus.* Exemplum hereditariorum Comitatuum de Waldeck & de

Initia hereditariorum Ducatuum & Comitatuum.

Gleichen jam tempore Caroli M. habet Magnif. Dn. *Mylerus* (in Archolog. c. 8. n. 2.) Etsi verò Carolus M. aboleverit Ducatus, posteri tamen ejus, rebus regni Francici attenuatis, in Germaniâ, Galliâ, & Italiâ complures iterum instituerunt. Et quidem ultimis Carolinorum temporibus Germania quinque habuit Ducatus Bajoaricum, Suevicum, Francicum, Lotharingicum & Saxonicum. Quorum potentia tandem ea fuit, ut Duces hi de Provinciis proprio jure sibi attribuendis cogitarint, libere Regum instar gubernaturi, ut ex Luitprando & Sigeberto ostendit Dn. *Conringius* (in Dissert. de Ducib. & Comitib.) Primus Ducum maximè crevit Otto Dux Saxoniæ, qui in Regem Germaniæ electus illum honorem in Conradum Ducem Franconiæ deferri maluit. Hic Conradus quum Ducum potentiam rursus ad mediocritatem redigere cogitaret, tamen Henrici Saxoniæ Ducis ὑπεροχὴν quum infringere non posset, prudenti consilio Autor extitit, ut ipse Henricus post mortem in Regem Germaniæ eligeretur, consultius credens ultro dare, quod per vim ipse sibi sumere poterat, aut ne iste à reliquo Germaniæ corpore se separaret, ut Autor (§. 3.) ait: (Vid. *Uvitichind.* l. 1.) Rectè enim docet *Aristoteles* (5. Pol. 3.) Melius esse ab initio providere, ne istiusmodi fiant ὑπερέχοντες, quàm post, illis existentibus, remedium quærere. (Vid. Dn. *Conring.* l. c.) Ergo Politica emancipatio Germaniæ Ducum à potestate absolutâ Cæ-

Ducum Germnaiæ ὑπεροχή.

Libertas Germaniæ in Ducibus & Comitibus revirescit.

ſarum primum in Saxoniæ Ducibus cœpit, *primuſque Henricus* (ut Witichindus loquitur) *libera poteſtate regnavit in Saxoniâ*, ut ita libertas Germaniæ, quæ olim Taciti ævo omnium, à Francicis verò Regibus præſertim Carolo M. intra anguſtos limites redacta, concidente Francici Regni potentiâ, non quidem ad totum Germaniæ populum, ſed ad paucos Duces, Comites, ac ſenſim Epiſcopos, Civitates &c. devenerit, & primum quidem in Saxoniæ Ducibus refloruerit. Henricus ille & alii Germaniæ Duces illâ ætate ſine dubio ſecum reputarunt, quanta libertate olim gaviſi Germani & quomodo Francorum Regum vi majore in ſervitutem illa fuerit commutata. Clodovæum Alemannos ſub ſervile jugum coegiſſe, alioſque Germaniæ populos à Francicis Regibus in infimam conditionem atque abjectam eſſe detruſos, jam ſupra (in Diſc. de Francorum regno ejuſque potentia) fuit annotatum. Quid circa Saxones & Weſtphalos Carolus M. peregerit, vide apud *Lehman.* [l. 2. Chron. c. 20.] Tacitè quoque iidem Germaniæ Duces fortaſſis ſecum volutarunt, quàm infenſus extiterit Carolus M. Ducum hoſtis, quomodo ſcil. is duos Francici regni maximos Ducatus Bajoaricum & Aquitanicum ſuſtulerit, provinciis inter plurimos Comites diſtributis, ut teſtatur *Eginhardus* [in vit. Caroli M.] Quod in aliis Ducatibus idem inſtituerit Carolus vid. *Lehman.* l. 2. Chron. c. 16. Certè apud Saxones vetus Reip. adminiſtratio & libertas ad Francorum

tēpora duravit. *Uvitichindi*[lib.1.]verba sunt: *A tribus etiam Principibus totius gentis Ducatus administrabatur certis terminis, exercitus congregandi potestate contentis, quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in Orientales sc. populos, Angarios atque Westphalos Si autem universale bellum ingrueret, sorte eligitur, cui omnes obedire oportuit, ad administrandum imminens bellum. Quo peracto, æquo jure ac lege propriâ contentus potestate unusquisque vivebat.* Quum dein Carolus M. continuis 33. annis Saxones bello domasset, ac Witekindi indomitos spiritus refrenasset, huic Witekindo avita bona cum Ducali dignitate remanserunt, quamvis is & omnis Saxonicâ gens Carolo M. colla sua submittere, vi & armis adacti fuerint. Post Carolum M. cum dein potentia Francorum concideret, atque Germania à Normannis & Hungaris affligeretur, paulatim Duces post Carolum, nempe Bavariæ, Sueviæ, Franciæ Orientalis, Lotharingiæ & inprimis Saxoniæ, se in liberam potestatem & quasi in suam tutelam vindicare sunt conati. Tum temporis enim Francorum Regum majestas [illa omnium rerumpub. tutela, & clypeus] per bella civilia & exterorum incursiones pæne interciderat, adeoque tum perpulchra occasio oblata Ducibus regium suorum imperium levius habendi, domique minora regna, quæ hodie territoria vocamus condēdi. Id quod tandem feliciter evenit, ac Politica Aristotelis regula: *Quod quis potest & vult, hoc etiam facit*; in ipsum actum

Saxoniæ antiqua regimen.

deducta fuit. Et quidem Ducum ille conatus non omni juris colore destitutus: Siquidem quum semper fuerit, sit atque erit Arsacis regno acrior Germanorum libertas, nullumque regium violentum imperium in populos, libertatis amantissimos, diuturnum esse soleat, Duces illi libertatis spiritibus irretiti, avitam atque suam suorumque inæstimabilem libertatem, si non in totum, saltem ex parte in integrum restituere atque frenum, vi à Francis olim impositum, occasione sese offerente, rursus abjicere magno molimine allaborarunt. Et quamvis Conradus Cæsar rursus vim regiam in illos Duces intendere, & invisam regno potestatem, quam sibi arrogare cæperant, supprimere summâ ope ausus fuerit [V. Vvitichind. l. 1.] tamen irriti fuerunt illi conatus, vanaque sine viribus sufficientibus ira, Henrico Saxonum Duce libertatem, postliminio quasi resumptam, strenuè asserente. Sic itaque novum ad libertatem Germanicam iter, Saxones aperuere, libertate tamen quæ majoribus Germanis communis fuit, ad paucos Proceres tandē recidente, apud quos hodie etiā invicta & inconcussa perstat. De statu Germaniæ sub Impp. Saxonicis & iis, qui hos secuti sunt, scribit *Rhenanus* (l. 2. Rer. Germ.) *Primus sub veteribus Francis liberæ potestatis Dux fuit in Saxonia Henricus, Ottonis pater.* Et mox: *Sub Saxonibus libertatem nacti sunt non solum Provinciarum gubernatores, sed & civitates ipsæ. Nam ut quæque plus bonorum, quæ ad regnum pertinebant,*

Libertatis Germanicæ reductio.

bant, habuit, ita maturius & facilius ad libertatem venit. Autor noster [§. 2. c. 3.] hanc mutationem severâ censurâ stringit, & Reges Francorum erroris coarguit, quòd Ducatuum & Comitatuum administrationes hereditarias fieri permiserint. Cæterum quæ affert, in thesi tantum vera sunt; in hypothesi verò, si ad Germaniam accommodentur, idem est, ac si aureo annulo conficiendo velis adhibere rastros & dolabras. Nunquam enim Germania nostra adductius unius regimen passa est, de qua re jam supra (Disc. de Statu veteris Germaniæ) egimus. Quid Arminio & Maroboduo, in suspicionem affectatæ Monarchiæ venientibus, contigerit itidem in superioribus dictum fuit. [Vid. *Aut.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 10. n. 1.] Non est ergo quod, risu non tantum Sardonio, Autor prosequatur Scriptores Germanicos, qui mutationes circa Ducatus & Comitatus recte & prudenter ab Imp. tandem confirmatas perhibent, Nimirum noster Autor est in eâ hæresi, quasi Germania nostra jam tum sueta fuerit Regibus, absolutam potestatem habentibus. Sed toto cœlo errat. Ne ipsi quidem Francorum Reges summæ & liberæ potestatis fuerunt [Vid. supra Disc. 4. n. 7. & *Aut.* ad Instr. Pac. l. c. n. 2.] quamvis primum Carolus M. omnes ferè Germaniæ populos, præter Saxones, imperio absolutiori, quam ab antecessoribus factum, rexerit [Vid. supra Disc. 5. n. 5.] Fateor Carolus hic, si quisquam alius, totam Germaniam freno

Monzambani censura.

valde ſtricto regere potuiſſet, & forſan hoc etiam intendit, ut patet ex iis quæ ſuperius de hoc Martio Imperatore attulimus: Cæterum hic Imperator Germanorum naturam, libertatis amantiſſimam, probe norat, adeoq; non pauca de ſtricto regiminis rigore remiſit, & fundamenta hereditariæ in provinciis ſucceſſionis poſuit; [Vid. ſupra Diſc. 5. n. 6. p. 130. 131.] id quod Autor noſter contra leges & principia Monarchiæ factum eſſe putat. Cæterum Autor expendere debebat, Carolum ejuſque anteceſſores, cum ſucceſſoribus ſtirpis ſuæ, non rexiſſe Platonicam aut fictitiam Campanellæ Solis Rempublicam: Præerat is Germanis, qui ad libertatem non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſunt, quorum libertas, Arſacis regno acrior, ſi læſa aut ſervili telo percuſſa, corda illorum tamdiu inquieta ſunt, donec illam in priſtinum ſtatum reduxerint. Proinde theſis Politica Autoris: *Si Dominus omnes ſervos ſuos libertate velit donare, ipſe deinceps ſibi puto calceos purgabit*; non magis ad hypotheſin quadrat, quam ſi dicam: Ecce meum pugnum; Ergo in Titii maxilla hærere debet; *Es reimet ſich Wie meine Fauſt ut eines andern frembden Ohr.* Ex ingenio enim populi diſcendũ eſt, quid ille ferre poſſit, aut quid ferre recuſet. Probet Autor Germanos ſervos, Regeſque Francorum eorum abſolutos dominos fuiſſe, tum plenius reſpondebimus. Carolus itaque & Germanorum libertatem naturalem, & ſeditiones Præſidum Provincia-

rum, dure habitorum, ex historiis superiorum temporum considerans, nonnullos Provinciarum Proceres valde laute & regiè habuit. [Vid. *Aut.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 20. n. 15.] Mansit insuper Saxonibus, Westphalis & aliis Germaniæ populis *altâ mente repostum*, quam gravem conditionem ipsis Carolus imposuisset, & quam multum de pristina & avitâ majorum libertate ille decerpsisset, jura servitutis [exemplo Clodovæi in Alemannos] in Saxoniam Westphaliam atque alibi introduxisset, Ducatus evertisset; qui quidem ad tempus, prævalente potentiâ Caroli, nutui ipsius, quamvis intra præcordia ob pressam libertatem sine dubio ingemiscentes, obsecundati sunt. Postea vero quum victoriosissimi Caroli posteri civilibus lanienis se invicem, attrivissent, Normannique & Hungari superstitem Francicorum Regum potentiam penitus fregissent, exorti novi Duces & Comites (quibus ferè in magistratibus filii surrogari cæperunt) occasione, pristinæ libertatis sibi suisq; recuperandæ, utendum rati, quum nec vires quoque deessent, se à Regum suorum potestate, vel ipsis invitis, emancipare cogitarunt, ut ex *Luitprando* (l. 2. c. 6.) & *Sigeberto* [ad an. 914.] patet. Itaque primum omnium Sol libertatis rursus in Saxonia illuxit, qui dein radios suos passim per Germaniam sparsit. Adeò libertatis nomen dulce est, res verò ipsa salutaris & inæstimabilis, quæ premitur quidem non rarò in Germaniâ, sed tamen, Divinâ favente Clemen-

tià, non opprimetur. Tametsi autem forsitan hoc magnum exemplum vindicationis Ducum & Comitum, aliquid ex iniquo trahat, tamen excusanda hæc omnia sunt cum necessitate ac salute publica, quæ merito illa ætate in Germaniâ suprema lex erat, tum favore recuperandæ avitæ libertatis, cujus receptioni nullum jus præscriptionis, etiam centenariæ, obstare [juxta terminos tamen habiles] videtur. Nec est, quod Autor Imp. & Reges Francorum propterea severè, [quod cum Severini nomine congruit] accuset. Ferendum enim illis fuit, quod mutare non potuerunt. Supra enim diximus Conradum I. Imp. magnopere, quamvis frustra, allaborasse, Duces rursus intra Monarchicos cancellos redigere: Sic itaque plenior Germaniæ libertas non quidem communis ac plenissima omnium Germanorum (qualis Taciti ævo obtinuit) sed propria paucorũ Procerum, provinciarum Germanię, ex Orco quasi in lucem reducta, quæ, sensim per varios casus insequentium seculorum dein vires acquirens, superlativum gradum appetiit, quem tandem, post acerrimos cum Carolo V. & Ferdinando II. civiles motus per Pacificationem Osnabrugo-Monasteriensem plenissimè obtinuit. Autor noster, qui minimè Statista Imperii esse videtur, vehementer porrò dolet, quod ditiones Germanici Regni in privatum Procerum patrimonium pervenerint, atque id propterea Francicis Regibus iterum irascitur. Nos verò rogamus potius Dn. Severi-

Hodierna Regni Germanici libertas non est cõmunis sed propria.

num noſtrum, ut iram illam fervidam ac nimis calidam in illos deponat (Nam vana ſine viribus ira) & nobiſcum tempora Reipubl. reſpiciat, in quæ Reges illi tum fuerunt conjecti. Prædæ erat tum temporis non tantum Germania, ſed etiam Galiia Hungaris & Normannis, nec Imperatores mala iſta ſuis viribus tollere poterant. In tam arto autem ſalutis exitiique confinio, quum quilibet Dux ſua ſtrenue tueri ſatageret auxiliis Imp. deſtituti, quid mirum eſt, Duces illos, alias ad priſtinam libertatem (à Clodovæo & Carolo M. paſſim afflictam) anhelantes, tandem ad ſuam propriam tutelam liberioremque poteſtatem perveniſſe. Scribit Luitprandus (l. 2. c. 6.) *nonnulles Ducum Hungaris non ſolum pugnam non intuliſſe, ſed, ut proximi caderent, anhelaſſe, ut dum proximi caderent, ſoli ipſi liberius regnarent.* Itæ ſolius libertatis recuperandæ honeſta ambitio eſt. Scribit B. *Rhenanus* [l. 2. Rer. Germ.] *Primus liberæ poteſtatis Dux fuit in Saxonia Henricus.* Et mox: *Idque eam ob cauſam, ut Scalvinos arceret: diligentius autem cuſtodiuntur, quæ propria ſunt.* Noſter Autor in taxandis Imperatoribus, ita ſe gerit, ac ſi in abſtractiuâ [ut ſic dixerim] ſive intellectuali Republ. omnibus numeris perfecta, ſententiam diceret; quum ex hypotheſi neceſſitatis luctuoſorum iſtorum Germaniæ temporum omnino iuſtum utile ac neceſſarium fuerit, provincias potius Germanis Ducibus, quam barbaris in prædam cedere. Vt itaque diligentius Imperii pro-

vinciæ custodirentur, Henricus Saxoniæ Dux postea Imperator, ob formidabilem suam potentiam, factus, varios Comites Imperii limitaneos constituit, iisque Marchias hereditario jure attribuit, quum [ut hactenus bene Autor noster §. 2. asserit] magis obstringatur bono aliquo pater, quod in filium se transmissurum novit, (reliqua: *Sed quo* &c. *juris sit*; scopum non feriunt, sed febriculosam Autoris suspicionem sapiunt) & majore cura soleamus curare res nostras, quam alienas. Et hæc etiam videtur fuisse reliquorum Impp. ratio, quod passim merâ liberalitate, nullo jure cogente, Provincias Ducum Comitumque potestati, proprio jure possidendas, commiserint. Sanè si Germania à Barbarorum insultibus illo ævo libera mansisset, forsan illa profusa prodigalitas bonorum Regni in actum deducta minimè fuisset. Maneat ergo stabile atque tranquillum, quod hodie in meliorem statum mutari non potest. Neque ratio movens, sive cogens, sed tantum inducens fuit, quam Autor affert, scil. ad evitandam rebellionem Præsidum provincias hæreditario jure fuisse cõcessas. Autor porrò injurioso & petulanti stylo suo, stultum esse putat Imperatoris Majestatem inde æstimare, quod multos in ditione sua habeat, qui ipsius impeperium impune possint spernere. Insignem hæresin hic prodit. Videtur enim imperia sive regna mixta tacitè improbare, quem errorem postea convincemus, quando de

forma Imperii hodierna agemus. Quod verò contumelioso suo clamo Imperii Proceres arguit Autor, quasi impune Imperatoris Imperium spernere ipsis in proclivi sit, eo ipso Doctor noster subtilis non videtur distinxisse inter tranquilla & inter turbata nostræ Reipub. tempora. Et quid opus est, facta pro ratione allegare? Non enim attendendum quid turbato Reip. statu, quando anarchia obtinet, in Germania fiat, sed quid in tranquillo fieri debeat. In iis sanè Rebuspublicis quæ mixtam formam, Majestate & libertate temperatam, obtinent, non potest non, civilibus ac intestinis motibus ingruentibus, libertas in exlegem licentiam degenerare, ut aliàs in bellis legitimi tramites relinqui, ac devia atque prærupta tutis ac quietis præferri videmus. Scire insuper noster Severinus debebat Imperatorem & Regem Germaniæ non habere absolutam in Ordines majestatem, sed hosce jura majestatis ex æquo cum Imperatore participare [Vid. *Aut.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 10. in tot.] Regnumque Germaniæ sub Majestate & Libertate unicè florere. Quoties itaque harmonia inter Caput & Membra Imperii religiosè atque concorditer mansit, toties non vidimus Imperatoriam Majestatem ab Ordinibus fuisse spretam. [Vid. plur. ap. *Aut.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 10. n. 17.] Videtur noster Autor mirabiles ac singulares de Imperii nostri Statu opiniones in subtili Italico cerebello suo fovere. Bene interim est, quod plus valeat id, quod est in rei veri-

tate & modernâ experientiâ, quàm quod in peregrini noſtri Itali opinione. Sanè quilibet rerum Imperii æquus cenſor, qui dextre & prudenter inter tranquillum & turbidum Imperii noſtri orbem diſtinguere novit, vel *Iovem lapidem* [ut veterum profanam formulam ita imitari liceat] jurare auſit, quod pacifico & tranquillo noſtro Imperii mixto ſtatu, qui in ſummo Imperii Capite & reliquis Membris nunc poſt tot procellas quaſi in portu conſiſtit, ac firmiſſimis anchoris alligatus eſt, nullus in terris pulchrior, formoſior atque amabilior detur, uti pluribus infra adverſus Autorem demonſtrabimus. In ſummâ: Majeſtas Germaniæ, libertate temperata, quæ Taciti ſeculo floruit, ac dein à Clodovæo & Carolo M. Francorum Regibus, præcipuè labefactata eſt, ævo Ottonum Cæſarum rurſus caput ſuum extulit, ſemperque dein immobilis conſtitit. Et quamvis per injuriam Paparum illa Ordinum libertas poſt Henrici IV. Imp. tempora terminos juſtæ harmoniæ exceſſerit, Membraque, Imperii Corporis, adverſus Caput ſuum non rarò conjurarint, ac prævaluerint, tamen Rudolphi I. Imp. temporibus Germania rurſus in portum pacis ac quietis deducta, in quo etiam uſque ad noſtra tempora permanere potuiſſet, niſi fuiſſet in fatis, ut ſuperba Anticriſti Romani Hieromonarchia, quæ non Germaniæ tantùm, ſed univerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ crudelitate gravior erat, tandem concideret. Ex eo itaque, quod reformatio Chri-

ſtiani cultus in Germaniâ refloruit, Epiſcopus Romanus Imperatores, & omnes Ordines, qui adhuc in ejus obſequio erant, contra Evangelicos concitavit, & ita, Imperium dividendo, Majeſtatem ac Libertatem ejus in extremum periculum ſæpius deduxit, præcipuè ſub Carolo V. ſuperiori, & hoc ſeculo ſub Ferdinando II. Fateor equidem in tantis Imperii turbis Iliacos intra muros & extra vehementer non rarò fuit peccatum, & obſervidum religionis zelum ſæpe cum à Capite tum à Membris Imperii ea fuere peracta, quæ non niſi in anarchiâ fieri ſolent. An rectè autem Proteſtantes Imperii Ordines ſeſe tunc oppoſuerint Imperii, inquirit *Autor* ad Inſtr. Pac. (p. 1. Diſc. 1. n. 21. & 37.) ex quibus judicium ferri poterit, an juſtè Ordines tum Imperium Imperatoris ſpreverint. Quod verò hæc & alia incivilia hactenus & etiamnum interdum in Imperio contingant, hoc cum Autore noſtro non debemus in irregularem Imperii formam, ſed in regularis mixtæ illius formæ vitia & diffidentiæ venenum [quod Papa inter Caput & Membra Imperii ſparſit, & adhuc ſpargit] conferre. Nimirum unicè Papa in cauſa eſt, ejuſque ſuperſtitiones, quod in mixto Imperii Statu, qui ab Ottonum, imò etiam poſt Caroli M. ævum obtinuit, non omnia regulariter hactenus proceſſerint, ſed modò Imperatores prævaluerint, ceu ſupra latius [ubi de injuriis Paparum adverſus Imperium actum] docuimus. Imò ne hodie quidem Antichriſtus Romanus de-

Papa eſt cauſa turbati Imperÿ Status.

ſinit Imperii noſtri ſtatum turbare per ſacerrimos Socios, qui non cum Ieſu Chriſto colligunt, ſed diſpergunt. Et quamvis Majeſtas atque libertas, id eſt, Status mixtus Imperii Romano-Germanici rurſus per Pacificationem Oſnabrugo-Monaſterienſem poſtliminio quaſi fuerit reductus, firmiterque ſtabilitus, tamen Papa Innocentius X. Pacem illam, qua rurſus coagulum inter Caput & Membra Germaniæ interceſſit, primùm Proteſtatione, dein horribili Bulla è Regni noſtri limitibus palam, immani audaciâ, proſcribere non fuit veritus. Quin etiam in Comitiis Ratiſbonenſibus de an. 1653. Epiſcopus ille Romanus, Germaniæ Saulus, & Imperii noſtri de jure ſubditus, miſſo Legato flagitavit, ut Pacis Monaſterienſis vincula rurſus laxarentur, ac diſrumperentur. Bene tamen eſt, quod in Comitiis iſtis univerſalibus, & dein an. 1658. Francofurti in Electionis conventu [*Wahltag*] Spiritus Sanctus apud Ordines in tantum prævaluerit, ut Inſtrumentum Pacis, cùm Receſſu comitiorum, tum Capitulatione Leopoldina moderna fuerit confirmatum. Removeantur itaque ab Imperatore omnia Imperii gravamina, contra Ordinum libertatem & jura tendentia, & videbimus Statum Reipubl. Imperii Politicis canonibus atque regulis examuſſim & omnibus numeris reſpondentem. Quæ autem Autor noſter, rempubl. mixtam erroneâ phantaſiâ non agnoſcens, paſſim in libello de irregulari & monſtroſâ Imperii forma ebuccinat, opinio

eſt in cerebello nimium ſubtilis Doctoris nata, ac proinde, quod ad me quidem attinet, conſulerem Autori, ut Anticyras naviget, ibique Italum caput ſuum, quòd aliàs multa adhuc monſtra Politica ac turbas pariet, elleboro purget. Interim Autor hæc paucula hic accipiat promulſidis loco, juſtæ enim epulæ infra ſequentur. Calumnia verò illa, quam in fine §. 2. in juris Publici Germanici Scriptores evomere non erubeſcit, riſu & ſibilis explodenda eſt, quum ab Italo emotæ mentis & morbidi ingenii profecta ſit.

Iura maieſtatis ac Regalia ſi: e publica Imperij bona veveniūt ad ordines.

III. Vt ergo è diverticulo in viam redeamus, ex ſuperioribus ſatis patet, quomodo libertas Ordinum Germaniæ partim vi, partim Regum liberalitate orta ſit, ita ut hodie provinciis Duces & Comites præſint, non ut gubernatores, ſed ut Reges pæne, collatis in eos iis juribus, quæ olim ſolius Imperatoris erant. Ex quo enim tempore Duces & Comites Ducatus atque Comitatus jure proprio tenere cæperunt, exercuerunt propriâ autoritate ius vitæ & necis, leges ferendi, magiſtratus conſtituendi, indicendi conventus, fœdera faciendi poteſtatem; minora quoque regalia, id eſt, viarum publicarum, fluminum navigabilium, vectigalium, imò omnis generis publicis reditus ad illos pervenerunt. Hæc omnia autem iis αυτοκρατορίας jure in provinciis conceſſa ſunt, ſalvâ tamen ſemper Imperatoriâ ſuperioritate. Vnde quoque eorum poteſtas non dicitur abſolutè Majeſtas ſed Superioritas territorialis *Landes Furſtl. oder*

Origo der Landes Hoheit. *Graffliche Obrigkeit, Landes Hoheit und Herlichkeit.* (Vid. Dn. *Ludolphum Hugo* de Statu Regionum Germaniæ.) Vnde postea paulatim, quum jus illlud in bonum usum ac viridem observantiam veniret, nata est illa trita regula: *Quilibet Princeps tantum potest in suo territorio, quantum Imperator in universo Imperio* (Vid. *Rudolph. de Schulenburg* de origine dicti: *Ein jeder Furst ist Kayser in seinem Lande.* Quod dictum tamen qui primi protulerunt, videntur respexisse ad antiquorum Cæsarum Romanorum potestatem, credentes eandem quoque & Germaniæ Regibus competere, quod tamen falsum esse ita clarum est, ut ne Sol quidem meridiem illustret clarius. Quin potius *hodie*: *Quilibet Princeps in suo territorio plus potest, quam Imperator in universo Imperio*; id quod satis ex art. 8. §. *Gaudeant. Instr. Pac. Cæs. Suec.* patet. Regalibus autem omnibus ab Imperatoribus in Ordines sensim collatis, eò tandem res rediit, ut Impereretoria Majestas non sit amplius patrimonii qualitas & glebæ pretium, sed ferè tantum personæ dignitas & summi Principis sublimis honor atque autoritas. Apparet verò ex his quantum potestatis, virium & opum Imperatori decesserit, & quomodo Respublica regium absolutum statum exuere, mixtum verò rursus induere cæperit, provinciis & fiscalinis bonis ita in Proceres alienatis. Hinc etiam est, quod hodie sit publica Regni Germanici egestas, nervusque rerum gerendarum Imperatoribus ac Regibus nostris præ-

Causa mutati status regij in mixtum.

cisus. Quo ipso non potuit non prisca Reip. forma, à Francorum Regibus Clodovæo & Carolo M. inducta, priscæ Germanicæ libertatis bono, mutari, & in multas partes dividi. Quod ipsum cum Imp. viderent, quantopere scil. exinde regia Reip. facies paulatim mutaretur, cæperunt quidem impedimenta opponere; atque inde forte est, quod Conradus II. Imp. regalia, quæ Ducibus concesserat, ipsis post adimere conatus sit, ut tradit *Autor* Chronici Coloniensis. Id verò quum frustra esset, Ducesque amplius à Cæsaribus in ordinem cogi non possent, interea verò loci & temporis αὐτοκράτωρες illi domi sibi nova regna conderent; liberâ potestate Ordinum prævalente, ferendum fuit, quod amplius sine convulsione totius Germaniæ mutari non potuit, ac satius visum Regibus possessionem illorum confirmare, ac, tanquam vasallos, in Imperii ac regni consortium eos adsciscere, ut videlicet stationem in statu Reipub. communis Imperii facerent, jus deliberandi ac decidendi in Comitiis universalibus haberent, ditiones suas hereditarias tanquam feuda ab Imperatore recognoscerent, & fidem eidem atque Imperio jurarent. (Vid. *Autor* h. §. 4. & inprimis pulcherrimum textum, menti nostræ inprimis congruentem, in consuetudinibus feudalibus 1. *Feud. tit.* 1.) Obiter hic notandum, hallucinari Autorem nostrum, dum in fin. §. 3. opinatur, pactis confraternitatum Imperatoris dominium directum in ditiones feuda-

Regalium Feudorũ origo in Imperio.

les eludi. Primum enim nosse debebat Autor, ejusmodi pacta sine Imperatorum confirmatione nullam sortiri vim; ac proinde Imperatorem, talia confirmantem, jus directum sibi, si non expresse, saltem tacitè conservare. Deinde Autor scire debebat illum, qui ex ejusmodi pacto succedit, nihilominus Imperatorem tanquam feudi Dominum recognoscere, ac investituram ab ipso petere.

Monzambani error circa confraternitates.

IV. Prorsus novum verò, ac Monzambaneo acuto ingenio confictum porrò est, quando §. 4. est in erroneâ opinione, quod Ordines Imperii ratione feüdorum Imperialium Imperatori (& Imperio per consequens) tantum inæqualiter sint fæderati. Quæ hæc est novitas? quis unquam audivit: *Das die Reichs Stände des Kaysers Bundes genossen sein*? Cæterum hæc nova opinio propterea hic ab Autore substernitur fundamenti loco, ut scilicet assertionem suam, quam infra de irregulari Imperii Reip. forma propugnat, eò melius Lectoribus incautis propinet, animisque eorum instillet. Sed ut paucis errorem Autoris erudito orbi ostendamus, primum notum quod Duces, Comites ac reliqui Ordines dicantur & sint Status & Cives Imperii, qui cum Imperatore in universalibus comitiis de negotiis, belli, Pacis ac fæderum consultant, ac jura majestatis Imperii divisim exercent, quod utique fædus aliquod Politicum minimè importat, ut Autor falsò credit, sed Reipubl. mixtam formam. In æternum præterea Autor non probabit fæderatos, licet inæ-

Monzambani error circa feuda Imperij

qualiter tales, inter ſeſe Rempublicam vnam & quidem communem conſtituere, id quod exemplo Achæorum ex antiquitate petito, & hodiernorum Belgarum Fæderatorum ſatis liquidò conſtat. Geldria enim, Hollandia, Zelandia, Vltrajectum, Tranſiſalania, Friſia, Groninga fædus συμμαχικον inter ſe ſanxerunt; interim unam & communem Rempubl. minimè inter ſe conſtituunt, ceu'ex tabulis fæderis illius, Vltrajecti ſuperiori ſeculo initi, perſpicuum eſt. Singulæ enim Provinciæ ſæparatam conſtituunt Rempub. ac ſingulæ neminem Superiorem recognoſcunt, niſi Deum & enſem. Iam verò quis adeò in rebus Imperii Germanici hoſpes eſt, qui neſciat, negotia Imperii publica à Capite & Membris ejus, id eſt, Imperatore ac Statibus conjunctim tractari, omniaque jura majeſtatis Reipubl. Germanicæ in univerſalibus Comitiis exerceri. Nimirum ſumma Imperii Reſpublica verê una eſt, conſtatque Capite & Membris, quæ unum Imperii Corpus conſtituunt, ut inferius latius probabitur. Conſtat porrò ex politicis, fædera, verè talia, ſive æqualia ſiue inæqualia ſint, à ſeparatis & diſtinctis Rebuſpublicis, ſummâ poteſtate gaudentibus, iniri. Ius enim fæderum inter majeſtatis jura connumerari in propatulo eſt. Iam verò quomodo abſolutam poteſtatem ac majeſtatem propriè dictam habere poſſunt Status Imperii, quum omnia jura ipſis quidem ἀυτοκρατορίας jure in provinciis conceſſa ſint, ſalva tamen ſemper Imperii &

Imperatoriâ ſuperioritate. B. *Rhenanus* (l. 2. Rer. Germ. ait Henrico Duci Saxoniæ liberæ poteſtatis jus ab Imp. conceſſum eſſe. Et *Vvitichindus* (l. 1. Annal.) ita : *Igitur patre patriæ & magno Duce Ottone defuncto, illuſtri & magnifico filio Henrico totius Saxoniæ ipſe reliquit Ducatum. Rex autem Conradus cum ſæpe expertus eſſet virtutem novi Ducis veritus eſt ei tradere omnem poteſtatem patris &c. Fictè tamen pro laude & gloria optimi Ducis plura locutus, promiſit ſe majora ſibi daturum, & honore magis glorificaturum.* Quæ omnia arguunt Ducum libertatem conceſſione Imperatorum eſſe ab initio ſtabilitam & confirmatam. Nec eſt quod mihi quis objiciat : Status tamen Imperii inter ſe & cum exteris fœdera defenſiva inire. Nam hoc totum eſt ex immemoriali conſuetudine, & expreſſe tenentur ſemper Imperatorem & Imperium excipere (*Aut. Bull.* t. 15. *Inſtr. Pac. Cæſ. Suec. art.* 8. §. *gaudeant* & ibi Aut. ad Inſtr. Pac. p. 3. Diſc. 2. n. 4.) Quin Superiori ſeculo Carolus V. Imp. fœderis capita à Smalcaldicis poſtulavit, quod ipſi licuiſſe tradit D. *Lampad* (p. 3. c. 20 §. 12.) & ibi in notis Dn. *Conringius* hac ratione : quod interſit Summi Capitis videre, ne quid contra Rempub. geratur. (Vid. plur. ap. *Aut.* ad Inſtr. Pac. l. cit.) Et quis porrò in jure feudali tantum ſuperficialiter (ut ſic dixerim) doctus aſſeret feudi vinculum inter dominum & vaſallum Fœdus Politicum inæquale conſtituere ? quum fœdera Politica inter ſummas poteſtates ac ſeparatas

Civitates

Civitates tantùm pangantur. Jam verò vasſallus domino feudi eſt inferior, & Imperator ſingulis Statibus, vaſſallitico jure ipſi obſtrictis, longè ſuperior eſt. Jurant enim fidelitatem Imperii & Imperio, unde & homagia illorum dicuntur *Reichshulden*. Et apud *Goldaſtum* (T. 1. Conſt. Imp. p. 283.) Principes ita loquuntur: *Nos feuda accepimus ab Imperio per manum Cæſaris.* Et quis credat, niſi Autor, Duces provincias Germaniæ ita ſuæ poteſtatis feciſſe, ut ſeparatas ab Imperio Reſpubl. inſtituerent? Certè ex ſupra allatis Witichindi & Rhenani teſtimoniis contrarium conſtat; quibus poteſt addi textus 1. *Feud. tit.* 1. Cæterùm fac hæc omnia jam adducta nihil contra Autoris novam opinionem militare; unde is probabit aſſertionem, de fœdere inæquali Statuum cum Imperatore ratione feudorum inito. Vbi extant illius fœderis Politici tabulæ? Quis unquam ante Autorem noſtrum profeſſus, quod Status Imperii (*die Reichs Stande und des H. Reichs einverleibte Glieder.*) qui in Republ. ſtationem habent, & jura Majeſtatis Imperii cum Imperatore exercent, eſſe Imperatoris inæqualiter fœderatos (*des Kaiſers ungleiche Bunds Genoſſen*) Sed pudet ulterius inhærere ejuſmodi novis opinionibus refutandis, quæ Imperii harmoniam, ejuſque compagem aptæ ſunt diſſolvere, ac anſam ſeparationi Statuum à communi Republ. Imperii dare. Quod ſi Autoris frivola opinio in verbis: *Sed qui bona &c. comiter colere teneatur*; firmo talo in-

niteretur; possemus similiter dicere; Regem Sueciæ, qui Pomeraniam & alia loca in Imperio jam vi & armis tenebat, postquam per Pacificationem Monasteriensem, easdem ditiones in feudum ab Imperio recepit (Vid. art. 10. Instr. Pac.) esse hodie inæqualiter Imperatoris fœderatum, ejusque majestatem comiter tantùm colere: id quod tamen pactis pacis & notoriæ experientiæ manifestò repugnat. Quin potius, quum omnes Imperii vassalli Imperatorem, Imperii caput, superiorem regnoscant, ac ratione territoriorum, ab Imperio dependentium, Imperatori & Imperio fidelitatem jurent, *das Sie Wollen dem H. Reich. getrevv, hold und gevvertig sein,* facilè apparet Autoris opinionem novam, periculosam, ac in perniciem vinculi Imperii inventam, ad Garamantas & Indos extra Publicistarum doctâ coronâ esse relegandam. Vno verbo: Autor, novitatis studio deditus, magno conatu magnas nugas agere dici posset, ni ipsæ hæ nugæ venales multorum Illustrium Imperii Procerum animos blandè inficere possent. Et quæ impudentia nostri Autoris est, dum non erubescit asserere, Proceres Imperii ditiones sibi quæsitas, Imperatori non nisi protectionis titulo subjecisse? Quin ipsi Imperii Status, gerras Siculas Autoris legẽtes, novatorem, contra praxin Imperii falsa pro veris venditantem, risu excepturi sine dubio sunt. Falsum porrò est, quod Autor (§. 4. vers. *Nam id quidem &c.*) Imperii Status pro Imperatoris subditis reputet, id quod

convellit *Aut.* ad Inſtr. Pac. p. 1. Diſc. 23. Inſuper quæ Autor hic de juribus Statuum affert, potius illud inferunt, quod *ſinguli Status tantum poſſint in ſuis ſubalternis, ſubordinatis & imperfectis regnis, ſive territoriis, à ſummo Imperio dependentibus, quantum Imperator & Status, in comitiis congregati, in univerſo Imperio*; ex quo Autor frivolam ſuam opinionem, de inæqualiter Imperatori fœderatis Proceribus, nunquam exſtruet, quum omnia illa jura Status Imperii Imperatori ac Imperio libentiſſimè accepta referant. Et quæ tandem conſequentia: Status Imperii ab Imperatore inveſtiuntur de Germaniæ provinciis ſive territoriis cum utilis dominii tranſlatione, ſub fidelitate & exhibitione ſervitiorum honeſtorum: Ergo ſunt Imperatoris inæqualiter fæderati. Conſideret ſaltem quis originem feudorum & beneficiorum illorum Imperii, & infantiam Autoris ridebit, atque ita, qui alios Iuris publici Dd. levi de cauſa irridere ſolet, jure talionis rurſus paria merito experietur. Verba Autoris (§. 4. verſ. *Coërceri autem* &c.) nihil ad rombum faciunt, nec probant, quod probandum erat, adeoque, ut uno aut tribus verbis me expediam: Severini hæc peregrina & abſurda de Principibus Imperii opinio, ut erronea, & ad diſſociandum ac diſſolvendum Imperii Corpus in cerebro Autoris enata, ſpernenda, ac ex omni Publiciſtarum Germaniæ celebri coronâ in illas regiones; ubi piper creſcit releganda. Quin po-

Duces & Comites non sunt Imperatoris Confœderati.

tius nos statuimus *Duces & Comites esse Summi Imperij Cives, qui provincias Germaniæ, id est, Ducatus & Comitatus ab Imperio permanum Cæsaris in feudum acceperunt, & de Imperii negotiis publicis cum Imperatore in Comitiis deliberant, ac jure suffragandi gaudent.* (Vid. *art.* 8. *Instr. Pac.* §. *gaudeant.*) Illud verò quod in fin. §. 4. Autor tradit, quod in causis Principum Imperatori soli cognitio non competat; bene se habet, & cum fundamentis juris feudalis optimè convenit. (vid. pl. *Aut. ad Instr. Pac.* p. 2. Disc. 19. n. 5. & n. 13.)

V. Quæ Autor [§. 5.] tradit vera sunt, & omnino nostram sententiam de forma Imperii mixtâ magnâ ex parte propugnant. Ex quo enim Duces & Comites priscam Germaniæ libertatis vestem induerunt, ratione Ducatuum & Comitatuum in communis Reipub. consortium venerunt, ac dein cum Imperatore summopere providerũt, ne quid Resp. illa aliquid detrimenti caperet. Eo ipso verò non potuit non Regia facies mutari, ac Respublica in multas partes dividi. Et quamvis Duces & Comites domi nova regna sibi conderent, liberaque potestate jura superioritatis in parvis illis regnis, sive Germaniæ provinciis, exercerent, nihilominus tamen communem Imperii Rempub. cum Cæsare in Comitiis rexerunt. Ex illa vero regiminis diversa forma Germaniæ Regnum duplicem habitum induit, ac ut magna atque summa Respubl. multas parvas ac subordinatas (non

Mutatio formæ Regni Germanici.

ſeparatas ut Autor noſter putat) civitates complectens, conſiderari cæpit. Vnde poſtea nata regula: *Quilibet Princeps, Comes ac poſtea qualibet libera Imperij Civitas tantum poteſt in ſuo territorio ac in & extra muros ſuos; quantum Imperator* (*cum Statibus conjunctim*; Hoc enim ſecundum notoriam Imperii praxin debebat addi) *in univerſo Imperio.* Hinc Status, ut ſinguli, in ſuis territoriis non diſtincta & ab univerſo Imperio ſeparata ſed ſummæ Reipubl. ſubordinata & ſubalterna Regna inſtituerunt; Status verò in univerſum & junctim ſpectati Imperium, ejuſque majeſtatis jura diviſim cum Cæſare adminiſtrare cæperunt. Atque hæc regiminis forma tum cæpta, ad noſtra uſque tempora perducta, etiamnum feliciter floret, hodieque Imperator & Status toti in eo ſunt, ut nævi ac defectus communis illius Reipubl. qui partim ob ſummas Paparum in Imperium injurias, partim per bella civilia, partim verò ob incuriam præcedentium ſeculorum irrepſerunt, emendentur ac penitus tollantur. Quum itaque Imperii hodierna Reſpublica ſub Imperatoris Majeſtate ejuſque Auguſtiſſimâ Dignitate, ac dein Ordinum libertate, (Ottonum Cæſarum ævo parta, ad noſtra tempora continuata, & per Inſtrumentum Pacis hodie ſtabilita) feliciter floreat; facile apparet, nihil magis ad præſentem communis Reipubl. ſtatum conſervandum conducere, quam ſi Imperator nihil contra Ordinum Libertatem; nec

Inter eſſe Imperij quoad formam Reipublica hodiernam.

Ordines adverſus Majeſtatem Imperatoris quicquam attentent, ſed Imperii Caput ac Membra dulci harmoniâ concorditer conſpirent, atque omnes ac ſinguli in ſuis Politicis ac legitimis cancellis permaneant. Secus ſi fiat, quid mirum, ſi nobiliſſimum illud Imperii Corpus diſtractis & diſſipatis membris contabeſcat, & formam ſive vitam Civitatis quæ anima illius Politici Corporis eſt, perdat. Superioribus quidem ſeculis Pontifices Romani, Imperii noſtri navem variis fluctibus & civilibus tempeſtatibus miſerandam in modum expoſuerunt, ac tantum non penitus ſubmerſerunt, ut ſupra latius expoſitum; hodie verò quum ille Chriſtianarum Rerumpublicarum incarnatus Diabolus maximam partem occaſione Reformationis Religioſæ, Divini Numinis favore, feliciter repreſſus ſit, non eſt, quod adeò ab impiâ Romanâ ſede noſtræ Reip. amplius metuamus, utpote quum ungulæ Accipitris Romani ob potentiam Proteſtantium Ordinum, Germanicis columbis non amplius, ut libitum, infligi queant. Seculo porrò ſuperiori & moderno Carolus V. & Ferdinandus II. ſub velo propugnandæ religionis Romanæ Ordinum libertati reſtringendæ operam dediſſe crediti ſunt; ſed quid inde tandem evenit? (Vid. *Autor.* h. §. ubi bene de hac re diſſerit) Nimirum Arſacis Regno acrior Germanicorum Procerum libertas majora incrementa ſumpſit, feneſtraque ex eo aperta mutuæ diffidentiæ inter Imperatorem & Sta-

tus. Pax tandem Osnabrugo-Monasteriensis quum omnes sinistras atque atras suspiciones, omniaque intestinorum dissidiorum mala sopiverit; Majestatem verò ac Libertatem Imperii in pristinum statum, ex Monarchia & Polyarchia mixtum, reduxerit; nihil aliud reliquum est, quam ut ardentibus precibus summum Numen sæpius in vocemus, ut Sancti sui Spiritus gratiâ Imperatori ac Statibus Imperii porrò adesse, eoque omnia dirigere velit, ut residua Statuum gravamina, cæteraque Politica Imperii mala tandem aliquando æternum aboleantur, & in Mare Creticum, atque flumen oblivionis, deportentur. Trin-unus Deus servet præsentem Reipubl. statum, ac clementer elargiatur, ut, rebus omnibus intra Germaniam bene constitutis, tandem Imperii Majestatem adversus exteros, hactenus per domestica nostra dissidia securos, in Italia, versus Galliam & alias regiones, quæ Politicum nostrum Imperii corpus passim attenuarunt, rursus in priscum vigorem reducere valeamus. Quod Deut faxit!

VI. Postquam itaque (uti jam fusè expositum) Duces & Comites in magno Germaniæ Regno parvi Reges cum libera potestate facti; magnum etiam robur ad vim & potestatem regiam in Germaniâ immutandam attulit, dum Ottonum temporibus Ducales & Comitivæ potestates Episcopis & Abbatibus cæperunt attribui, novo & hactenus inaudito exemplo. Hinc cæpit famo-

Episcoporum incrementa

ſus ille duplex Ducum ordo, Secularium ſcil. & Eccleſiaſticorum. Primus autem Bruno Epiſcopus Colonienſis conſtitutus, à fratre Ottone M. Ducatum Lotharingiæ accepit. Qua de re ita Witichindus: *Brunonem Pontificis ſummi ac Ducis magni vidimus officium gerentem; ac ne quis eum culpabilem ſuper hoc dixerit, cum Samulem ſanctum & alios plures Sacerdotes legamus & judices.* Idem notat Autor Chronici Belgici: *Ante hæc ſua* (Brunonis) *tempora Archi Epiſcopi Colonienſes, non judiciis gladii temporalis, ſed tantummodo juriſdictionis uſi baculo paſtoralis.* Conſentit Theodoricus de Niem: *Pæne omnibus Cathedralibus Eccleſiis in Italia, Gallia, Germania, Burgundia & Lotharingiâ conſtitutis, multas civitates, caſtra, oppida, villas & multa alia dominia temporalia & juriſdictiones donavit* (loquitur de Ottone I.) &c. *Archi-Epiſcopos quoque & Epiſcopos Ducatibus & Comitatibus & Baroniis communivit, quibus nobiles & potentes vaſallos ſubjecit, ut ſemper eſſent ad reſiſtendum etiam manu forti paganis & hæreticis in opportuno tempore fortiores.* Hoc modo Eccleſiaſtica & ſecularis poteſtas in unâ perſonâ jungi cæpit; Quo ipſo potentia Epiſcoporum nimium quantum crevit, ac multis ſecutis temporibus illi Eccleſiaſtici Duces præ aliis eminuerunt, neque ipſi Cæſares alios magis metuendos habuerunt. (Vid. Dn. *Conring.* in Diſſert. de Ducib. & Comitib. & in Diſſ. de Conſtit. Epiſc. Germ. *Autor.* noſt. h. §. 6. 7. 8. ubi egregiè circa originem

& progressum potentiæ Episcoporum se gerit, atque in omnibus acu rem tangit add. *Burgold.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 20. n. 1. & seqq.) Vnum tamen ad compescendam tantam potentiam frænum superfuit Cæsaribus, libera nempe omnium Episcopatuum & Abbatiarum collatio; quod aureum tamen frænum excussum est Cæsarum manibus Gregorii VII. & successorum ejus sacrâ tyrannide, quo ipso Cæsares dimidium Imperii perdidisse prudenter & verè notavit *Onuphrius Panvinius* (in vit. Gregorii VII.)

VII. Occasionem plenioris libertatis adipiscendæ Ducibus dedit Henrici IV. Imperatoris infantia, de quâ re ita scribit Albertus Abbas Stadensis: *Gubernacula*, ajens, *regni mulier cum puero magno Imperii præfuit detrimento. Indignantes enim Principes aut muliebri potestate constringi, aut infantuli ditione regi, primo quidem conjuncti vindicarunt se in pristinam libertatem, ut non servirent: deinde contentionem moverunt inter se, quis eorum videretur esse major: postremo armis audacter sumptis regem & dominum suum deponere moliti sunt.* Causas imminutionis potentiæ Ducum vid. ap. Dn. *Couring.* (Diss. de Ducib. & Comit.) *Alia causa encrementi potentiæ Ducum.*

VIII. Ex iis, quæ fusè jam adduximus patet, quanta sit Ducum & Comitum libertas atque potentia, non solum respectu provinciarum subjectarum, quas eodem modo eademque ferè potestate, quâ totum regnum Imperator regit, regunt, verum etiam res- *Incrementum Du-*

cum in statu Regni Germanici.

pectu totius Imperii, cui unà cum Imperatore divisis majestatis juribus præsunt, ut rectè censet Dn. *Conring.* (l. cit.) Constat quidem jam tempore Caroli M. Duces Comitesque Provinciarum, Proceres etiam regni fuisse, & quamvis etiam tum totus populus ad curam reip. admissus fuerit, atque jus suffragii habuerit, illis tamen plus autoritatis tributum, (Vid. supra Disc. de Statu Imperii sub Carolo M. & Ludovico Pio.) Mutatâ porrò atque auctâ Ducum Comitumque potestate ævo Ottonum Cæsarum, major quoque eorum auctoritas in suffragiis de totius Imperii rebus ferendis facta est, & quamvis populus non omnino exclusus fuerit, ejus tamen autoritas admodum exigua extitit, præsertim plerisque urbibus Ducum Comitumque liberæ potestati ab Imperatoribus subjectis. (Vid. pl. Dn. *Conring.* l. cit.) Quæ Autor §. 9. & 10. de Liberarum Imperii urbium incrementis tradit, ea omnia vero consentanea sunt, ac ulterius illustrari possunt ex Dn. *Conringij* Diss. de Vrbibus Imperii add. *Aut.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 21. Memb. 3.

DISCVRSVS X.

De Electione, coronatione ac depositione Imperatoris.

Ad cap. 4. in tot.

I. AVtor noster (c. 4. §. 1. bene disserit de constitutione Imperatoris Romani & electione Regis Germaniæ; cui tamen in eo subscribere non possumus, quod (§. 1. res *Accuratius tamen* &c.) putet Regnum Francorum magis fuisse successivum, quam electitium, quem errorem jam supra ad cap. 1. §. 7. confutavimus. Disertè sanè de Carolo M. Eginhardus: *Carolus fratre defuncto consensu omnium Francorum Rex constituitur.* De ejus filio Ludovico Pio idem testatur *Theganus* Chorepiscopus Trevirensis (lib. de gest. Ludov. Imp. c. 6.) ubi ita de Carolo M. legitur: *Imperator cum intellexisset, appropinquare sibi diem obitus sui, vocavit filium Ludovicum ad se cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco positis habuit grande colloquium cum eis Aquisgrani in palatio, pacificè & honestè admonens, ut fidem erga filium ostenderent, interrogans omnes à maximo usque ad minimum, si eis placuisset, ut nomen suum, id est, Imperatoris titulum, filio suo Ludovico tradidisset; illi omnes responderunt* &c. A primâ itaque con-

Regnum Francorũ magis electitium, quam successorium.

ſtitutione Imperii Germanici obſervatum, ut omnes Principes & populus Imperatorem eligerent, ut cenſet Dn. *Conring.* (in Diſs. de Ducib. & Comitib. ubi idem in aliis Imperatoribus illud ipſum oſtendit, & inprimis in Diſs. de Electorib. Imperii, unde etiam ea quæ Autor §. 2. c. 4. tradit de origine Electorum illuſtrari poterunt, add. *Aut.* ad Inſtr. Pac. p. 1. Diſc. 9. & 19. in tot.)

Hodie ſunt octo Electore.

II. Hodie poſt Pacificationem Oſnabrugo-Monaſterienſem Imperator Romanus & Rex Germaniæ eligitur ab Octo Archi-Principibus, de quo videatur idem *Autor* ad Inſtr. Pac. p. 1. Diſc. 25. in tot. Autor noſter (§. 5. c. 4. (dubitat, quid agendum ſit hodie inter Octo-Viros Electores, ſi fortè ſuffragia æqualia eſſe contingat, de quo caſu itidem agit Aut. cit. loc. cit. n. 4.

Ius coronandi Imperatorem cui competat.

III. De jure Coronandi Imperatorem mota eſt ante paucos annos inter duos Eccleſiaſticos Electores Moguntinum & Colonienſem controverſia; illo, in perpetuâ fere poſt A. B. obſervantiâ; hoc verò, in Aureâ Bullâ (tit. 4. §. 2.) ſeſe fundante. Moguntini partes ſtrenuè defendit vir ſummus Dn. *Herm. Conringius* (in Tr. cui tit. Aſſertio juris Moguntini in jure coronandi) cui à parte Colonienſis Electoris quidem reſponſum, quod rurſus tamen confutatum in Diſſert. cui titulus: *Anti-Conringiana defenſio.* Quum res utrinque ad arma ſpectaret, ita tandem lis ſopita, ut coronatio in Diœcæſi Colonienſi ab illius loci Archiepiſcopo; in Diœcæſi Moguntina à Mo-

guntino, extra utramque verò ab utroque alternatim peragatur. Tranſactionis tenorem refert *Sprenger* (in Iuriſpr. Publ. p. 181. 182.) Hinc an. 1658. in coronatione Sacratiſſimi noſtri Leopoldi Imp. Miſſæ officium celebratum ab Eminentiſſ. Archiep. Colonienſi qui Cæſarem unxit, coronam verò tres Electores Eccleſiaſtici ſimul Cæſareo impoſuerunt capiti, ut refert *Paſtorius* in Laur. act. Public. part. 2. p. 55. Vnde patet falli noſtrum Autorem quando (§. 5. in fin.) ait, ita hanc litem eſſe compoſitam, ut alternis vicibus coronationem peragant, ubicunque locorum ritus iſte celebretur. *Error Monzambani circa jus coronandi.*

IV. An Electoribus ſolis competat, uti conſtituendi, ita & deponendi Imperatores jus Autor (§. 6. c. 4.) diſquirere pergit, nihil tamen certi definire audet. De hoc verò pũcto vide plenius *Aut. ad Inſtr. Pac.* part. 1. Diſc. 9. n. 17. & Diſc. 19. n. ult. ubi videbis forſan quæ ſunt ad palatum. Sane non pauci ſunt, qui Henrici IV. depoſitionem, ut violentam, atque à Pontifice Romano procuratam, improbant. Mirantur etiam non pauci Moguntini (quem Autor etiam hic notat) audaciſſimam cantilenam, tum temporis in gratiam ſine dubio Capitolini Iovis & Antichriſti Romani cantatam: *Quem meritum inveſtivimus, quidni immeritum deveſtiamus?* quam *Helmoldus* (in Chronic. Sclavor.) refert. Wenceſlaũ Cæſarem ſolos Electores depoſuiſſe Autor (§. 6.) tradit quum tamen alii exauctorationem illam conſenſu reliquorum Ordinum fa- *Depoſitio Imperatorum an Electoribus competat.*

ctam probent ex *Goldasto* (T. 1. Const. Imp. p. 308. §. 7.) Vt intrepide dicam, quid sententiam, ego existimo, si casus luctuosus atque lamentabilis existat, ut necessario deponendus sit Imperator, jus exauctorandi non competere solis Electoribus, sed omnibus Imperii Ordinibus. Nam jus eligendi, Octo Electoribus hodie cōpetens, est privilegium; quum tale jus ex se & suâ naturâ toti Imperio competat. Iam verò postquam Proceres reliqui, ad vitandos in Imperio ulteriores tumultus, hoc jus solis Septemviris primum & nunc Octoviris, concesserint, jus illud singulare ultra terminos suos habiles extendi non poterit, quum privilegia ac prærogativæ sint strictæ interpretationis, in quibus à literâ recedere non licet; adeoque hoc eligendi privilegium latius extendi non debet ad remotionem Cæsaris, sed terminari intra electionem. Errat porro Autor noster quando eodem §. 6. putat Carolum IV. propterea Auream condidisse Bullam, ut filio suo Wenceslao Imperium pararet. Nam filius Caroli Wenceslaus quinto anno demum post est natus, cum jam condita esset A. B. Wenceslaus enim natus est an. 1361. A. Bulla verò condita A. C. 1356. Vera autem ratio conditæ hujus *Aureæ legis est*, ut illâ præscinderetur dissidium Procerum Germaniæ, qui communiter in electione novi Regis dissidebant. Autor porrò asserit, ob largitiones maximas, à Carolo IV. Electoribus concessas, non obscure eos fremere, qui eminentiam Electorum

Monzambani error circa Aur. Bullam.

ægris oculis adſpiciunt. Exiſtere autem nõ paucos facile crediderim, quibus dura hæc prodigalitas videtur: Sed quicquid de eo ſit, lex ita ſcripta eſt, & novum ſæpè jus, iniquum ab initio, in vetuſtatem conſuetudine vertitur.

V. Quæ Autor porrò (§. 7.) tradit de tribus Archicancellariis Imperii, item an illorum officia adhuc hodie fundamentum in re habeant? vid. ap. Aut. ad Inſtr. Pac. p. 1. Diſc. 19. n. 7. & ſeqq. ubi etiam agitur de officiis ſecularium Electorum. De controverſia Vicariatus inter Sereniſſ. Electores Palatinum & Bavarum Autor nervoſè (§. 8.) judicat, de qua plenius vide eundem *Aut. ad Inſtr. Pac.* part. 1. Diſc. 26. n. 9. & ſeqq. Controverſia hæc nondum hodie deciſa, eamque Imperatorem judicem expectare cẽſet Sprengerus, quum feudi acceſſoria ſit. Sunt tamen, qui in Diſcurſibus, hac de re habitis, mihi oſtenderunt, non ſolùm Imperatorem, ſed unà etiam alios Principes ad hanc cauſæ cognitionem adhiberi debere, utpote quum in controverſiis feudalibus inter duos Imperii vaſallos Imperator & Pares Curiæ judices ſint. Quicquid de eo ſit, omnes, qui Germaniæ tranquillitatem ex animo precantur, calidis votis optant, ut hæc controverſia æquis conditionibus ſopiatur, odiumque illud occultum inter duas potentiſſimas Domos, Palatinam & Bavaricam, penitus tandem exſtinguatur. In fine cap. 4. Autor quædam annectit de Romanorum Rege, de quo vide pluribus *Aut. ad Inſtr. Pac.* p. 3.

Disc. 4. in tot. Circa horum electionem arcanum quoddam Autor noster prodit, quod tamen non adeò in Imperii perniciem vergere videtur, ut ex Dn. *Conringio* Autor cit. ad Instr. Pac. ostendere satagit.

DISCURSUS XI.

De Majestate Imperatoris Romani ac Regis Germaniæ.

Ad cap. 5. §. 1. & seqq. usque ad fin.

Landgravij Hassiæ judicium de Imperij Politico statu.

I. PRudenter Mauritius Hassiæ Landgravius, Politici Imperii Status intelligentissimus Princeps, olim pronunciavit: *Tria studia Imperij ruinam & eversionem procurant: Primum est eorum, qui Caput Imperij nostri absolutum non limitatum exoptant: Secundum eorum, qui libertatem Statuum ita deprimunt, ut servire, quàm obedire, malint: Tertium eorum, qui dictam Statuum libertatem, ita extendunt, ut legibus quibuslibet Imperij soluti magis, quàm ligati apparere velint.* Bene ita judicavit Serenissimus ille Princeps. In primo & secundo studio autem hactenus occupati acerrimè fuerunt Dn. *Theodorus Reinkingius*, Holsatiæ Regalis quondam Cancellarius, *Wizendorfius*, qui Reinkingij opinionem de Imperii Romano-Germanici Monarchia apologetico propugnavit, & *Iohannes Henricus Stamlerus*, qui Trium viri præcipuè

cipuè adeò in suis scriptis Imperatorum Germanicorum summam potestatem, sive plenitudinem potestatis asserunt, ut inter Romanæ Monarchiæ Imperatores, & hodiernos Germanorum Cæsares nihil interesse credant. Tertiò verò studio, à Sereniss. Hassiæ Landgravio exposito, se mancipio & nexu quasi dicavit nominis tecti Autor, qui forsan ob durum & obfirmatum animum se Hippolitum à Lapide vocavit. Horum tamen opiniones, cum adversus modernum Imperii Romano Germanici Statum Monarcho-Polyarchicum, sive Majestate ac summâ autoritate Imperatoris & libertate Ordinum temperatum, evertendum tendant, in Academiis & Scholis Germaniæ publicis, ut hactenus factum, in posterum minimè doceri atque proponi debent.

II. Autor noster toto hoc cap. 5. prolixè quidem, ast verè & doctè agit de potestate Imperatoris, ac primum quidem (§. 1.) exponit, quomodo libertati Germaniæ Ordinum per Capitulationes sive leges Regias *Capitulationes.* Imperatorum Imperii Romano-Germanici satis abunde prospiciatur, ut adeò hæ Capitulationes, præsertim novissimæ, compēdium hodierni Status Imperii jure meritoque dici possint. Hæc capitula sive articuli quin summæ potestati sive summitati Imperatoris etiam derogent, vero verius omnino est (Vid. egreg. ap. *Autor.* nostrum h. §. 3. & §. 4.) quamvis Dn. *Limnæus* & qui eum defendit *Dn. Limnæi error.* Dn. *Strauchius* (Dissert. Exoter. 4. n. ult.)

contrarium defendant, quibus etiam accedere videtur, aliàs Politices Imperii dexterrimus censor, Dn. *Eitel Friderich von Heerden* in egregio libello: *Grundveste des H. Reichs* (p. 1. c. 1.) Vtut verò Limnæi distinctio illa inter summitatem Imperii & plenitudinem potestatis sic satis subtilis sit, & quasi Delio natatore opus habeat; accurata tamen minimè est, neque subsistere potest. Qui enim statuit plenitudinem potestatis læsam esse per capitulationem, idem etiam fatetur per eandem quoque summitati Imperii derogari, quum plenitudo potestatis sit ipsa formalis ratio summitatis, sive majestatis, ut proinde Aut. noster (§. 4.) tacitè Limnæũ rectè stringat

Aureum frenum libertatis Germanicæ. Quemadmodũ itaq; *unio circulorum: Suprema Imperij judicia, ac metus proscriptionis sunt libertatis Germanicæ aureum frenum, quò exlex libertatis licentia cohibetur; ita rursus Cæsareæ Capitulationes sunt instar capistri, quo Imperatoria Majestas intra legitimos tramites coërcetur, ne, plus ultra pium fas eundo, libertati ac juribus Procerum Germaniæ ullâ in re noceatur.* In summa: *Capitulatio meta candida est, ad quam currere debent Imperatorij ac Regij athletæ.* Articulos Capitulationis, *Die kayserl. Wahlarticul,* à temporibus Caroli V. hactenus soli Electores Imperatoribus noviter electis præscripserunt, conniventiâ reliquorum Ordinum, qui Politicas Imperii literas diu neglexerunt.

Perpetua capitulatio. Tandem verò è veterno excitati, sub Rudolpho II. Imp. Principes in eo Electoribus contradicere cœperunt.

Et quidem rectè. Aliud enim est jus eligendi Imperatorem; aliud jus electo Imperatori capitulationem præscribendi. Illud per A. B. Septemviris, hodie per Instrum. Pacis Octoviris, competit; hoc verò omnibus Imperii Ordinibus, meritò adscribitur quorum maximè interest, ut certa & perpetua capitulatio ad tranquillandum Imperii Politicum statum, condatur. (Vid. Dn. *Textor.* de Rat. Stat. Germ. mod. c. 18. *Burgoldens.* ad Instr. Pac. Cæs. Succ. p. 3. Disc. 5. in tot.) In Pace Westphalica (art. 8. vers. *Habeantur*) constitutum, ut in proximis Comitiis de hoc puncto deliberetur, quem textum malè Autor de extractione in infinitum interpretatur. In novissimis comitiis Ratisbonensibus hic punctus in deliberationem venit, cujus tractatum Autor (§.2.) exhibet, atque arcanam Cæsaris, ac Electorum resolutionem circa hanc rē annectit: Annotat deinde defectus hodiernorum comitiorum, cui bono scilicet per tot annos vinum Hispanicum & Rhenanum aut Mosellanum fuerit bibitum: Concludit denique punctum perpetuæ capitulationis esse inextricabilem. Cæterùm hæc & alia Autoris tanti non sunt, ut hæc Reipubl. maximè necessaria & utilissima materia non possit tandem aliquando optabili exitu concludi. Priusquam autem illud fiat jura Statuum haut ab omni parte in tranquillo portu navigabunt. Det omnipotens Deus, ut salutare filum Ariadnæum inveniatur, quo inexplicabilis iste Labyrinthus tandem pervius redda-

Interfuit Imperii, ac Capitulationes Cæsaribus præscribentur.

tur. Vtilitatem Capitulationum Cæsarearum egregiè depingit Autor noster (§. 3. h.) ubi deducit; licitum esse, Imperatori extra terminos Capitulationis imperanti impune non pareri. Germania siquidem nostra natura quasi sua abhorret à servitutis istis carminibus: *Princeps est solutus legibus: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Quin potius digna est vox Majestate in Germanico Imperio Imperantium, Legibus se alligatum Principem profiteri. Quæ in fine §. 3. Autor de fœderato Imperii corpore affricat, erronea sunt, & jam supra refutata. Videtur autor distinctionem inter jura fœderum & jura bonorum feudalium ignorasse, inter quæ tanta differentia est, quanta inter diem & noctem, cœlum & terram. Eundem consuetum errorem repetit Autor (§. 4. vers. *Etiam in systematibus sociorum* &c.) ubi tamen eleganter & doctè distinctionem Dn. *Limnæi* & Dn. *Strauchii* inter plenitudinem potestatis & summitatem Imperii refutat.

Potestas Imperatoris limitata.

III. Quod Imperatori Romano Germanico non competat potestas circa Germaniæ magistratus Autor porrò (§. 5. docet, & non nisi egregia affert, quæ ulterius illustrari possunt ex iis quæ habet *Aut. ad Instr. Pac.* p. 1. Disc. 10. n. 3. In §. 6. Vlterius Autor tradit, quod Imperatori non liceat sine Ordinum consensu aliquem è numero Statuum eximere, cum quibus conferri possunt ea, quæ tractat *Aut. ad Instr. Pac.* p. 3. Disc. 6. in tot. add. *Capitul. Leopold.* art. 28. Autor noster

eod. §. 6. annotat, quòd hodie Imperatori parum curæ sit, quomodo quisque Ordinum suos subjectos tractet, & tondeat, an deglubat suas oviculas. Gailius & alii Cameralistæ præscribunt quidem nobis remedia, quomodo subditi adversus sævitiam & deprædationes Dominorum suorum tueri se possint. Cæterum quis erit tam intrepidi animi, qui tam potentissimos adversarios in jus vocare velit? quis erit primus, qui nolam feli appendere audeat? ut proinde in communi Litania subditi orare debeant: *A tali actione libera nos Domine.* Hæc autem non debent applicari ad pios, justos, clementes, beneficos & moderati ingenii Germaniæ Principes, qui tanquam boni Pastores tondent tantum subditos, & quidem inevitabili necessitate, quum non quies gentium sine armis, non arma sine stipendiis, non stipendia sine tributis haberi queant. Bene insuper Autor §. 6. deducit Imperatori in subditos Ordinum aut nullam, aut sane perpusillá competere potestatem. Quod porrò Cæsari non competat jus tributorum indicendorum nec jus vectigalium, Autor §. 7. deducit, (Confer *Aut. ad Inst. Pac.* p. 1. Disc. 10. n. 4.) ubi idem rectè tradit descriptiones ob expeditiones Romanas [*Zum Römerzug*] magnâ adhuc inæqualitate laborare, de quod vide plenius *Aut. ad Instr. Pac.* p. 3. Disc. 7. Memb. 2. Arbitrium belli Pacis ac fœderum non esse in manu Cæsaris, rectè porrò asserit Dn. Severinus noster (§. 8.) (conf. *Aut.* cit. p. 1. Disc. 10. n. 6. & 6.) Notat au-

ſtem gravi obelo Autor noſter eos Imperii Status, qui proprio motu exercitu conſcripto, ante paucos annos Sereniſſimi Electoris Palatini provinciis arma intulerunt, atque ita Actionem negatoriam contra durum quidem & oneroſum, legitimum tamen Wildfangiatus jus ferro & armis ſine judicio perſecuti ſunt, de quâ violentia vehementer, juſto dolore motus, conqueritur *Autor Iuſtitiæ cauſæ Palatinæ*; de hac controverſia vide fusè pro & contra agentem *Aut. ad Inſtr. Pac.* p. 1. Diſc. 26. Autor noſter [§. 8.] porrò accuſat Epiſcopum Monaſterienſem, quòd is ante paucos annos ſine conſenſu Imperatoris & Ordinum arma in Belgas Fæderatos expediverit. Vti enim Imperator inconſultis Statibus non debet Imperium bello involvere; ita nec ſtatus juxta proprium arbitrium ſibi licentiam iſtam ſumere debent. Excuſant tamen alii Epiſcopum illum, quod vim & injuriam Belgarum à ſe profligare coactus fuerit, & ab Imperio auxilium ſæpius implorans, illud tamen impetrare non potuerit. Autor (§. 9. 10. &c.) porrò exponit atque exhibet nobis Reformationem Religioſam, & quâ poteſtate gaudeat Imperator circa ſacra, quam materiam fuſius deducit *Aut. ad Inſtr. Pac.* p. 1. Diſc. 10 n. 7. & p. 2. Diſc. 2. in tot. Vocat autem Dn. Severinus noſter Proteſtantium religionem novam Theologiam, quod tamen in ſpeciem ab Autore fieri credo, quum ob Italam ſive Romanam religionem; cui ſpecietenus ſe addictum fin-

xit, ejuſmodi dicteria ponere neceſſum habeat, quæ tamen, extra illam larvæ aſſumptionem ſi eſſent prolata, pura puta eſſent mendacia. Criſtianiſſimus etenim Proteſtantiſmus, ſuperiori ſeculo exortus, non novam, ſed nov-antiquam Theologiam, Chriſti & Apoſtolorum ſinceræ ac niveæ doctrinæ convenientem, poſtliminio quaſi reduxit, Chriſtianamque religionem ab omni fermento Pontificio repurgavit. De hac auguſta & ſalvifica Theologiâ *Philippus Melanchton*, communis ille Germaniæ Præceptor, ac moderati ingenii Theologus, ita ad Camerarium ſcripſit: *Ego noſtram doctrinam ita certam & firmam & validam eſſe judico, ut nullâ ratione, nullâ ſapientiâ, nullo denique pacto convelli poſſit unquam. Vis ſi fortè afferatur, affligere illa nos poterit, veritatem, quam noſtra doctrina profitetur, non opprimet.* Hæc Philippus in Epiſtol. fol. 276. Noſter Dn. de Monzambano pervenuſtè, more ſuo, exagitat hic Romanenſes, ob jus, quod ſibi circa ſacra ſoli vindicant, hiſtoriamque religioſæ Reformationis prudenti ſtylo ſuo adeò egregiè depingit, ut legentis animus non poſſit non jucundiſſimæ lectionis voluptate impleri. In *verſ.* tamen: *Enimvero Martinus ille* &c. aliquid humani patitur ingenioſus noſter Autor, de quo vid. *Aut. ad Inſtr. Pac.* p. 2. Diſc. 2. n. 3. ubi Politicorum judicium de occaſione reformati cultus divini expenditur. De ſacra alluvione bonorum Eccleſiaſticorum ad Proteſtantium Principum

territoria, de qua Severinus noſter per tranſennam agit, uberius agit Autor alleg. p. 2. Diſc. 9. & 12. Sanè deteſtabilis Clericorum in Papatu ingluvies, & deprædationes bonorum, quibus in miſeros Laicos, ſuperſtitionis fervore deceptos, graſſati fuerunt, dudum ſalutarem reformationem flagitarunt. Abominabilis vox eſt cujuſdam Herbipolenſis Canonici, qui tum temporis in hæc impia verba erupit: *Were Lutherus noch ein 30. Iahr. auſgeblicben, Wir geiſtlichen* (rectius *Geiſtloſe*) *Wolten es dahin gebracht haben, das die Bavvren Hevv und Stroh gefreſſen, und uns Geiſtlichen die Cappaunen ſelbſten gebraten gebracht, und die Iunckern hetten uns die Stieffel, Schuch und ſporen buzen und ſchmieren muſſen.* De bello Smalcaldico, de quo Autor (§. 10.) agit, adeundus idem *Autor ad Inſtr. Pac.* p. 1. Diſc. 1. n. 20. & ſeqq. ubi res geſtas circa hanc materiam in compendio videbis; nobis enim ea omnia ad illuſtrandum Dn. Severinum noſtrum huc tranſcribere nunc non vacat. De Tranſact. Paſſavienſi & Pace regioſa ἐν ἐπιτομῇ vide eund. Aut. p. 2. Diſc. 2. & totum artic. 5. Inſtrum. Pac. Cæſareo Suec. Autor noſter [§. 11.] agit *Vom Geiſtlichen Vorbehalt* ſive Reſervato Eccleſiaſtico, de quo ſimiliter plenius conſule *Burgold.* (ad Inſtr. Pac. p. 2. Diſc. 10. in tot. ubi videbis quid de hac clauſulâ Pax Weſtphalica noviſſimè ſanciverit.) Quæ Dn. Severinus noſter [§. 12.] de diſſidio inter Lutheranos & Reformatos, item de

ſubſecuto bello tricennali tradit, ea pluribus vid. apud ſæpius alleg. Scriptorem ad Inſtr. Pac. (p. 1. Diſc. 1. p. 2. Diſc. ult.) Dn. de Monzambano porrò [§. 12.] nobis egregium compendium famoſi articuli V. Inſtrum Pac. refert, quod omnino legendum & ſæpius relegendum; tandemque concludit meliorem conditionem circa ſacra in Imperio eſſe Proteſtantium, quam Imperatoris & Catholicorum. Vt ergo meritò Sereniſſimis principibus Proteſtantibus gratulamur, quod, Divini Numinis digito veluti præeunte, almam & puram Chriſtianam religionem, & circa illam auguſtiſſimum jus inſpiciendi, ordinandi, conſervandi ac protegendi potentibus ſuis dextris, Divino robore ſuffultis, recuperarint, ſibique mancipio & nexu proprium jam reddiderint; ita è contrario miſeram vicem Imperatoris omniumque Pontificiorum dolemus, quod tremendum illud jugum ac conſcientiarum carnificinam Romani Papæ ejuſque cuculligerorum nondum hactenus abjecerint, ſed in tenebris atque ſqualore Papatus adhuc ambulantes, ad Imperatoris illius Eccleſiaſtici ſive verò verius Antichriſti, in Babylone ſuperbè jam ſedentis, nutus ſe conformare, ac pretioſum civilis majeſtatis carbunculum, qui circa ſacra lucet ac ſplendet maxime, ita negligere cogantur. Ex pergiſcimini tandem aliquand, Imperator, Reges, Principes, ſpiritualem ſcortationem cum beſtiâ Babylonicâ relinquite, Romanumque illum Iovem, cujus ſervi adhuc eſtis,

ense, rotâ, ponto, funibus, igne neci tradite, ac nobiscum purum Divini Numinis cultum ex ipso Verbi sacri fonte depromite. Quæ enim superstitio atque irreligiosa invidia est? Quum fontem, ex quo mel sacrum melli dulci dulcius fluit, habeatis, atque inde sobriè haurire divino præcepto moneamini; qua ratione cum puras aquas haurire liceat, lutulentas vos mavultis? Quum

Dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ.

Quæ Autor noster [§. 13.] ulterius de juribus Germanicis in medium adducit, illustrari possunt ex Tract. Dn. *Hermanni Conringii* de orig. Iur. Germanici, qui typis hodie descriptus extat, unde compendium Autor h. l. depromit. Quomodo incertitudo legum hodie sit tollenda vid. ap. Dn. *Conring.* Tr.cit. c. 34. p. 207. 208. & seqq. & inprimis inaug. Dissert. Dn. *Wedderkopfs* sub præsidio Cl. Dn. *Bockelmanni* Heidelbergæ ante paucos annos habitam. Dn. Conringius d. Tract. hisce elegantissimis versibus concludit:

Tali habitu, quacunque patet Germanica tellus,
Hactenus alma fuit conspicienda Themis.
Nuda olim, aut scissa pingui & malè tecta lacerna,
Nunc eadem multo murice pressa gemit.
Ipsa oneri sæpe est sic purpura. Sat bona palla est,
Quæ nec curta nimis, nec nimis ampla fluit.
O utinam Divæ hæc contingat! pectora nobis
Candida lucerent & sine lite dies.

Plerique hodie Iuri Iustinianeo (Seculo XV. in Germaniæ fora recepto) valde sunt infensi, præsertim illi Politici atque Critici, qui ejus juris peritiam exactam non habent. *Iustus Lipsius*, Criticorum Princeps (quem sequitur in Chronico Spirensi *Christophorus Lehmannus*) in monitis Politicis ait, se quidem in Lotharii Cæsaris manes involare, liliis tamen & rosis ejus sepulchrum exornare propterea nolle, quod spinosum illud jus Iustinianeum, reduxerit. Cæterum huic Lapsio, & inconstanti Constantiâ famoso Autori, jam satisfecit Illustris Dn. *Forstnerus* (ad l. 3. Annal. Tacit. p. 431.) Dn. *Conringius* quoque Præceptor meus semper venerabilis, in Dissert. de Iudiciis German. ita scribit : *Negari nequit, pane illo tempore, quo in foris Germaniæ cæpit aliquis juris Romani usus simul magnam litium sementem in fora nostra sparsam esse. Quam non jam longæ lites ? quam non exosi in aulis Principum Leguleï ? Annon felicius in Turcia multisque Christianorum curiis videmus tribus verbis ferè & sub dio judicium institui & finiri ?* Carolum M. sæpe dum calcearetur, partes, causas audivisse, auditasque decidisse itidem refert Doctor meus Conringius. Ignoscat mihi vir Summus, quod non per omnia ipsi in hac opinione adstipulari possim. Vti enim immortalitas litium rebuspubl. perniciosissima est, (ut rectè dicitur in l. 3. c. *de Præscr. 30. vel 40. ann.* item in l. *Properandum.* C. *de Iudic.*) panisque ac justitia in foro reip. bene constitutæ indubitata signa sint;

De iure Iustinianeo in Germania recepto.

ita quoque præcipitantia (*Vberschnellung*) est noverca justitiæ. Vnde *Oldendorpius* (in Tr. de Except. p. 126.) rectè asserit : Nunquam judicibus satis inculcari posse illud : *Festina lente.* Minima enim circumstantia, non rectè attenta , iniquam parit sententiam. Hinc recta ratio dictitat, ut inter immortalitatem longosque tractus, & præcipitantiam medium servetur. De reliquo personæ litigantes , id est, actor reus, horumque Advocati & Procuratores , ut & judices officium suum dexterrimè & bonâ fide faciant ; Processus legitimi ambages ac mille veluti Mæandri tollantur, & tum apparebit , non juri Iustinianeo , sed personis illud in foro tractantibus omnes ejusmodi nævos esse adscribendos. (add. Dn. *Forstner.* ad l. 2. Annal. Tacit. p. 307. 310. & seqq. & Dn. *Brunneman.* de Processu,passim & Autor libelli cui tit. *Bedencken Wie & wan dem hochnotigen Iustitien wercke zu helffen* , apud *Wehner.* in obs. Pract. in voc. *Iustizwesen.*) Insuper cum *Georgio Schonbornero* (l. 3. Pol c. 7.) seriò optamus, *ut nostra ætate fata aliquem animent Iulium , qui jus civile ad certum modum redigat , atque ex immensâ diffusaque legum copia optima quaque & necessaria in paucissimos conferat libros.* Hodie enim adhuc in Academiis dediscenda addiscere , atque magno conatu magnas sæpenumero nugas tractare cogimur. Priusquam autem Germaniæ nostræ ejusmodi Justinianus contingat,apprimè utile esset , ut privatus quidam ad exemplum

Consilium circa Corpus Iuris.

Groenevvegii totum juris corpus penetret, legesque, foris Germaniæ superioris non convenientes, & quæ in desuetudinem abierunt, diligenter annotet. Æternam sanè laudem is merebitur, qui ex Cameralistarum, Carpzovii, Berlichii, Hahnii, Richteri, Mævii aliorumque præcellentium nostri seculi Ictorum scriniis adjutus, tam præclaram communi Patriæ operam inposterū navabit. Viris, ad hoc tā præclarum negotium aptissimis, Germ. nostra hodie abundat: Vivunt enim in eâ Strauchii, Struvii, Werneri, Eichelii, Bockelmanni, Lauterbachii, Mauritii, aliique excellentissimi Doctores, qui Ius Iustinianeum facili negotio ad nostros mores hodiernos accommodare possent. O utinam illum diem videre liceret, quo felix recentium jurium curiositas felicissima incrementa tandem sumeret! Sic enim post Sacras Pandectas sacrumque Codicem, Iuris Iustinianei Corpore nullus liber erit in universo mundo præstantior. Etiamnum illud immensum juris nostri Corpus, quamvis multis inutilibus quisquiliis, respectu ad hodiernum seculum habito, scateat; tamen adeò adspectabile & visu jucundum, integrum & rectum est, ut tam elegans Christiana Respublica datura non esset, quàm elegans datum ab Ethnicis, uti judicat acutissimus Ictus *Antonius Matthæi*, Groningensis olim Professor, (Disput. 12. de Fundam. Iur. al. jaciendis th. 34.) Jus verò Canonicum quod attinet, illius Corpus rejectis & resectis inutilibus, facilè ad Evangelicorum

Iudicium de Corpore Iuris.

De Iure Canonico.

mores in brevem librum compingi posset. Certè multa absurda, impia, injuriosa, contradictoria, fabulosa in hoc jure continentur. Nam [1.] Pontifex in eo dicitur Deus, (c. 7. Dist. 96.) divinâ mente præditus (c.10. Eod.) & ceu Luna à Sole, sic Principes terrarum à Papâ obscurantur (c. 6. Extr. de Major. & obed.) cui omnis humana creatura de necessitate salutis subest (c. Vnam sanctam. Extrav. comm. de Major. & obed.) [2.] Fabula de donatione Constantini M. (quam fictitia ranarum & murium pugna, ingenio Homeri excogitata, & à Georgio Rollenhagio elegantissimis Germanicis rythmis expressa, veritate vincit) habetur in c. Constantinus. Dist. 96. Multa præterea in illo jure in injuriam Sacro-sancti nostri Imperii referuntur v. g. [1.] quod Imperator Papæ juramentum fidelitatis præstare debeat (Clement. unic. de Iurejur.) [2.] quòd Imperium Rom. ab Apostolicâ sede in personam Caroli M. à Græcis sit translatum ad Germanos. (c. Venerabilem de Elect. & elec. p. pot.) [3.] quod Imperator pendeat ex Papæ judicio, non autem Papa ab Imperio, & propterea Papa possit Imperatores & Reges deponere, itemque excommunicare. (c. Duo sunt. Dist. 96.) [4.] quòd Electores Imperii sint à Gregorio V. Papa constituti. (c. Venerabilem de Elect. & elec. pot.) unde & Papa Innocentius X. contra Octo-virum, ab Imperio universo recens Electorali Collegio additum, per nuncium suum Fabium Chisum Monasterii, conclusâ

Pace, protestatus est. [5.] quòd Papa vacante Imperio in eo succedat. (Clement. Pastoralis de sent. & de re judic.) De contradictionibus juris Canonici elegantem dissertationem emisit Ictus solidi judicii Cl. Dn. Ioan. Iacob. Wissembachius. Vnde miror, quare hodie Protestantes illius juris Reformationem non communi consilio procurent, quum sine dubio Papa in meretricio suo sinu gaudeat, quòd adhuc Evangelici jus suum Ecclesiastico Imperatorium adhuc tanti æstiment. Operæ pretium sanè esset, ut meliora excerperentur, reliquaque impia, & inutilia ad brevia & piper abjicerentur. *Ferrariensis.* insignis Practicus Pontificius non adeò lata pomæria Iuri Canonici concedit: *Servetur*, inquit, *jus Canonicum inter Clericos, qui conscientiam portant in caputio, quo abjecto eorum conscientia abjicitur.* Iam rursus ad Autorem. Is (§. 13. vers. *Habent autem* &c.) egregiè exponit quid circa legislatoriam potestatem hodie in Imperio obtineat. De judiciorum potestate & jurisdictione Imperii hodierna Dn. de Monzambano (§. 14. & seqq.) Conringium secutus, egregiè porrò differit, quæ fusius legi poterunt in Aut. ad Instr. Pac. p. 2. Disc. 19. in tot. ubi agitur *Von Ausstragen, Faustrecht, Fursten Recht, Cammergericht, und Reichs Hoffrath.* De Comitiis quæ [§. 23. & seqq.] tradit Autor, novissimè illustrari possunt ex Dn. *Eitel Friderichs von Heerden Grundveste des Reichs* add. *Comitiolog. Ratisbon.* de an. 1654. & *Aut. ad Instr.*

Pac. p. 3. Disc. 3. & p. 2. Disc. 18. De voto decisivo in Comitiis urbibus Imperii competente, quem punctum Autor §. 26. tangit, vid. *Burgold.* ad Instr. Pac. p. 3. Disc. 10. in tot. De Reservatis Imperatoris [quæ Autor. §. 27. delibat] Legendus esset præ cæteris *Stamlerus.* (Tr. de hac materiâ conscripto) nisi is præ nimia in Cæsarem adulatione omnia ferè Imperii universi jura Majestatica ad illa referret. Adeundus ergo Limnæus & alii, qui sine affectibus hanc materiam in juris publici tractatibus sunt exsecuti. Nimium verò in hac doctrina Stamlerus; parum verò Hippolitus à Lapide offendit [conf. *Burgold.* ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 10. n. 15. De juribus] Statuum Imperii quæ Autor §. 28. affert, ea illustranda sunt ex *Limnæo* (l.4.de I.P.c.8.) (p. 3. ad Instr. Pac. Disc. 1.) & aliis. Coronidis loco notandus est Autoris (§. 28. in fin.) consuetus error, dum Imperium ex multis fœderatis Rebuspublicis constare innuit. Non enim sequitur Ordines Imperii ditiones suas tanquam feuda ab Imperatore & Imperio recognoscunt, ipsique juramentum fidelitatis præstant: Ergo Status sunt Imperatori fœdere inæquali juncti. Sed ita debebat Autor calceum vertere: Principes ac Status Imperii, provinciis ab Imperio in feudum traditis, liberâ potestate præsunt, & dein summi Imperii cives existunt. Ergo *Imperium tanquam verè una Respublica complectitur in ventre suo multas minores ac subalternas Civitates summum Imperium quoad regimen imitantes.*

Reservata.

Error Mozambani consuetus, Von des H. Reichs Bunds Verwanten.

t

tantes. Fallus etiam in eo est Autor, quod existimat investituram feudalem non habere veræ collationis vim, quod apertè cum sana juris Feudalis doctrinâ pugnat. Nam ceremoniæ illæ investiendi signa ipsius feudi collati sunt; quod vel ex eo patet, quod investiturâ intra annum & diem sine prægnanti causa à vasallo non petitâ, is feudo privetur. Imò dum ditiones illas vocamus *Lehen*, & quidem *Reichslehen*, facilè apparet feuda illa tanquam separatas ab Imperio ditiones, ratione fœderis tantum ei annexas, considerari minime posse. Quin ipse Autor h. c. confitetur Ordines ditiones suas tanquam feuda ab Imperatore & Imperio agnoscere; ex quo sequitur ditiones illas non separatas sed feudi vinculo annexas ac particulares summi ac universi Imperii Respublicas constituere. Ad hoc, feudum Politici fœderis horizonte circumscribi, hactenus inauditum fuit. An verò socius in socium, si pacta conventa violet, judex est? an æqualis in æqualem, socius in socium habet imperium? Et quis audivit confæderatum contra confæderatos feloniam admittere, & propter illam ab iis Republica suâ exui atque privari posse? Vno verbo hæc Monzambanea nova opinio, peregrini in patria ingenio conficta, cum notoria rerum Imperii praxi pugnans, tanquam ens Chimericum aut Hippocentaurus æstimanda, atque ita pro minimè reali habenda. Quod si admittenda esset hæc absurda Itali nostri opinio, sequeretur, Status nullum

agnoſcere ſuperiorem, neque in Imperii Republica jus civitatis obtinere. Imperator enim, ut Ordinibus par, inæqualis tamen eorum fœderatus, non poſſet ipſis jus dicere, quum par in parem non habeat imperium. Imò cum Principes, Comites, Barones ac Civitates Imperiales dicantur Status & ordines Imperii, neceſſe eſt, ut in aliqua communi Republ. ſtationem & ordinem habeant, quum Reſpubl. ſit ordo civitatis, cujus ordinis qui eſt particeps, Status ſive civis dicitur. Sane reſpectu ditionum & Provinciarum ſuarum non dicuntur, & ſunt, Status atque ordines, ſed *des H. Reichs Stände und deſſen einverleibte Glieder*. Vnde frivolæ argutiæ & ineptiæ meræ ſunt, quando Autor ita argumentatur per conſequentis fallacias: Socii invicem juramenti vinculo conſtringuntur: Et Socii in conventibus propriis ſumptibus comparere tenentur. Ergo Status ſunt Imperatoris ſocii. Ita debebat pro ſua ridicula opinione concludere: Socius minor à ſocio majori ditiones ſuas tanquam feuda agnoſcit. Ergo Status ſunt Imperatoris ſocii. Sed ita conſequentia falſa. Falſiſſimum porrò eſt, ſocium qua talem, coram ſocio majori in jus vocari, & ubi in ſocietatem graviter deliquit, proſcribi & ditionibus poſſe exui. Sed quid opus eſt adeò multis Autoris manifeſtum errorem convincere?

DISCVRSVS XII.

De Forma Imperii Germanici hodierna.

Ad cap. 6.

I. DE forma Imperii Romano-Germanici hodierna, potiſſimum poſt concluſam Monaſterienſem Pacem, contra Autorem noſtrum acturi, prius veriſſimam, experientiæque rerum Imperii convenientiſſimam, ſententiam præmittemus. Eam autem verbis Dn. *Ludolphi Hugonis* (in Diſſert. de Statu Region. German. in princ.) ita proponimus: *Duplici regimine Imperium noſtrum adminiſtrari animadvertimus: Nam & communi aliquâ Republ. Imperium univerſum regitur; & ſingulæ regiones ex quibus componitur, proprios quoſdam Principes vel magiſtratus judicia, & conſilia, atque adeò peculiarem quandam ſuperiori illi ſubjectam Rempubl. habent.* Hæc autem communis Reſpubl. & civile corpus Germanicum, quod in Comitiis Imperii pleniſſimè repræſentatur, ex Regno & Ariſtocratiâ mixtum eſt. Id quod tali argumento nos evincimus: Vbi penes uno plures diviſim ſumma poteſtas circa majeſtatis jura eſt, juraque majeſtatis ita communicata ſunt, ut nec Rex ſine Senatu, nec Senatus ſine Rege illa obtineat, ibi eſt mixta Reſpubl. ut patet ex definitione mixtæ Reip. apud Ari-

Forma Imperii Germanici hodierna.

ſtotelem & alios. Atqui in Regno Germaniæ (Nam quod Imperium Romanum, id eſt, dominium in urbem Romam, Papam & Patrimonium ejus, attinet, reſpectu ejus Imperator Monarchicè imperat; de facto tamen injuriis Paparum hodie illud Imperium dormit) penes uno plures diviſim ſumma poteſtas circa majeſtatis jura eſt &c. Ergo. Minor ita probatur: Solus enim Imperator jura majeſtatis non habet, ſed in illorum partem concurrunt tria Imperii ſenatus collegia: *Der Chur Furſten, Furſten und der Stadte Rath*, majeſtaſque Imperii hodie reſidet penes Imperatorem, ac univerſos Ordines ſimul, & ab his ac illo Majeſtatis jura pro rata juxta proportionem non Arithmeticam ſed Geometricam exercentur. Omnia ſiquidem Imperialis majeſtatis jura inter Caput, id eſt, Imperatorem & Membra, id eſt, Satus Imperii diviſim exercentur, ut ita diviſum Imperium cum Cæſare Status habeant. (Vid. *art.* 8. *Inſtr. Pac. Cæſ. Suec.* §. *Gaudeant.*) Quantum autem in ſingulis juribus Imperii Majeſtaticis Imperatori & Statibus adſcribendum ſit, inter Publiciſtas non adeò convenit, utpote quum in Comitiis exercitium illorum jurium inter Cæſarem & Ordines per mutuos metus reverentiales, ac ſpes ſecretos magis, quam profeſſos, anxiè trahatur, & ſtateræ bilancis in nonnullis magis ad Cæſarem, in nonnullis magis ad ſtatus incliner, atque ita modò Imperator, modò ſtatus in expeditionibus publicorum Imperii negotiorum præponde-

rent ac prævaleant. Vt adeò utplurimum non æqua, ſed inæquali lance Majeſtas Imperii hodie, experientiâ teſte, ponderanda veniat, dum interdum Cæſar Statuum, interdum Status Cæſaris ſententiæ accedunt, ac ita unanimiter tandem conſpirant. (Vid. plurib. *Hermes* in Faſcic. Iur. publ. c. 36. n. 79. 80. 81.)

II. Ex hiſce patet non eſſe veram opinionem illorum, qui dimidium in ſingulis Majeſtatis juribus Cæſari adſcribunt, dimidium verò Statibus. Noviſſime Dn. *Bruggeman* (de Scopo Reip. Germ. ſect. 1. n. 7.) aſſerit pleraque imò lautiora & potiora Majeſtatis jura univerſis Ordinibus ſimul competere, nec ſolius Imperatoris arbitrio & Dictaturæ relicta eſſe; unde idem concludit, Majeſtatem Imperii potiſſimum eſſe penes Ordines univerſos, adeoque Ariſtocratiam in Germanorum Republica præcellere, in quam ſententiam quoque *Arniſæus* & Dn. *Limnæus* inclinant. Idem Dn. *Bruggeman* (Tr. cit. p. 49.) ita: *Controverti nequit, quin mixta planè illius Reipub. forma emergat, in quâ Ordines eminentiores libertatem ſibi ſuam laxiori quodam Comitiorum jure vindicare ſatagunt. Sicubi namque in Comitiis Ordinibus non modò conſultandi jus competit, ſed & decernendi ac ſtatuendi ſimul poteſtas communicata inſuper reperitur, quis ibit inficias quin Reſpub. illa Ariſtocratiam eatenus ſaltem ſapiat?* Dn. *Conringius* (in not. ad Lampad.) talem cenſuram de noſtra Repubublicâ fert: *Etſi negari nequeat comitia ſi*

An in Majeſtatu Imperii juribus ſibi Cæſar dimidium voc. dicet.

Conringii judicium.

videas & rerum in iis agendarum vim atque autoritatem, Rempubl. esse mere Aristocraticam: quoniam tamen Cæsar nonnulla adhuc agit per Imperium, quæ ad Comitiorum Imperii definitionem non attinent, facile liquet, Imperium nostrum Germanicum Rempubl. esse mixtam ex Principatu & Statu Aristocratico. Hinc recte *Autor der Grundveste des Reichs* (p. 1. c. 1.) Status vocat, *Partes Principales und mit-interessenten an dem statu & formâ Regiminis.*

Disparitas Statuũ quoad exercitiũ iurium Maiestatis.

III. Si consideramus porrò concurrentiam Statuum in juribus Imperii Majestaticis magna hic etiam apparet disparitas. Nam Principes Imperii pro se quisque seorsim quatuor tantum vota exercent: Civitates verò Imperii tantum duplicis voti jus habent. Vt adeò ex his pateat Imperii Status, qui participant jura majestatis, ad se invicem consideratos, inæqualiter Politicæ in Imperio potestatis esse compotes, ut rectè censet Dn. *Textor.* de Rat. Stat. Germ. p. 48. & 53.

Quæ sint mixta Resp.

IV. Politici docent Majestatis jura ita divisa esse posse: ut quædam Rex, quædam Senatus habeat, aut quædam optimates, quædam plebs. Interdum ita communicantur, ut nec Rex sine Senatu, nec Senatus sine Rege ea obtineat, iisve plebs simul fruatur & nobiliores, teste *Besoldo* [l. 1. Pol. c. 8. §. 2.] & Dn. *Cellario* [l. 2. Pol. c. 6. n. 22.] Nostra Respub. posteriori modo potissimum mixta est, ita ut in summæ potestatis juribus nec Imperator sine Statibus, nec Status sine Imperatore aliquid possint. [Vid. plurib. *Au-*

tor. ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 10. n. 16. p. 2. Disc. 5. in tot.] Et in hanc sententiam trahenda sunt verba quæ nuper ex Discursu Amici excepi: *Die Charten müsten anizo in Imperij Statu mixto alsogegeben und vermischet Werden, das die Kaiserl. Hoheit, und der Stande Freyheit nicht gesvvechet noch geschmelert Uverde.* Iam ad nostrum Autorem.

V. Autor noster [§. 1. & 3. c. 6.] hæresin Politicam de Reipub. nostræ irregulari ac monstrosâ formâ plantare, ac quoque conconvitia in Scriptores juris publici Germanici spargere incipit; Ast erroribus istis atque maledicentiæ in sequentibus, ut equidem spero, satisfiet, & quidem quod attinet errorem quem [§. 3.] circa definitionem civium Imperii Germanici satis crassè commisit, jam supra [Disc. de Statibus Imperii in genere] ille solidis [ut arbitror] rationibus confutatus atque rejectus fuit. Non jam vacat argumenta illa quæ Autor [§. 4. & 5.] pro Aristocratiâ, ac contra eam affert, expendere, præsertim, quod attinet distinctionem inter formam Reipub. & modum administrationis, & alia, in quibus Autor modò verum, modò falsum profitetur. Idem [§. 6.] de quæstione, an Monarchiâ in Imperio obtineat? agens, vera falsis quoque miscet, præsertim quando asserit, Imperatorem neminem superiorem recognoscere nisi Deum & ensem, ad quam assertionem, vero minimè consentaneam, frustra quoque exemplum de Hollandia applicat. De Hippolito à Lapide [§. 7.] Autor *Errores Monzam-*

bene judicat, ejusque opiniones pro Aristocratiâ purâ ibidem convellere satagit. Porrò [§. 8.] Autor Boxhorniana castra apertè ingreditur, & rempub. mixtam dari negat, quæ tamen singularis opinio, præterquam quod contra manifestam ac notoriam experientiam pugnet, satis confutata est à Cl. Viro Dn. *Ioanne Eichelio* [in Diss. de Repub. mixt.] *Arnisæo* [l. 2. de Repub. c. 6.] Dn. *Zieglero* [de Iur. Majest. Dissert. 2. §. 5. & seqq.] & aliis. Nam eo ipso, quo in Republicâ una simplex forma præcellit, ut alia quoque adsit, cui præcellat, requiritur. Disparitas autem miscibilium veram mixturam haud impedit. [Dn. *Schmidel.* ad Boxhorn. Diss. de Imper. Rom. p. 330. Falsissimus itaque est Autor quando asserit, qualemcunque mixturam non nisi monstrum aliquod civitatis producere aptam esse, quum potius elegantissimam Politicam Harmoniam producat. Imò si ratio hæc Autoris quicquam valeret, sequeretur etiam ex mente ejus, Rempub. Imperii esse mixtam, quum infra eam pro Politico monstro venditet. Vt apparet ex §. 8. vers. *Præterquam enim quod* &c. verb. *neque ejusdem potestatis*, Autor est in eâ opinione quasi tantùm illa sit mixtæ Reip. forma, in quâ ejusdem potestatis partes inter diversas personas aut collegia sunt distributæ. Sed oppido fallitur, uti ex n. 4. h. Disc. patet.

Monzambani error circa for- VI. Rejectis aliorum sententiis Autor [§. 9.] nunc suam mentem de Germanici Regni forma aperit, nempe Germaniam esse ir-

regulare aliquod corpus & monstro simile, eamque ad fœderatorum sive plurium civitatum aliquod systema ultro vergere, in quo unus Princeps aut Dux Fœderis emineat, simulacris Regiis vestitus. Hanc Chimæricam & monstrosam opinionem de Imperii nostri forma in tenerrimo cerebro suo finxit noster Italus, contra quem doctum calamum suum strinxit non adeò pridem Dn. *Brüggeman* (Dissert. de Scopo Reip. German. in Corollar.) Meritò autem Autor noster, aliàs in traducendis ac irridendis Iuris publici Germanici Scriptoribus satis promptus & proclivis, ipsis ludibrium rursus debet, dum in locum melioris ac verissimæ sententiæ, quæ mixtionem formæ Reip. Germanicæ asserit, deterrimam atque absurdam opinionem substituit. Primum autem falsus est in eo Autor, quod Germaniæ statum ad regulas civilis scientiæ exigi posse neget. Contrarium nos paulo ante (n. 2.) ostendimus, nempe Germaniam, juxta summi Imperii ideam, mixtæ formæ indolem præ se ferre, juxta definitionem Reip. mixtæ. Deinde etiam noster Severinus, Cornicum oculos configens, ac Senes de ponte dejiciens, valde ridiculus in eo est, quòd Imperii nostri formam hodiernam ex turbulentis ac fluctuantibus Germaniæ rebus æstimare ac deducere velit. Quando enim de præsenti alicujus Reip. statu judicium ferre volumus, non utique respicere debemus, quomodo olim, & heri ratio reipub. sese habuerit, sed quomodo hodie & nunc illa com-

mã Reip. Germanicæ

parata sit. Non quærimus jam, quæ forma præteritis seculis in Germaniæ regno obtinuerit, adeoque historiam mutati Status Germaniæ jam non exigimus. Satis enim in superioribus discursibus explanavimus, quomodo Germania (ævo Taciti libertate plenissimè gaudens, postea verò vi majore Francorum in servitutem fermè in totum depressa) Ottonum ævo rursus libertatem per Duces & Comites ex parte recuperarit, atque ita ex simplici pæne regno habitum mixtum ex Majestate & libertate induerit. In tali statu, quo sub Ottonibus & aliis Cæsaribus viguit ac floruit, felicissimè atque tranquillè manere Germania usque ad nostra tempora potuisset, nisi monstrum horrendum, ingens, informe, cui lumen ademptum, in arce Tarpeja Romæ exortum fuisset, quod perpetuò Germaniam, dividendo ac Caput cum Membris Imperii collidendo Rempubl. nostram perpetuis ferè tempestatibus bellorum civilium adeo involvit, ut, nisi pia & clementia fata miserum ac perturbatum Germaniæ statum rursus respexissent, nunc Germaniam in Germania quærentes, illam tamen nuspiam inveniremus. Quomodo præcipuè tempore Henrici IV. V. Friderici I. & II. & aliorum Cæsarum Papa Romanus, perpetuum Christianarum Rerumpubl. flagellum, nostrum Imperium miserè afflixerit, jam supra satis fuit expositum. Quibus verò de causis sub Carolo V. ac Ferdinando II. Cæsaribus Germanicum Imperium adeò in se divisum

fuerit, in propriaque viſcera crudeliter ſævierit, fuſè ſecundum rei veritatem expoſuit *Autor. ad Inſtr. Pac.* part. 1. Diſc. 1. in tot. Non itaque ipſa mixtæ Reip. Germaniæ forma, ſed Pontificis, Hiſpanorum aliorumque Imperii hoſtium in tolerabilis ambitio in Imperio Romano-Germanico tot monſtra incivilia peperit, quod ipſum noſter Severinus, Cenſuram Germanicæ Reip. formæ ſuſcipiens, probè attendere debuiſſet, antequam craſſum, inſulſum ac indigeſtum de forma Germanici Regni judicium erudito Orbi & ſubtiliſſimo hujus ſeculi genio ita manifeſtare inciperet. Quum itaque Germanici Regni viciſſitudines civileſque motus non ex interiori Reipubl. forma, ut ita dicam, informante, ſed extrinſecus per dolos & machinationes Paparum ac Hiſpanorum in Germaniam irrepſerint, videat noſter Severinus, quomodo leviſſimam ſuam opinionem de Reipublicæ mixtæ monſtroſo ac infelici partu defendere poſſit. Germania ſanè noſtra nihil monſtri alit: Conſtat enim illud ſummæ ac ſublimis Reipub. corpus ex Capite, id eſt, Imperatore, ac Membris, id eſt, Statibus, dulci harmonia nunc iterum poſt Pacem Monaſterienſem unitis. Hæc forma quomodo cæperit, vide apud *Aut. ad Inſtr. Pac.* p. 2. Diſc. 5. n. 1. Si vera potius, quam dictu ſpecioſa dicere velimus, ſtatus Germaniæ temporibus Henrici IV. uſque ad Rudolphum I. perpetuis ferè fluctibus à Pontificibus Romanis fuit expoſitus, qui nondum in totum com-

poni potuerunt, nisi Caroli IV. Imperatoris temporibus, qui conditâ, cum Electorum, Principum & Ordinum consensu, Aurea fundamentali Imperii Lege, frequentes Principum tum in creando Imperatore, tum in aliis ad Imperium pertinentibus rebus dissensiones, quæ Pontificum flabello à tempore Henrici IV. perpetuo quasi Germaniam afflixerunt, sopivit. Atque exin fortius Germaniæ regnum Aristocratica Ordinum libertate temperari cæpit, quum satis liquido ex A. B. constet, jura majestatis, ex quibus de statu judicandum est, inter Imperatorem, Electores aliosque Imperii Ordines esse divisa. Quum dein pellis Leonina Paparum nihil in Imperio amplius moliri posset, sensimque Imperator & Ordines dulci harmoniâ rursus conspirarent, tandem Maximilianus I. qui rerum Germanicarum statusque Germanici exactam profundamque habuit notitiam, in Comitiis de an. 1595. per expressam sanctionem omnia jura Majestatis cum Ordinibus communicavit. (Vid. Dn. *Textor.* de Rat. Stat. Germ. p. 19.) Post Maximilianum dein Carolus V. ob nimiam potentiam, plus ultra Politicæ mediocritatis terminos evagantem, Libertatem istam ac jura Ordinum, qui dissimili fulgore parès Cæsari se gerebant, non ferens, de παμβασιλεία in Germaniâ rursus fundanda cogitavit, quod idem erat atque Gigantum more cum Deo bellare, & quasi adversus Olympum spuere, quum hactenus omnium seculorum, post Christum natum,

experientiâ conſtet, Arſacis regno acriorem Germaniæ libertatem extitiſſe, & adhuc exiſtere. Alea à Carolo V. itaque jacta quum infeliciter caderet, harmonia iterum in mixto Imperii ſtatu concordi concordia floruit ſub Ferdinando I. & Maximiliano II. Cæſaribus. Pax enim religioſa, arx illud & Palladium Sacri Imperii, inviolabiliter cuſtodita, atque ubique cælum in Germania ſerenum tum fuit. Sub Rudolpho II. deìn, ac Matthiâ, rurſus Papa & Hiſpano-Jeſuitiſati Imperii navem, hactenus ſine fluctibus in tranquillo mari ſtantem, commovere, ac tandem, concitatis Bohemicis tumultibus, proram & puppim illius in profundum ſubmergere cæperunt. Sic exortum tricennale bellum, in quo quum proſpera fortuna Ferdinando II. arrideret, illum Libertatem Ordinum rurſus deprimere plenioremque Monarchiam in Germaniam reducere velle multi crediderunt. (Vid. *Aut. ad Inſtr. Pac.* p. 1. Diſc. 14.) Quod ipſum quum Illuſtres animæ facile ſubodorarentur, Suecorum Rege in auxilium vocato, Libertatem inæſtimabilem, pretioſè & carè admodum emptam ac per tot ſecula conſervatam, ſtrenuè defenderunt, ac, ſtabilitâ Monaſterienſi Pace, concurrentiam in juribus Imperii Majeſtaticis ſibi in perpetuum rurſus aſſeruerunt per Inſtr. Pac. artic. 8. §. *Gaudeant.* Quod ſi itaque ſtatum Imperii à temporibus Henrici IV. Cæſaris uſque ad an. 1648. reſpicimus, fuit is ſemper ferè turbis atque fluctibus involutus. Vt adeò rectè

cum Illustri Dn. *Forstnero* (ad l. 13. Ann. Tacit. c. 54.) asserere possimus, Pacem Monasteriensem certam Reipub. Imperii formam dedisse. Monstra autem illa, quæ præteritis seculis in Imperio nata sunt, non ex mixta Germanici regni forma, ut falsissimè cæcutiens noster Severinus putat, sed extrinsecus à Papali sede & Madritiano Escuriali arcessenda veniunt; adeoque Autor falláciâ accidentis erudito Orbi imponit, dum id quod per accidens extrinsecus advenit ipsi Reipublicæ Germanicæ statui adscribit. Quin & aliàs inter rerum gnaros constat, nihil fermè in civilibus rebus inveniri posse, quod incommodorum penitus expers sit. Nam qualemcunque formam gubernationis animo finxeris, nunquam incommodis aut periculis carebit. (*Hug. Grot.* l. 1. de I. B. & P. c. 3. p. 49. & §. 17. Et qui potest mixta Germaniæ forma, quæ non nisi harmoniacam majestatem parit, monstra ex se producere? Quin potius mixta illa regiminis forma omnium in mundo est pulcherrima, saltem si in concreto de hodierna mundi Poneropoli loqui velimus. Alias verò in thesi & in abstracto sola simplex Monarchia, Divini Numinis regimen tanquam in speculo exprimens, familiam ducit, atque primo loco ponenda venit. Quum verò in Rebusp. Monarchicis licentiâ regni hodie Reges convelli atque in transversum rapi soleant, ut experientia testatur, nullus sanè pro malis temporum status erit melior, quam ubi divisam majestatem

v. g. Rex & Ordines junctim atque mixtim possident. Sic enim non est metuendum, ne exlex licentiæ Siren Reges extra legitimos circulos abripiat; imò facilius ac melius quando uno plures eo modo ad clavum sedent in singulis Reip. juribus majestaticis plurium oculis provideri potest, ne quid Respubl. detrimenti capiat. Quum verò nostra Germania regia atque Aristocratica forma hodie, experientiâ teste, temperetur, (atque ita quidem, ut singula majestatis Imperii jura potiora Imperator & Status divisim possideant, atque in comitiis exerceceant, & quidem Imperator in singulis sibi plus, quam singula Imperii Collegia; Electores verò & Principes rursus plus quam Comites Barones & Civitates itidem in iis sibi vindicent) quo pacto ex illo statu monstrum & irregularitas nasci possit, non video. Imo sapientissimus inter Græcos Philosophos *Aristoteles* apertè præ se fert, ipsas formas mixtas simplicibus esse meliores: *Quidam* (ait l. 2. Pol. c. 4.) *dicunt oportere optimam rempubl. ex omnibus rebuspublicis temperatam esse.* Et mox: *Melius dicunt qui plures miscent: Respublica enim quæ conflata est è pluribus melior est.* Imò optimè mixta censenda est illa Respublica, in qua jura majestatis ita divisa, ut pro variâ ratione sic distributa sint, ut quæque pars & videatur imperium habere, & ab eo destituta esse. (Vid. *Arist.* 4. Pol. c. 9.) Hinc, quum in Germanicâ Republ. Majestatis jura secun-

dum mentem hanc Aristotelis ita distincta & aptata sint,ut dubium sit num ad Aristocratiæ an verò Monarchiæ pomæria propius accedat, apparet elegantissimam mixtionem in eâ vigere, contra assertionem Autoris,quam §. 3. in pr. hora c. ponit. Et quæ est audacia Autoris, dum adhuc post Monasteriensis Pacificationis art. 8. scribere non veretur Germaniam esse irregulare aliquod corpus & monstro simile? Forsan specilla status (quæ vocant) secum non habuit domi in pinacothecâ sua, dum ista scriberet, aut, verius, effutiret. In summa: Severini sententia, qua mixtis Rebuspub. monstrum & abortum affingit, à monstro parum abest.

VII. Nec est porrò, quod Autor socordem facilitatem Cæsarum, & ambitionem Principum h. l. suggillet. Quod enim Cæsares attinet, illi fracta & debilitata potentiâ Regum Francorum, & ingruentibus externis hostibus, probè viderunt, saluti Germaniæ aliter caveri non posse, quam si Ducibus & Comitibus Ducatus, Marchionatus, Comitatus hereditario jure (salvâ tamen summi Imperii auctoritate) possidendas relinquerent. Quod autem nonnulli, Barclajum secuti, existiment, Germaniam, ex quo Optimates commissas sibi quondam provincias in Ptincipatus mutaverunt, & beneficia in sobolem transmiserunt, Domino pæne excidisse, id sine dubio non ad ipsum Germaniæ mixtum statum applicandum; sed potius ad temporum, à Papa, Hispanis aliisque

aliiſque turbatorum, injurias conferendum eſt. (Vid. *Aut. ad Inſtr. Pac.* p. 2. Diſc. 5. n. 6.) Servetur modò in Imperio harmonica concordia inter Caput & Membra illæſa; ſervetur dein æqualitas juxta proportionem Geometricam inter ipſos Status; Dentur denique Cæſari, quæ ſunt Cæſaris & relinquantur Statibus, quæ ipſis jure, jam ante multa ſeculo quæſito, competunt; Papæ, turbatoris Imperii, & Jeſuitarum effrenis audacia omnibus modis retundatnr, & nunquam harmonia Regni Germanici in monſtrum anarchicum degenerabit, ſed Pacificationi Monaſterienſi innixa firma & immobilis, veluti Polus in cælo, permanebit, nec exteri hoſtes unquam, uti hactenus per bella civilia factum, adverſus illam prævalebunt.

VIII. In Severino noſtro porrò laudare non poſſum, quod ambitionem Imperii Principum ſevero ſtylo ſuo notet. Conſiderare enim debuiſſet libertatem Germanicam Germanicis populis ſemper extitiſſe auro contra caram. Hæc quum, ob vim majorem Francicorum Regum, paſſim afflicta ſub jugo gemeret, quid mirum ſi dein fractâ illorum potentiâ, occaſione ſe offerente, rurſus per generoſos Duces ac Comites reſumpta atque vindicata. Si libertatis illam vindicationem Autor noſter ambitionem vocat, honeſta ſanè illa ambitio eſt, neque ſimpliciter in eorum caſtra tranſire poſſum, qui ad haſce recuperatæ Germanicę libertatis vindicias illud

Taciti (l. 14. Ann. c. 18.) accommodant: *Sæpe possessores diutinâ licentiâ & injuriâ quasi jure & æquo-niti.* Melius enim hoc ad turbulentiam Sacerdotum, quam Autor l. attingit, applicari potest. Quæ porrò illatio est Severini nostri? Respublica Germanica neque Regnum limitatum appellari, neque corpus aliquod civile, fæderum societate constans, meretur censeri: Ergo est aliquid inter hæc duo fluctuans? Dominus Severinus noster reddere deberet rationem hujus sequelæ, & probare quare Respubl. Germanica mixtas inter Respublicas recenseri nequeat: Quod cum non faciat, metuendum, ut forsan inter minimè bonos Reip. cives, qui præsentem statum calumniis traducere solent, primum locum obtineat. (add. Dn. Bruggeman. l. cit.)

Germania non est regnum limitatum.

IX. Regnum verò limitatum non esse nostram Germaniam (vt bene quidem §. 8. asserit Autor) patet ex art. 8. Instr. Pac. junc. Recel. Imp. de an. 1489. Vbi manifesta status Polyarchici indicia apparent, quæque minimè cum Monarchico statu, utut limitato, simul consistere valent. Qualis enim Monarcha, qui nullam proprio motu potest condere, abrogare aut interpretari legem, nullum ordiri bellum, fœdus inire nullum &c.? Sanè si nulla Comitia in Germania celebrarentur, ibique nullus Statuum jus suffragii haberet, sed Imperator electus solum ad capitulationem, in qua nihil de concurrentiâ in juribus majestaticis desponeretur, esset adstrictus,

forsan sententia de limitato Germaniæ regno non esset adeo absurda. Ex hactenus dictis abunde constat non simplicem, sed mixtum in Germaniâ obtinere statum. Certè in ea minimè unus Majestatis jura obtinet: Nec omnia Majestatis momenta penes universos Imperii Status sunt relicta, adeoque nec Monarchia nec Aristocratia simplex in illâ obtinet. Relinquitur ergo statum esse mixtum, quippe cum nonnulla majestatis jura à solâ arbitrariâ Imperatoris dispositione dependeant; potissima verò & pleraque, ut Imperatoris ab una, ita & Ordinum voluntati ac nutui ab alterâ parte devincta sint, ita tamen, ut neutra pars, scorsim sumpta, Majestatis vim ac energiam possit absolvere. Certissima etiam mixti status vestigia inde prorumpunt, quod Ordines Imperii Civilis Majestatis diverso invicem modo compotes evadant. Hæc autem inæqualis Majestatis participatio cum in simplici Repub. locum non inveniat, mixtum ubique statum, velut pollex gigantem, prodit, ut scitè loquitur Dn. *Bruggeman.* l. cit. *Resp. Germania est mixta.*

X. Falsus est porrò Autor, quòd internarum Imperii convulsionum quasi perpetuum fomitem in eo ponit, quod inter limitatum regnum & systema plurium civitatum fœderere nexarum illud fluctuet. Fallaciam enim non causæ, ut causæ, in eo committit. Veram causam nos supra h. Disc. n. 6. attulimus. Imprimis autem Severinus noster, tanti acuminis Vir, in eo vehementer labitur,

Imperium non constat ex fœderatis Rebuspub sed est verè una Resp multas sub ordinatas in ventre suo complectens.

quòd statuat Rempub. Germaniæ summam ad illa pertinere corpora civilia, quæ diversorum nexu fœderum coaluerunt, quum constet ejusmodi fœderum jure cohærentem societatem civilem non nisi inter Respublicas coordinatas distinctas & perfectas intercedere posse; quod secus est in iis, quarum altera alteri est subordinata, ut rectè judicat Dn. *Bruggemannus.* [de Scop. Reip. Germ. sect. 1. §. 6.] Proinde Severini nostri opinio, quæ plures separatas Respublicas in Regno Germaniæ fingit, omnino rejicienda est, quum ad verè unum Reip. Imperii corpus, quod post tot civilium bellorum fluctus per Pacem Monasteriensem rursus unitum, & ad harmonicam proportionem reductum est, dissolvendum tendat, multarumque Illustrium personarum animos à summi Imperii unione iterum avertere, & in alia omnia distrahere possit. Credo Autorem & alios, similia cum ipso garrientes, potissimum à Thuano esse seductos, qui (l. 2. Hist.) Germanicam Rempublicam, ex tot Principibus & Civitatibus compositam, comparat cum Amphyctionum consessu & Achæorum concilio; quum tamen Severinus noster & alii non ignorare deberent, Thuani in rebus Imperii tantam non esse auctoritatem, ut rationem & ipsum Lapidem Lydium, nempe experientiam, vincere queat, quum constet illum etiam in aliis Imperii nostri rebus uon acuratissimè judicare. Summi autem illius Historici judicium potius ad subordinatas Imperii Respubl. est

extendendum, utpote quum Summum Imperium sive Regnum Germaniæ ex pluribus pusillis ac subalternis Rebuspublicis arctissimo nexu in unum summum συςήμα colligatis exstruatur. (Vid. *Autor. ad Instr. Pac.* p. 5. Disc. 5. n. 7.) Quæ quum ita sint, Dn. Autorem nostrum, qui aliàs in notitiâ rerum Imperii tanquam Aquila in nubibus est, rogamus, ut monstris & irregularitatibus Imperii nostri optimum statum non amplius commaculare, neque Germaniæ verè unam Rempublicam acie acutissimi sui ingenii, contra autoritatem constitutionem Imperii & Scripturæ publicæ, à nemine hactenus repudiatæ, separare ac dividere pergat. Nec enim vera, saltem in hoc negotio, est criminatio *Hippoliti à Lapide*, Recessus Imperii parum accuratè loqui, & verbis magnificis contra naturam rerum sibi indulgere (p. 1. c. 4. sect. 3.) aut Ordines Imperii fœdâ sui status ignorantia decipi, ut idem Hippolitus Lapideus criminatur (p. 1. c. 4. sect. 5.) Ponamus autem Monzambaneam de confœderato Imperio Germanico opinionem esse ipsam veritatem, (quod tamen in æternum non est concedendum) respondeat tamen Autor, si potest, ad sequentes quæstiones : *An fœderatus à confœderato potentiori ac majori sive, ut Autor noster loqui amat, fœderis capite, dignitates, honores, jura, regalia, aliaque privilegia accipere possit?* Hactenus illud inauditum in exemplo, intolerandum in ratione. Fæderato enim, quatenus tali, nihil conceditur ma-

jestaticum, quum fœdera non nisi modo pactitio sanciri soleant. Iam verò nemo, nisi Autor negabit, prædicta axiomata majestaticè sive jure majestatico Principibus ab Imperatore concedi. Respondeat porrò Autor ad hanc quæstionem: *An fœderatus confœderato*, licet inæquale sit fœdus, ***homagium præstare***, ex natura fœderum proprie dictorum *possit*? Hactenus enim saniores Politici Homagium propriè sic dictum à juribus fœderatorum mirum quantum differre docuerunt. Et hæc est veritas. Iam verò inter hodiernos Publicistas constat Principes duplex Imperatori præstare juramentum [1.] fidelitatis ratione feudi, *den Reichs Lehen ayd* [2.] subjectionis ratione personæ, id est verum homagium, quod intuitu Imperii Imperatori à Principibus & Statibus præstatur, *das Sie Wollen dem H. Reich getrevv, hold und gevvertig sein.* Iam verò fœderatorum juramentum nullum respectum habet ad rem aliquam, sive territoria, qualia sunt Imperi feuda: Multo minus inter fœderatos obtinere potest homagium sive juramentum subjectionis. Aliud enim est fœderatus, aliud subjectus; eorumque nominum naturaliter inter se pugna est, quum fœdus pacto cōtrahatur inter similis aut dissimilis potentiæ pares & æquales jura majestatis habentes non verò inter imperantes & parentes, in quorum Catalogo omnino sunt Status, ut singuli spectati. Respondeat porrò Autor ad hanc quæstionem: *An inter fœderatos unus præcellentior in reliquos jure majestatico jurisdictionem sive ju-*

diciariam poteſtatem exercere poſſit? Non niſi jure pacticio illud fieri poſſe Politici aſſerunt. Sed Imperatori in Imperio noſtro juriſdictio in cauſis Principum, adjunctis curiæ Paribus, majeſtaticè convenit, ut ex Imperii legibus, uſuque & obſervantiâ immemorialis temporis conſtat. Et licet interdum abuſus aut certis caſibus querimonia interceſſerit, tamen id ad tollendum jus pertinere nequit. Denique fæderatorum uni ſive præcipuo juriſdictionem ita concedere exercendam, ſicuti Imperatori & Imperio eam exercere fas eſt, exemplo caret. Majorem in modum Dn. Autorem noſtrum proinde rogatum volo, ut proximis Francofurtenſibus nundinis ad hæc & alia reſpondeat. Pro veritate enim non niſi veritate certandum; perſuadeatque ſibi Severinus noſter, quod, monitus & edoctus rectiora atque veriora, libētiſſimè ipſum ſint ſecuturus. *Præſtat ſcilicet atque adeo oportet veritati ita ita eſſe addictos, ut præ illa vel noſtra ipſorum decreta evertere non dubitemus; præſertim quum Philoſophi quoque ſimus: Nam cum utraque chara ſint, pium eſt tamen antiquiorem habere veritatem.* (*Ariſtot.* l. 1. Eth. ad Nicom. c. 6.) Amicus Plato, amicus Socrates, ſed amica magis veritas. Quod exempla, ab Achæorum & Belgarum Fœdere petita, attinet, quæ paſſim in libello ſuo Autor ad Germaniæ Rempubl. accommodat, novam ipſius opinionem non confirmant, ſed evertunt. Inter hujuſmodi enim corpora, quæ ex aliis conglomerata ſunt, duplex diſcriminis inter-

vallum intercedit, ut rectè censet Dn. *Bruggeman* (Diss. de Scopo Reip. Germ. sect. 1. n. 6.) Ita namque cum illis comparatum est, ut inter totum corpus & singulas particulares Respublicas sit quædam aut coordinatio, aut subordinatio. Prioris civilis corporis, quod ex coordinatis Rebuspubl. constat, simulacrum nobis insigne exhibet fœderatum illud Belgium, ex septem distinctis & propriè ita dictis Rebuspublicis conflatum. Quælibet enim illarum provinciarum absolutè sui juris est, & tantum arctiori fœderis vinculo inter se connexæ quasi conspirant Harmonicè. Posterioris civilis corporis, quod ex subordinatis Rebuspubl. compositum est, speciem ac effigiem præ se fert Imperium Germanicum. Etenim quæ ad Imperii, universim sumpti, salutem quicquam conferunt, in Comitiis, quæ totum ostentant Imperium, excutienda veniunt; quæ autem singularum particularium Rerumpublicarum utilitatem concernunt, quælibet domi seorsim ac privata intra subsellia attendit. (Vid. Dn. *Bruggeman*. l. c. & Dn. *Ludolph. Hugo* de Stat. Region. Germ.) Fortunæ tamen Germaniæ & præcipuum Imperii interesse in eo situm, ut Germaniæ particulares Respublicæ subordinatæ semper ac quasi trabali clavo affixæ maneant universo Imperio, ceu toti civili corpori, à quo etiam, qua tali, dependent. Exempla itaque, quæ Autor ab Amphyctionibus, Achæis & aliis petit subtiles ac novas ejus opiniones non adjuvant, quum nullam similitudinem cum Germaniæ

summâ Republ. habeant, adeoque nullius momenti sint, quæ in §. ult. c. præced. & in specie de Groningensibus Dn. Severinus noster attulit. Cum hodierno verò Belgio Fœderato magnam affinitatem habere Achæorum Respublicas veteres peculiari Tract: ostendit Dn. *Martinus Schoockius*.

XI. Subductis columnis ædificii Autoris nostri, ruit etiam quod in fine h. cap. de Imperatore nostro garrit, nempe, quod sit fœderis Imperialis Dux eminens, simulacris Regiis vestitus. Nimirum tendunt hæc in injuriam Sacratissimi nostri Imperatoris, cujus autoritas ac majestas ut salva tam apud Germanos, quam exteros & vicinos Reges maneat summopere Imperii interest. (Vid. Dn. *Bruggeman.* de Scopo Reip. Germ. sect. 2. n. 1. & seqq.) Frustra enim quis magistratum gerit, & trunci instar inter ranas sedet, qui suâ auctoritate & gravitate illos, qui jussa capessere, aut saltem reverentiam exhibere debent, movere potis non est. Quapropter non fictitii fœderis Monzambanei, sed summi Imperii Germanici Caput est ac manebit semper Imperator, *Des H. Reichs Ober-Haubt*, qui tanquam summus & eminentissimus in Imperio Princeps denominationem Majestatis Imperialis possidet, Principesque salutat: *Unsere und des H. Reichs Getreue, unser Fursten und des H. Reichs Glieder*; ac plenitudinem potestatis (*Vollkommene Macht und Gevvalt*) quæ ipsi in Recessibus tribuitur, vocat: *Unsere und des Reichs Hochheit*

Autoritas Imperatoris illæsa conservanda.

(add. *Aut. ad Instr. Pac.* p. 1. Disc. 10. n. 17.)

Conclusio operis. XII. Vt igitur Discursum de formâ Imperii hodierna concludamus, breviter contra Autorem pronunciamus, quod Germania, Pace Monasteriensi pacata, non monstrosa, ejusque corpus inconcinnâ forma minimè in formatum sit: Contra verò asserimus, quod suavis ac dulcissima harmonia inter Caput & Membra in eam, postliminio quasi reducta, mixtioque ex Monarchia & Aristocratiâ hodie per *art.* 8. §. *gaudeant Instr. Pac.* firmiter roborata, quæ in perpetua Capitulatione adhuc firmius inposterum roboranda. Non diffiteor equidem multa turbida negotia atque gravamina nondum discussa in magno illo corpore ad discutiendum adhuc reliqua restare: Inde tamen Germanicæ Reip. statui nullum monstrum aut irregularitas impingenda; sed omnes nævi aliis civilibus incommodis, quæ passim in hoc opusculo notavimus, inurendi veniunt. Vigeat itaque ac floreat in Imperio certa illa forma, in Instr. Pacis art. 8. fundata: Maneat Imperator summus Regum Rex, & nobilissimi Imperii Corporis supremum Caput, non fœderis Severino-Monzambanei Dux & Imperator. (V. *Aut. ad Instr. Pac.* p. 2. Disc. 5. n. ult. & p. 3. Disc. 1. n. 7.) Ex hactenus dictis potest etiam redargui error, qui §. 7. & 8. c. 7. in Autore occurrit. Ordo nunc flagitaret, ut etiam ad c. 7. & 8. Autoris spicilegia traderemus; Cęterùm quum omnia ferè ibi satis plana & per

ſpicua appareant , paucique errores ibidem committantur ; Nos , quum plenius & fuſius aliquando in peculiari tractatu hac de re acturi ſimus , anguſtiæque temporis ulterius aliquid addendi minimè permittant , in præſens receptui canimus, calamumque noſtrum hic ſiſtimus , perbenevolè Dn. Severinum de Monzambano rogantes, ut illa , quæ calamo ſemper currente ad ejus nitidiſſimum libellum , prudentiſſimè conſcriptum, hactenus attulimus, in bonam partem accipere , juſtam ſtyli indignationem , quæ plus vice ſimplici irrepſit , æquo gravius non habeat , ac ac pro veritate certanti herbam porrigere non gravetur. Soli Trin-uni Deo honor & gloria.

FINIS.





INDEX DISCVRSVVM

AD

SEVERINI DE MONZAMBANO Librum de Statu Imperii Germanici.



Errata in notis corrigenda.

PAg. 1. pro *Septentriones* leg. *Septem Triones*, p. 5. pro *Stamlerg.* leg. *Stamlerus* p. 9. pro *effectibus* leg. *affectibus* p. 10. pro *Contra Hispaniensiorum* leg. *Contra Hispaniensium*, p. 11. pro *non ut obscurè* leg. *ut non obscurè*, p. 12. pro *maros* leg. *muros*, p. 13 pro *Liberia* leg. *libertas*, p. 14. pro *sculpsit* leg. *sculpsit*, p 15. pro *obstentu* leg. *obtentu*. p. 16. pro *falsè* leg. *salsè* p. 18. lin. 1. *illum* leg *illam* pro *comparata* leg. comparatu pro 19. pro *Chronicum* leg. *Chronicon*, p. 29. pro *&* *brevi* leg. *& quod brevi* p. 35. pro *pretensos* leg. *protensi* p. 29. pro *Mazarinum* leg. *Mazarinus* p. 41. pro *Badensis* leg. *Badenses* pro *Principes* leg. *Princeps*. p. 47. pro *In Burgundia* leg: *Burgundia*, p. 48 pro *Experienti* leg. *experientur* p. 49. pro *adeò dum*, leg. *adeò*, p. 54 pro *Passet*, leg. *posset*, pro *deiesta* leg. *deiecta*, 55. pro *sategat* leg. *satagat*, pro *Frisia* leg. *Frisiæ* q. 56. lin. 2. pro *provincia* leg. *Provinciam*, p. 67 pro *fortalia* leg. *fortalitia*; p. 69. pro *popescerint* leg. *poposcerint*, p. 633. pro *aque* leg. *quæ* p. 65. pro *velebant* leg. velabant, pro *profulgaret* le. profligaret, p. 68. pro *destituunt* le. desistunt, pro *nec* metuendum, leg. nil metuendum pro *fides* leg. fidos p. 69 pro *affectus* leg. affectu. p. 70. pro Vistulæ leg. *ad* Vistulæ. p. 71. originis, leg. *accolentes*, originis p. 72. vox *remansiti*, deleatur, p. 73 pro *imitantur*, leg. interpretantur, p. 78. pro *tu* leg. ut p 85. pro *mollireiur*, leg. moliretur p. 88. pro πολ υκεαλεν leg. πολυκεαλεν, p. 97. pro *inonoclusiam* leg. iconoclasiam, p. 101. pro *nam Taciti* leg. Taciti enim, p. 105. pro *attenuatum est* leg. attenuatum fuit, p. 110. pro *nondum Francicum* leg nondum plene Francicum, p. 119. pro *Bavorum* leg. Bavarorum, p. 142. pro *indiscendorum* leg. indicendorum, pro *neci* leg. necis, p. 149. pro *autor* & amplificator leg. Auctor & amplificator, p. 151. pro *noster* leg. *nostri*, pro *invoivedum* leg. involvendum, p. 165. pro *miuabilemque* leg. mirabilem, pro *vagarentur* leg. prorumperent, p. 172. pro *stringindus* leg. stringendus, p. 178. pro *causa* leg. causam, pro falsè leg. salsè, p. 181. pro *Ravennatuum*

leg Ravennatum, p. 199. pro *annos* leg. annis, pro *Cesalpinum* leg. Cisalpinum, p. 206 pro *confuisset* leg. censuisset, p. 215. vox: *firo*, deleatur, p. 221. pro *commemoratus* leg. commoraratus, p. 263 vox: *adhuc*, deleatur, p. 280. pro *socius* leg. socium, p. 284. pro *incoluerunt* leg. incolunt, p. 297. verba, *sit etiam*, deleantur, p. 299. pro *palmam* leg almam, p. 304. pro *Romam* leg. Rempublicam, pro obliquiam leg. obliquam, p 307. vox: *forsan*, deleatur, p. 319. pro *ferrori* leg. fervori, p 325. pro *tamen* leg. tandem, pro *smilia* leg. similia, p. 333. pro *Lothariagicum* leg. Lotharingicum, p. 345 pro *videmus* leg. solent. Reliqua errata B.L. ipse corrigere non gravabitur.

Monzambano de
Statu Imp. Germ.
illustrat. et vest.

142.